

[redacted]

COMPENDIUM
SACRAE LITURGIAE

JUXTA RITUM ROMANUM

SCRIPSIT

P. INNOCENTIUS WAPELHORST, O.F.M.

S. THEOL. LECTOR, OLIM RECTOR SEM. SALESIANI
ET S. LITURG. PROFESSOR.




EDITIO NONA

Neo-Eboraci, Cincinnati, Chicago

BENZIGER FRATRES

SUMMI PONTIFICIS TYPOGRAPHI



Imprimi Potest.

REMIGIUS LAFORT, S.T.D.,
Censor Librorum.

PEEKSKILL, N.Y., die 23. Martii, 1915.

Imprimi Permittitur.

P. BENEDICTUS SCHMIDT, O.F.M.,
Min. Prvlis.

S. LUDOVICI, die 30. Maji, 1918.

EX PRAEFATIONE AUCTORIS AD I. EDITIONEM.

RITUS ROMANUS omnino purus hoc libro exponitur; ex fontibus seu libris liturgicis Romanae Ecclesiae ipsissima legum liturgicarum verba citantur, in quantum ratio compendii, perspicuitas, usus practicus permittit. Omnia, quae citationis signis [“ ”] sine loci citati notatione exhibentur, ad verbum desumpta sunt ex illo libro liturgico, ad quem materia tractata pertinet, nempe pro Sacrificio Missae ex Missali Romano, pro Officio divino ex Breviario Romano, pro Sacramentis et Sacramentalibus etc. administrandis ex Rituali Romano; aliquoties etiam ex Caeremoniali Episcoporum et Pontificali Romano; ex Memoriali Rituum pro aliquibus praestantioribus s. functionibus persolvendis in minoribus Ecclesiis parochialibus jussu Benedicti XIII. edito. . . .

Quae praeterea ad Liturgiae expositionem traduntur, auctoritate scriptorum rerum liturgicarum probatorum nituntur; quales sunt Pius Martinucci, S. Congregationis Caeremonialis Secretarius et Pontificiis Caeremoniis Praefectus (Manuale S. Caer. 6 vol. a. 1880), Al. De Carpo (Caeremoniale, et Bibl. liturg.), De Herdt, (S. Liturgiae Praxis, et Praxis Pontificalis seu Caeremonialis Episc. expositio), Schober S. Alphonsi M. de Ligouri lib. Caerem. M., Fornici (Instit. liturg.), Romsée-Hazé, Bouvry, Schneider-Lehmkuhl, O’Kane, Probst, Bickell, Hartmann, Sutor, Falise, Adone et alii, praeter antiquiores praecipuos Gavantum-Merati, Quarti etc.

Ne s. actiones quasi “mechanice” peragantur, neve corpori sine anima assimilentur, sensus s. rituum simul cum notis historicis, praesertim pro Sacrificio Missae, exponitur. Sapienter enim statuit Concilium Plenarium Baltimorense Tertium Decreto 174: “In praxi caeremoniarum diligenter exerceantur clerici; *rituum sacrorum explicatio tradatur eis historica et mystica.*”

[redacted]

PRAEFATIO AD EDITIONEM NONAM.

Libens tibi offero, lector benevole, egregium hoc Compendium jam nona vice prelo subjectum. Praeter necessarias emendationes, quarum seriem texere nimis longum videtur, sequentes mutationes resp. additiones factae sunt.

Tabellae ministrandi in Missa solemni jam ultimae editioni in unum adjectae, per singulas paginas distributae inveniuntur, quo clarius materia tractata ob oculos ponatur.

Cum ex reformatione nuperrima Rubricarum modus ordinandi Officium Divinum non parum difficilior evaserit, utile judicavi exhibere conspectum Officii Divini recitandi aliquanto fusiorem, praesertim commodo juvenum Clericorum consulere volens.

In commodum tironum, qui missalia non semper prae manibus habent, preces *memoriter sciendas* ex toto typis describendas curavi (App. I.).

Varias ob rationes Appendix pristina "De Jure Ecclesiastico" etc. dimissa fuit, sicuti in plurium votis erat. Ast materia liturgica dictae Appendicis in corpore Compendii suis locis inserta reperitur, ita ut ex omissa Appendice hoc manuale liturgiae jacturam passum non sit.

Loco Appendicis excisae Appendix altera substituta est, scil. conspectus brevis historico-practicus de paramentis sacris.

Littera D. in annotationibus significat Decretum vel Decreta S. Congregationis Rituum sive Collectionis Authenticae sive recentissima.

EDITOR.

Quincy, Ills., d. 11. Februarii 1915.

[redacted]

INDEX.

INTRODUCTIO.

Pars Prima.

DE SACROSANCTO MISSAE SACRIFICIO.

Cap. I. De Requistis ad Missam.

Cap. II. De Partibus Missae mobilibus.

Cap. III. De quibusdam Missis in particulari.

[redacted]

Cap. XI. De assistentia Episcopi Dioecesani in Missa Solemni et de Benedictione Papali.

Cap. XII. De defectibus in celebratione Missae occurrentibus.

Cap. XIII. Liturgiae Sacrae expositio historica.

Cap. XIV. De significatione caeremoniarum communium.

Cap. XV. De sensu literali et mystico singularum partium Missae.

[redacted]

Cap. XVI. De praestantioribus Functionibus Missae adnexis.

Cap. XVII. De Missa et s. Functionibus adnexis Feriae V. in Coena Domini.

Cap. XVIII. De Missa Praesanctificatorum, seu de s. Ritibus in Feria VI. in Parasceve persolvendis.

Cap. XIX. De Sabbato Sancto.

[redacted]

Cap. XX. De Cultu SS. Eucharistiae speciali extra Missam.

Pars Secunda.

DE OFFICIO DIVINO.

Cap. I. De Horis Canonicis recitandis.

Cap. II. De relatione Officiorum inter se.

[redacted]

Cap. III. De Officiis vel Festis specialibus.

Cap. IV. De modo Horas Canonicas in Choro sine solemnitate persolvendi.

Cap. V. De Vesperis Solemnibus.

Cap. VI. De Officiis solemnibus Tenebrarum et Defunctorum.

Pars Tertia.

DE RITUALI ROMANO.

Cap. I. De Sacramento Baptismi.

Cap. II. De Sacramento Confirmationis.

Cap. III. De Sacramento Poenitentiae.

Cap. IV. De SS. Eucharistiae Sacramento.

Cap. V. De Sacramento Extremae Unctionis.

[redacted]

Cap. VI. De Sacramento Ordinis.

Cap. VII. De Sacramento Matrimonii.

Cap. VIII. De Functionibus Pastoralibus Sacramentis adnexis.

Cap. IX. De Benedictionibus.

Cap. X. De Processionibus.

Appendix I.

Appendix II.

Appendix III.

[redacted]

DE LITURGIA SACRA.

INTRODUCTIO.

ART. I.

DEFINITIO ET DIVISIO.

1. LITURGIA (publicum opus seu ministerium) lingua ecclesiastica primario significat sacrificium Missae, quae est actio sacrifica seu ministerium publicum "per eminentiam;" item Liturgia simul significat contextum et ordinem hujus sacrificii.[1]

2. Sensu vero latiori Liturgia denotat totum ministerium publicum quod ministris Ecclesiae, ac praesertim Sacerdotibus, tanquam ministris et cooperatoribus Christi Redemptoris incumbit, nempe

(*a*) Sacrificium Missae,

(*b*) Officium divinum seu Horae canonicae,

(*c*) Sacramenta, sacramentalia reliquaeque functiones ecclesiasticae.

Sicuti enim "justificationis causae sunt, finalis quidem gloria Dei et Christi, ac vita aeterna,"[2] ita omne ministerium sacrum in hunc utrumque quidem finem ordinatur; attamen ad "gloriam Dei et Christi," seu ad cultum Deo debitum reddendum maxime et primario spectat sacrificium eucharisticum. Officium vero divinum aeque fere ad cultum divinum atque ad salutem animarum ordinatur; etenim "ascendit oratio et descendit Dei miseratio."[3] Ad salutem animarum pro-

1 Cfr. expositio historica liturgiae no. 115 huj. Comp.

2 C. Trid. sess. VI. c. 7.

3 S. Aug.

[redacted]

movendam immediate spectant sacramenta et sacramentalia ac reliquae functiones ecclesiasticae.

3. Proinde Liturgia sacra in tres partes dividitur:—

I. De Sacrificio Missae.

II. De Officio Divino seu Horis Canonicis.

III. De Sacramentis et Sacramentalibus reliquisque functionibus ecclesiasticis.

Quae quidem divisio juxta ipsius Ecclesiae dispositionem facta est. Ecclesia enim disponit et ordinat praecipue

I. Sacrificium Missae per *Missale Romanum.*

II. Officium Divinum per *Breviarium Romanum.*

III. Sacramenta et Sacramentalia reliquasque functiones per *Rituale Romanum.*

Quibus libris liturgicis accedunt praecipue pro functionibus in Ecclesiis Cathedralibus et ab Episcopo agendis *Caeremoniale Episcoporum,* et *Pontificale Romanum.*

4. "Scientiae liturgicae objectum est singulas praefinire externas actiones, quae *Ritus* appellantur et Caeremoniae,[4] quaeque pro ecclesiasticis omnibus functionibus rite exequendis [nempe in sacrificio Missae, officio divino et administratione sacramentorum etc.] ab Ecclesia institutae sunt, ut signa sint, testimonia, et exercitium cultus interioris, quem imprimis requirit Deus, et ut honesto ac decenti quodam ordine[5] peragantur, quae pertinent ad divinum cultum promovendum et ad disciplinam concordiamque publicam conservandam."[6]

5. De Liturgiae sacrae dignitate et scopo Sixtus V. Summus Pontifex[7] docet: "Jam vero, cum sacri ritus et caeremoniae, quibus Ecclesia a Spiritu Sancto edocta ex Apostolica traditione et disciplina utitur, in sacramentorum administratione, divinis officiis, omnique Dei et Sanctorum veneratione, magnam Christiani populi eruditionem, veraeque fidei protestationem contineant, rerum sacrarum majestatem commendent, fidelium mentes ad rerum altissimarum meditationem sustollant, et devotionis etiam igne inflamment, cupientes

[4] Ritus et caeremoniae nunc plerumque indiscriminatim usurpantur quamvis a pluribus varie distinguantur.

[5] Cfr. 1 Cor. 14, 40.

[6] Fornici Instit. liturg. (Not. praev.)

[7] Bulla *Immensa aeterni Dei* 22 Jan. 1588.

[redacted]

filiorum Ecclesiae pietatem et divinum cultum sacris ritibus et caeremoniis conservandis instaurandisque magis augere etc." Obedientes igitur ac devoti Ecclesiae filii magni aestimant Liturgiam sacram.

ART. II.

DE LEGIBUS LITURGICIS EARUMQUE FONTIBUS ET VI OBLIGANDI.

2. Leges, quibus Ecclesia ritus sacros et caeremonias ordinat, sunt:

(*a*) Rubricae;

(*b*) Decreta S. Rituum Congregationis.

Rubricae nomen sortiuntur a rubro colore, quo olim inscribebantur, et ex parte etiam hodie imprimuntur. Quae consuetudo originem ab antiquis deduxit, qui titulos et inscriptiones legum rubro colore notabant, utendo specie quadam terrae quae Rubrica appellabatur;[1] unde ipsae "leges rubrae" dicebantur.[2]

Prima igitur legum liturgicarum classis sunt Rubricae Missalis, Breviarii, Ritualis Romani, Caeremonialis Episcoporum et Pontificalis Romani; et hi libri liturgici sunt praecipui fontes legum liturgicarum.[3]

2. At sensu stricto Rubricae *praeceptivae* tantum sunt leges liturgicae. Rubricae enim distinguuntur:

(*a*) *Praeceptivae,* quae obligant in conscientia sub peccato, et

(*b*) *Directivae,* quae per modum consilii praebent directiones et instructiones ad congruentius agendum, et *per se* non obligant sub peccato, dummodo non negligantur cum scandalo, ex contemptu vel animo novum ritum inducendi.

[1] A kind of mineral called "Rubrica."—O'KANE.

[2] "Perlege rubras Majorum leges."—JUVENAL. Sat. 14.

[3] Quibus insuper adnumerandi sunt: 1. Martyrologium Romanum; 2. Propria tum Officiorum, tum Missarum alicujus Dioecesis, Ordinis, seu Congregationis Religiosae; 3. Memoriale Rituum Benedicti Papae XIII pro minoribus Ecclesiis; 4. Instructio Clementina pro Expositione Sanctissimi Sacramenti; 5. Collectio Decretorum S. Congregationis Rituum.

3. *Directivae* sunt Rubricae, quae forma meri consilii constant, e. g. "ad arbitrium," vel "pro opportunitate Sacerdotis" ad orationes dicendas ante Missam (generatim Rubr. Missalis de agendis extra Missam probabiliter sunt directivae, nisi aliunde constet de praecepto; Rubr. de defectibus Missae sunt praeceptivae); quae in Breviario statuuntur quoad officium defunctorum (exc. 2 Nov.); necnon quoad caeremonias pro officio, quando privatim seu extra chorum (etsi cum sociis) recitetur; quoad fideles qui Missae Sacrificio vel Sacramentorum administrationi etc. assistunt.

4. Praeter has et paucas alias Rubricae omnes sunt *praeceptivae* seu leges liturgicae in conscientia obligantes. Probatur praesertim ex Concilio Tridentino et declarationibus Summorum Pontificum.

"Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus, in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem [i. e. Episcopum] mutari posse; anathema sit."[4] Summus Pontifex Benedictus XIII. declarat: "Mandamus, ut in Sacramentorum administratione, in Missis et divinis officiis celebrandis, aliisque ecclesiasticis functionibus obeundis, . . . recepti et approbati Ecclesiae catholicae ritus, qui in minimis etiam, sine peccato, negligi, omitti vel mutari haud possunt, peculiari studio ac diligentia serventur. Quamobrem Episcopis districte praecipimus, ut contraria omnia, quae in Ecclesiis seu saecularibus seu regularibus (iis exceptis, qui proprio, vel Rituali, vel Missali, vel Breviario utuntur a S. Sede probato), contra Rubricas Missalis, Breviarii et Ritualis irrepsisse compererint, detestabiles tanquam abusus et corruptelas prohibeant et omnino studeant removere."[5]

Quae verba omnino valent in America septentr., ubi tot Conciliorum Decreta omnem ritum et consuetudinem ritui Romano contrariam stricte interdicunt.

3. Specialiter quoad *Rubricas Missalis* S. Pius V. in Bulla[6] cuique Missali praeposita statuit: "Mandantes et districte om-

[4] C. Trid. sess. VII.

[5] Bened. XIII. decr. in Conc. prov. Rom.

[6] *Quo primum tempore*, 14 Jul. 1570.

[redacted]

nibus et singulis . . . in virtute sanctae obedientiae praecipientes, ut . . . Missam juxta ritum, modum ac normam, quae per Missale hoc a Nobis nunc traditur, decantent ac legant, neque in Missae celebratione alias caeremonias vel preces, quam quae hoc Missali continentur, addere vel recitare praesumant." Urbanus VIII. per S. Congregationem "mandat, in omnibus et per omnia servari Rubricas Missalis Romani, non obstante quocumque praetextu, et contraria consuetudine, quam abusum esse declarat." Benedictus XIV.[7] scribit: "Ipsa communis omnium sententia docet, Rubricas esse leges praeceptivas, quae obligant sub mortali *ex genere suo,* ut loquuntur Theologi: ita tamen ut immunis sit a mortali, qui eas non servet per invincibilem omnimodam imprudentiam, et aliquando etiam propter parvitatem materiae."

2. Probabilius etiam Rubricae pro sacris Ministris in Missa solemni sunt praeceptivae. Ad dubium: "An Regulares, qui utuntur Missali Romano in celebratione Missarum tam privatarum quam solemnium, ritus in Missali praescriptos immutare possint addendo, vel minuendo aliqua, seu ritus alios subrogando in Choro, aut in Altari sub alicujus antiquae consuetudinis praetextu; an potius omnia in eodem Missali, et Caeremoniali [Episc.] praecepta ad unguem, sine ulla additione, diminutione, vel immutatione servare debeant?" S. R. Congr. resp.: *"Nihil addi, minui, vel immutari posse,* sed omnia in eodem Missali et Caeremoniali praescripta ad unguem servanda esse." [8]

3. Quoad *Breviarium Romanum* S. Pius V.[9] statuit: "Hoc nostrum Breviarium ac precandi psallendique formulam in omnibus universi orbis Ecclesiis [nisi sint de exceptis] . . . *praecipimus* observari. Statuentes Breviarium ipsum nullo unquam tempore vel totum vel ex parte mutandum, vel aliquid addendum, vel omnino detrahendum esse."

4. *De nova Psalmorum in Divino Officio distributione* Pius X [10] haec decrevit: "Itaque . . . Psalterii ordinem, qualis in Breviario Romano hodie est, abolemus ejusque usum . . .

[7] De sacrif. Missae, III. 13, 3.

[8] Ad prop. Def. Generalis Ord. Carmelitarum, 19 Aug. 1651, n. 937. 2.

[9] Bulla *Quod a nobis,* 9 Jul. 1568.

[10] Bulla *Divino afflatu,* 1 Nov. 1911.

omnino interdicimus . . . (et) novum Psalterii ordinem, qualem Nos cum suis Regulis et Rubricis approbavimus . . . religiose observari jubemus."

5. *Rituale Romanum* est de praecepto in locis (uti in America septentr.), ubi tempore Concilii Tridentini nondum proprium Rituale adhibebatur, vel ubi Rituale Rom. unquam receptum fuit, vel ubi Rituale particulare adhibetur, cujus ritus in administratione sacramentorum post Concilium Trid. sine indulto Apostolico mutati sunt.[11]

6. De *Caeremoniali Episcoporum* Clemens VIII. "praecipit et mandat illud in universali Ecclesia ab omnibus et singulis personis, ad quas spectat et in futurum spectabit, perpetuo observandum esse."[12] Permultae regulae hujus Caeremonialis spectant etiam ad Ecclesias non Cathedrales, e. g. de Missa et Vesperis solemnibus. S. R. C. decrevit: "Ad Caeremonialis Episcoporum observantiam, juxta Apostolicas Constitutiones teneri omnes Ecclesias, praecipue autem Metropolitanas, Cathedrales et Collegiatas."[13]

7. *Pontificale Romanum* recipi et observari praecipit Benedictus XIV.[14] statuens cum Clemente VIII.: "Quascumque personas, quae Pontificalia munera exercere, vel alias quae in dicto Pontificali continentur facere aut exequi debent, ad ea peragenda et praestanda, ex hujus Pontificalis praescripto et ratione teneri."

4. Secundo, **Decreta Sacrae Rituum Congregationis** sunt leges liturgicae et obligant in conscientia,

(*a*) Si forma praeceptiva sunt edita; vel

(*b*) Si sunt declarationes seu interpretationes Rubricarum praeceptivarum. "Decreta a Sacra Rituum Congregatione

11 Plures censent, tempore quo prodierit Rituale Rom. Ordinariis locorum liberum fuisse, proprium Rituale, si quod legitimum haberent, retinere, et praesenti adhuc tempore retinere, modo proprium suum Rituale hucusque incorruptum servaverint. "At optandum," addit De Herdt, "ut Rituale Rom. ubique admittatur," pro quo gravissimae militant rationes.

12 Bulla *Cum novissime*, 14. Jul. 1600. Quod confirmatum fuit ab Innocentio X., Benedicto XIII., ac Benedicto XIV.

13 D. 17 Aug. 1894, 3839. 1.

14 Literae initio Pontificalis insertae.

[redacted]

emanata et responsiones quaecumque ab ipsa propositis dubiis scripto formiter editae, eamdem habent auctoritatem ac si immediate ab ipso Summo Pontifice promanarent, quamvis nulla facta fuerit de iisdem relatio Sanctitati Suae." [15]

Porro S. R. Congregatio declaravit: "Per verba *dummodo formiter scripto editae fuerint,* sufficit, quod sint subscriptae a Sacr. Rit. Congr. Praefecto et Secretario, ac ejusdem sigillo munitae, nec requiritur, ut sint vel Romae, vel ab Episcopis in suis Dioecesibus promulgatae. Tanquam formiter edita habenda sunt Decreta, et Responsiones in authentica Collectione insertae;"[16] itemque Decreta, quae in commentario officiali "Acta Apostolicae Sedis" promulgata sunt.

2. Decreta ista S. R. C. *ubique* in conscientia obligant,

(*a*) Si sint Decreta *generalia* quae ad Ecclesiam universalem diriguntur;

(*b*) Si Decreta *particularia* quidem sunt, quae ad Ecclesiam vel personam particularem diriguntur, at sunt responsiones seu declarationes circa generalia, e. g. circa Rubricas, etc.[17]

Decreta autem *particularia,* quae sunt purae gratiae, dispensationes aut privilegia aut dispositio alicui regioni, Ordini seu Congregationi specialis, ad Ecclesiam universalem extendi nequeunt.

5. Consuetudines, etsi immemorabiles, quae Rubricis vel Decretis S. R. Congregationis aperte repugnant, sustineri nequeunt, sed per Constitutiones Summorum Pontificum et S. R. Congregationem, tanquam abusus rejiciuntur.[18] "Ordinarius stricte tenetur opportunis remediis, providere, ut Rubricae et S. R. C. Decreta rite serventur; si quid dubii occurrat, recurrendum ad S. C. pro declaratione." [19] (In Quaes. agitur de "ritibus sacris in Missis, divinis officiis, Sacramentorum administratione, caeterisque ad divinum cultum pertinentibus.") Eadem S. Congr. decrevit: "Inveterata quaecumque in contrarium consuetudo derogare non potest Legi a Decretis Sacrae Congregationis praescriptae." [20]

15 D. 2916.
16 3023. 1. 2.
17 Cf. D. 15 Jan. 1897, n. 3945. 1.
18 Cf. Decr. initio Missalis, etc.
19 D. 2621. 1.
20 D. 2792. 2.

2. Deinde Concilia Plenaria et Provincialia Americae Sept. tam Foederatae quam Canad. expresse et constanter omnem consuetudinem Ritui Romano contrariam, quantumvis toleratam in aliis terris, plane rejiciunt; e. g. C. Pl. Balt. I. Decr. 3: "Vetantes districte ne consuetudines ritusve a Romanis alieni inducantur." C. Pl. Balt. II. Decr. 213, et C. Prov. Quebec. I. Decr. 6: "Districte vetamus, ne Sacerdotes a forma sibi in Rituali praescripta, consuetudinis obtentu vel alio quocumque praetextu discedant."[21] C. Prov. Quebec. II. Decr. 6: "Volumus et mandamus ut in Sacramentorum administratione, in Missis et divinis officiis celebrandis, aliisque functionibus ecclesiasticis obeundis, recepti et approbati Ecclesiae Catholicae Ritus peculiari studio ac ad amussim serventur. Eos vero tanquam receptos et approbatos Ecclesiae Ritus agnovimus qui in Pontificali Romano et Caeremoniali Episcoporum vel Rubricis Missalis, Breviarii et Ritualis praescribuntur." C. Prov. Halef. I. Decr. 10.: "Ad amussim serventur omnia quae in Rubricis praescripta sunt, juxta Ritum Romanum."[22]

6. Rubricae praeceptivae et S. R. C. Decreta praeceptiva generatim "obligant sub mortali ex genere suo," i. e. sub peccato mortali in materia notabili, et sub veniali in materia parva; at propter contemptum formalem vel transgressionem plurium praeceptorum leviter obligantium coalescendo peccatum mortale committi potest.

2. At, sicut in omni lege positiva, excusat a peccato formali non solum inadvertentia vel oblivio inculpabilis, sed etiam moralis impossibilitas, vel causa sufficiens et proportionate gravis, praecipue si Rubrica obliget sub levi seu materia sit parva.

21 Vid. C. Pl. Balt. II. Decreta 358, 375, 381, 399, 403.

22 "The Sacred Congregation of Propaganda has instructed the bishops of the United States to enjoin on the clergy fidelity to the rubrics. Coming, as our clergy and people do, from various countries of Europe, it is of great importance to secure uniformity in the celebration of the holy Mysteries, the administration of the Sacraments and Benediction. We trust that our clergy will religiously observe those instructions, and not suffer local and unauthorized usages to supersede the approved rites of the Universal Church." Past. Prov. C. Cincinnat. II.

[redacted]

Talis causa excusans aliquando est scandali periculum, non vero scandali praetextus inanis vel admiratio populi vel Sacerdotis affectus ad alios usus.[23]

3. Quaeres, cur in tot rebus etiam parvi momenti conscientia ab Ecclesia oneretur?

(*a*) Quia pertinent ad cultum Dei optimi maximi, et, ut Spiritus S. ait, "maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter." [24] "Qui fidelis est in minimo et in majori fidelis est, et qui in modico iniquus est, et in majori iniquus est." [25] Num Clericos, ad sortem Domini vocatos, in ministerio divinae Majestatis negligentiores esse decet, quam aulici sunt erga principes terrenos?

(*b*) Quia unitas in S. Liturgia et generatim in sacro ritu sequitur facile unitatem fidei et Ecclesiae, eamque maximopere conservat et pulchre exhibet. "Sane omnino conveniens est, ut qui omnes unum sumus in uno corpore, quod est Ecclesia, una et eadem celebrandi ratione, uniusque officii et ritus observatione in hoc ineffabili et tremendo Sacrificio utamur." [26] Eadem vero ratio valet pro Sacramentorum administratione ceterisque officiis et functionibus ecclesiasticis. "Unitas fidei et Ecclesiae cum variis quidem ritibus servari potest et servatur; quo major tamen in his etiam est unitas, eo arctius ipsa fidei unitas constringitur, et difficilius rumpitur; et contra quo major in ritibus est difformitas, eo difficilius fidei quoque unitas servatur, prout Graecorum et quarumdam aliarum Europae nationum historia probari potest." [27]

[23] En exemplum. Benedictus XIV. de Rubrica praescribente recitationem Matutini cum Laudibus ante celebrationem Missae haec scribit: "Si sermo sit de Missa conventuali, [ubi adest obligatio chori,] videtur peccatum esse mortale eam ante Matutinum et Laudes celebrare; id enim est contra generalem Ecclesiae usum. In Missis vero privatis, si qua sit legitima causa, . . . videri posset a peccato etiam veniali immunis, qui eam celebraret, non recitato Matutino et Laudibus. Si vero absit causa, perdifficile videtur, ne veniali quidem peccato non esse locum. Quod si quis nulla causa urgente, perpetuo id faceret, ut videretur quasi statuisse animo, nunquam celebrare, dicto Matutino et Laudibus, tum . . . concludi posset, hujusmodi Sacerdotem peccare mortaliter." Sacrif. Missae III. 13, 4.

[24] Jer. 48.

[25] Luc. 10.

[26] Clemens VIII.

[27] De Herdt III. 141.

(*c*) Spiritus Sancti effatum est: "Melior est obedientia, quam victima," [28] et praecipue Sacerdotes "filios obedientiae" esse vult Ecclesia. Tali spiritu ducti quotidie in divino ministerio per innumeros s. obedientiae actus innumerabiles aeterni meriti thesauros colligere possunt.

[28] 1 Reg. 15.

[redacted]

Pars Prima.

DE SACROSANCTO MISSAE SACRIFICIO.

CAPUT I.

DE REQUISITIS AD MISSAM CELEBRANDAM.

ART. I.

DE LOCO SACRIFICII.

1. Missa jure ordinario celebrari debet aut in Ecclesiis aut in Oratoriis seu Capellis saltem benedictis auctoritate legitima. *Ecclesia* intelligitur, quae eo potissimum fine aedificatur, ut publico fidelis populi usui deserviat, et quae est independens aliique Ecclesiae non subjecta, ita ut administratio Sacramentorum etc. ibi jure proprio et non subsidiario peragantur. *Oratoria* vero triplicis sunt generis: publica, privata ac semipublica. *Oratoria publica* ea sunt, "quae auctoritate Ordinarii ad publicum Dei cultum perpetuo dedicata, benedicta vel etiam solemniter consecrata januam habent in via, vel liberum a publica via Fidelibus universim pandunt ingressum. *Privata* econtra stricto sensu dicuntur Oratoria, quae in privatis aedibus in commodum alicujus personae vel familiae ex indulto Sanctae Sedis erecta sunt. Quae medium inter haec duo locum tenent, ut nomen ipsum indicat, Oratoria *semipublica* sunt et vocantur."[1]

2. "Ut autem quaelibet ambiguitas circa haec Oratoria amoveatur, Leo XIII. ex Sacr. Rituum Congregationis consulto, statuit et declaravit: Oratoria semipublica ea esse, quae

[1] D. 23. Jan. 1899, n. 4007.

etsi in loco quodammodo privato, vel non absolute publico, auctoritate Ordinarii erecta sunt; commodo tamen non Fidelium omnium nec privatae tantum personae aut familiae, sed alicuius communitatis vel personarum coetus inserviunt. In his sicut auctoritate Ordinarii sacrosanctum Missae sacrificium offerri potest, ita omnes qui eidem intersunt, praecepto audiendi Sacrum satisfacere valent. Hujus generis Oratoria sunt quae pertinent ad Seminaria et Collegia ecclesiastica; ad pia Instituta et Societates votorum simplicium, aliasque Communitates sub regula sive statutis saltem ab Ordinario approbatis; ad Domus spiritualibus exercitiis addictas; ad Convictus et Hospitia juventuti litteris, scientiis aut artibus instituendae destinata; ad Nosocomia, Orphanotrophia, nec non ad Arces et Carceres; atque similia Oratoria, in quibus ex instituto aliquis Christifidelium coetus convenire solet ad audiendam Missam. Quibus adjungi debent Capellae, in Coemeterio rite erectae, dummodo in Missae celebratione non iis tantum ad quos pertinet, sed aliis etiam Fidelibus aditus pateat." [2]

3. In Oratoriis privatis Missa non permittitur hisce diebus: in Triduo sacro majoris Hebdomadae, in festis Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, Assumptionis, Immaculatae Conceptionis B. M. V., Solemnitatis S. Joseph, Omnium Sanctorum, SS. Apostolorum Petri et Pauli. At Sacerdos, cui propter infirmitatem in Sacello suo domestico Missae celebratio ab Apostolica Sede conceditur, in omnibus hisce festis (imo die Nativitatis Domini tres Missas) in eodem celebrare potest.[3] Oratoria privata non sunt benedicenda, nisi simplici benedictione loci vel domus novae,[4] nec censentur violari.

4. Ordinarius ex justis et rationabilibus causis permittere potest per modum actus, ut Missa extra locum sacrum privatis in aedibus celebretur non tamen in cubiculo sed in loco decenti.[5]

5. Non licet celebrare in loco interdicto, nec in *Ecclesia execrata vel polluta.* Consecratio Ecclesiae potius parietibus ad-

[2] D. 23. Jan. 1899, n. 4007.

[3] Anal. Jur. Pont. III. p. 647. et S. C. de Discipl. Sacram. 11. Apr. 1913.

[4] D. 5. Jun. 1899, n. 4025. 6.

[5] S. C. de Discipl. Sacram. 23. Dec. 1912.

[redacted]

haeret, benedictio vero pavimento. Sed Ecclesia adhuc consecrata remanet, quamvis in ejus parietibus opus tectorium sit renovatum;[6] nec ideo fit execrata, quia tota simul crusta disjecta fuit.[7] De Ecclesia polluta seu violata vide "Defectus Missae."[8]

Porro prohibetur celebrare Missam in *navi*. Sed Episcopis totius Americae, Oceaniae et Australiae Pius X. privilegium concessit Missam celebrandi in navi servatis servandis, quotiescumque Romam petunt et in reditu.[9] Hac tamen facultate non gaudent Missionarii Apostolici, nec Sacerdotes, qui privilegio fruuntur celebrandi ubique. Nec valent Episcopi illam suis sacerdotibus communicare.[10]

ART. II.

DE ALTARI EJUSQUE ORNAMENTIS.

8. Altare distinguitur fixum et portatile. *Altare*[1] *fixum* est lapis, Altaris superficiem tegens (Mensa, tabula, ora Altaris), qui lapis structurae lapideae inferiori conjungitur et cum ea unum totum efficit.[2] Structura inferior (stipes, basis Altaris) ex lapidibus confecta cum Mensa Altaris omni ex parte conjungitur,[3] sit opus plenum sine foraminibus,[4] quamvis Mensa columnis inniti possit. Si stipes, deficiente lapide naturali, ex lateribus conficiatur, "oportet ut in ejus stipite saltem latera, seu columellae quibus mensa sustentatur, sint ex lapide."[5]

6 D. 19. Mai 1896, n. 3907. 2.

7 D. 9. Aug. 1897, n. 3962. 1.

8 Hoc Comp. n. 113. Lapides et ligna Ecclesiae seu Altaris diruti in usus profanos convertere aut vendere non licebat juxta canones; a longo autem tempore temperatus fuit rigor illius disciplinae, et hodie lapides et ligna Ecclesiae in usus profanos, modo non sordidos seu inhonestos, arbitrio Episcopi converti possunt. (De Herdt et alii.)

9 D. 30. Jun. 1908, n. 4221.

10 D. 4. Mar. 1901, n. 4069.

1 Alta ara.

2 In consecratione "Pontifex inungit conjunctiones Mensae Altaris et stipitis in quatuor angulis, quasi illa conjungens." Pontif.

3 D. 3126.

4 "In quo nil aliud, juxta antiquos canones, unquam reponendum quam Sanctorum Reliquiae." (Vinitor.) Nec construitur arca lignea, quae inservit paramentis asservandis (cf. D. 20. Dec. 1890, n. 3741).

5 D. 3364. 2. Necesse non est,

2. Sepulchrum Reliquiarum construitur vel
(*a*) In parte superiore Mensae, vel
(*b*) In stipitis parte anteriore vel posteriore, vel
(*c*) In stipitis parte superiore sub Mensa.

3. *Altare portatile* (Ara lapidea)[6] est simplex lapis consecratus talis magnitudinis "ut hostiam et majorem partem calicis capiat," etiam ciborium, si adhibendus sit pro Altari in quo consecrantur parvae hostiae.

Altaria portatilia, quae constant ex vero lapide duro et compacto, etsi non marmoreo, idonea haberi debent; quae autem confecta sunt ex lapide puniceo, sive ex gypso, aut alia simili materia illicita prorsus sunt. Quoad vero Altaria quorum sepulchrum non in medio lapidis, sed in ejus fronte fuit effossum, ea non sunt admittenda.[7]

"Reliquiae recondendae sunt in sepulchro intra lapidem effosso, et claudendae cum parvo operculo ex lapide etiam confecto." [8]

Lapis in media Mensa, non nimis ab anteriori parte amotus, ponatur, ita ut ejus limites tactu digitorum facile dignosci possint, paululum depressior aut eminentior superficie Mensae, ut evitetur periculum consecrandi extra eundem.

4. *Altare privilegiatum* (cui ex Indulto Apostolico annectitur indulgentia plenaria pro animabus defunctorum) debet esse fixum non stricto sensu, sed "sufficit, ut in medio Altaris stabilis et inamovibilis, licet non consecrati, lapis consecratus etiam amovibilis ponatur." [9]

"Privilegium Altaris conceditur non lapidi, qui unus alteri pro necessitate vel opportunitate suffici poterit." [10]

Privilegium non perditur si Altare destructum in eadem Ecclesia sub eodem titulo vel invocatione iterum construatur.[11]

5. *Profanatur* Altare fixum, non vero portatile, quando polluitur Ecclesia. *Execratur* seu consecrationem amittit Al-

ut fundamentum Altaris fixi pertingat usque ad terram, sed sufficit, ut stipes fixus sit in pavimento lapideo (vel ex caemento aut ex lateribus ex terra cocta confectis), trabe ferrea supposita ad molem altaris sustentandam. (Cfr. Am. Eccl. Rev. 36. p. 512.)

6 "Viaticum" quia eo utuntur viatores.

7 Cf. D. 13. Jun. 1899, n. 4032, 1. 2. 3.

8 D. 3162. 2.

9 S. C. Ind. 26. Mart. 1867.

10 20. Mart. 1846.

11 27. Jun. 1836.

[redacted]

tare, tam fixum quam portatile per fracturam notabilem, vel quando dividitur vel separatur pars, quae unam ex quinque Crucibus specialiter inunctis continet; per fractionem sepulchri vel operculi, per renovationem Reliquiarum;—etiam per tenuem scissuram, quae per medium integrum lapidem (portatilem) ad instar fili decurrit, licet nec sepulchrum fuerit violatum nec enormis fractura adsit.[12] Altare fixum execratur quoque per amotionem Mensae a basi, nisi integrum Altare sine amotione ab inferiori structura transferatur.[13]

6. "Convenit ut in Ecclesia solummodo benedicta unum saltem altare hoc modo erigatur [scil. ad modum fixi quod potest esse ex muro confectum cum ara lapidea, quae portatilis vocatur], ipsumque etiam convenit sit Altare principale." [14]

7. *Tabernaculum* ad Ss. Sacramentum asservandum communiter collocatur in Altari majori, cui firmiter adhaereat. "Regulariter debet esse ligneum" vel ex alia solida materia, "extra deauratum, intus vero aliquo panno serico" albi coloris "decenter contectum,"[15] vel deauratum.[16] Benedicendum est ab Episcopo vel alio facultatem habente.[17]

9. Ornamenta Altaris. *Tres mappae.* "Altare operiatur tribus mappis seu tobaleis mundis ab Episcopo vel alio habente potestatem benedictis, superiori saltem oblonga, quae usque ad terram pertingat" ab utroque latere, "duabus aliis brevioribus, vel una duplicata."[18] *Sint mundae,* praescribit

12 D. 3162. 3.

13 Missionariis conceditur facultas: "celebrandi sub dio et sub terra, in loco tamen decenti, —etiamsi Altare sit fractum vel sine Reliquiis Sanctorum, . . . si aliter celebrari non possit." Nunquam vero celebrare licet sine ullo lapide Altaris. (Form. I, 23.)

14 D. 3162. 1.

15 S. C. Episc. 26. Oct. 1575.

16 D. 3254; et 5. Jun. 1889, n. 3709. Tabernacula "torna tilia" — *revolving tabernacles Drehtabernakel* — ab Ecclesiae mente omnino aliena sunt. Aliquando ab Episcopis expresse interdicuntur; jure merito, munditia enim in iis servari vix potest, aliisque indecentiis et periculis SS. Eucharistia in iis exponitur.

Clavis tabernaculi sit saltem deargentata et funiculis sericis suspensa et ab ipso parocho resp. capellano caute custodienda est. D. 3448. 6; et S. Car. Bor. Visit. Apost.

17 D. 20. Jun. 1899, n. 4035 4.

18 Pannus lineus ceratus *Chrismale* dictus, qui in actu consecra-

Rubrica. Hinc ait Romsée: "damnabilis est negligentia eorum, qui inferiores mappas absque lotione sinunt in Altari putrescere."[19]

2. "*Pallio*" seu antipendio, "quoque ornetur coloris, quoad fieri potest, diei vel officio convenientis." Nullum antipendium requiritur si Altare ornatum est auro vel lapide pretioso vel si in modum tumbae confectum sit.

Pro Altari in quo SS. Sacramentum exponitur requiritur color albus, etiamsi officium diei vel Missa alium colorem exigat, v. g. die Pentecostes.[20]

"Non adhiberi potest Pallium nigri coloris in solemni Commemoratione et Exequiis Defunctorum ad Altare Ssmi. Sacramenti."[21]

3. *Conopaeum.* Tabernaculum in quo Ss. Sacramentum reconditur *Conopaeo* cooperiri debet, ut fert Rituale. Conopaeum confici potest ex panno, sive gossypio, sive lana, sive cannabe contexto; sit aut albi coloris (semper in expositione), aut juxto usum Ecclesiarum Urbis coloris officio convenientis, nigro excepto, qui color cum violaceo mutatur.[22] Hoc Ritualis praescriptum etiam servandum est, si Tabernaculum Ssmi. Sacramenti argento, auro vel alia pretiosa materia sit confectum, nec servari potest consuetudo contraria.[23]

4. *Crux.* "Super Altare collocetur Crux in medio," ita ut

tionis Altaris fixi super Altare poni debet, etiam postea retinendus esse videtur. Cfr. Visitatio Aplica in Urbe 1904, Art. V.

19 Quid, se etiam mappa superior sit sordida! Ex munditie aut sordibus Altaris, Ecclesiae, sacristiae, paramentorum, etc., saepe dignoscitur Pastor. "Domine, dilexi decorem domus tuae."

20 D. 2673. "Sancitum fuit, ut baldachinum omnino apponatur super Altare, in quo augustissimum Sacramentum asservatur." (D. 2912.) "Quod baldachinum etiam supra statuendum erit, si Altare sit a pariete sejunctum; nec supra habeat aliquod ciborium [tegumen] ex lapide aut ex marmore confectum. Si autem adsit tale ciborium non est opus umbraculo." Caer. Ep. I. 12, 13. Ubinam haec lex in desuetudinem legitime abierit, difficile est dictu.

21 D. 3201. 10. Usus adhibendi nigrum pallium tolerari potest juxta D. 3562.

22 D. 3035. 10; et 3562.

23 D. 7. Aug. 1880, n. 3520, et 1. Jul. 1904, n. 4137. "Conopaei usus practicus simul est et symbolicus: practicus, ut Sanctuarium a minimo pulvere nitidum custodiatur; symbolicus, qui memorat tentorium Arcae V. T., et adhibetur ad majorem reverentiam Sacramenti." Van der Stappen Sac. Lit. IV. Q. 154. VI.

[redacted]

"Crux ipsa tota candelabris superemineat cum imagine sanctissimi Crucifixi,"[24] et a Celebrante ac populo aspici possit.[25]

5. "*Candelabra* saltem duo cum *candelis* accensis hinc et inde in utroque ejus [Crucis] latere."[26]

6. *Candelae* debent esse ex *cera,* non autem ex sevo aut stearina.[27] "Episcopi curent ut cereus paschalis, cereus in aqua baptismali immergendus et duae candelae in Missis accendendae, sint ex cera apum saltem in maxima parte; aliarum vero candelarum, quae supra Altaribus ponendae sunt, materia in majori vel notabili quantitate ex eadem cera sit oportet. Rectores ecclesiarum tuto stare poterunt normis ab Ordinariis traditis, nec privati Sacerdotes Missam celebraturi de qualitate candelarum anxie inquirere tenentur."[28]

Praeter cereos praescriptos sive in Missa sive in Benedictione aliae candelae ex stearina intra ambitum altaris adhiberi non possunt.[29]

"Super Altari praeter candelas ex cera tolerari non potest, ut habeatur etiam illuminatio ex *Gas,* sed usus praedictus prohiberi debet."[30]

Lux electrica in Ecclesiis vetita est: (*a*) una cum candelis super altaribus ad qualemcumque sacram functionem; (*b*) loco lampadis coram Ssmo Sacramento; (*c*) loco candelarum vel lampadum coram Reliquiis Sanctorum; (*d*) intra ciborium[31] tempore expositionis; (*e*) circa aediculas Sanctorum in pariete super altari positas vel in ipsis gradibus, ubi candelabra collocantur. "Pro aliis Ecclesiae locis et ceteris casibus illuminatio electrica, ad prudens Ordinarii judicium, permittitur, dummodo in omnibus servetur gravitas, quam sanctitas loci et digitas S. Liturgiae postulant."[32]

24 Caer. Ep. I. 12, 11.

25 D. 2621.

26 "Licetne candelabra Altaris aurata sive intra sive extra oblationem sacrosancti Sacrificii velo cooperire? *R.* Posse tolerari exceptis diebus solemnibus." D. 3137. 2.

27 Praescribuntur candelae ex cera (sub gravi saltem una ex cera), nisi excuset gravis necessitas, e. g. si alias populus praeceptum audiendi Sacrum implere nequeat; vel concessum fuerit speciale indultum Apost., e. g. dissitis et nascentibus Missionibus in Oceania. Cf. D. 29. 85.

28 D. 14. Dec. 1904, n. 4147.

29 D. 30. Jul. 1910, n. 4286.

30 D. 29. Nov. 1901, n. 4086.

31 Ciborium est structura marmorea vel lapidea vel lignea super altari posita, quatuor columnis sustentata.

32 D. 24. Jun. 1914; et 3859; 4097; 4275; et alia Decreta.—

7. Praeceptum istud fundatur rationibus historicis et mysticis. "Lumine hic significatur Christus ejusque doctrina, et fides populorum hanc amplectentium doctrinam."[33] Pura autem materia luminis significat humanitatem purissimam Christi.

8. Duo cerei pro Missa privata accenduntur;[34] ob solemnitatem exteriorem, non vero ob dignitatem Sacerdotis celebrantis Episcopo inferioris, sine speciali indulto Apost.,[35] plures quam duo accendi possunt, e. g. pro Missa parochiali lecta, ad Communionem generalem.[36] Pro Missa privata Episcopi quatuor semper accendi possunt, in festis solemnibus accendi debent.[37]

Pro Missa cantata sex candelae accenduntur;[38] "in Missis de *Requie* cum cantu saltem quatuor."[39]

"Cum hic numerus absolute praescribatur, non oportet, ut plura quam sex candelabra apponantur, nisi expositum sit SS. Sacramentum, eo magis quod Pontificaliter celebrante Episcopo Ordinario septem semper praescribantur apponenda: si enim celebrante Episcopo septem sint apponenda, et non plura, certo non conveniet, ut alio celebrante plura apponantur."[40] Rationes quoque mysticae pro hac Ecclesiae ordinatione allegantur.

9. Perinde est, an candelae sint ex alba cera an ex communi seu flava; convenit tamen ut in Missa et Officio lugubri, v. g. defunctorum, et de tempore Adventus et Quadragesimae cerei flavi adhibeantur, albi vero in festis et solemnitatibus, praesertim exposito SS. Sacramento. Convenit insuper, ut sint benedicti.

10. *Tabellae Secretarum.* "Ad Crucis pedem ponatur tabella Secretarum appellata," et ex usu generali duae laterales apponuntur.[41]

S. Congr. Rit. "etiam atque etiam Rmos Ordinarios hortatur, ut invigilent, ne S. C. decreta posthabeantur, et ecclesiarum rectores doceant, quae in casu permissa, quaque vetita sunt." Ibid.

33 Bouvry, etc.

34 Rubr. Miss.

35 D. 1125.

36 D. 3065.

37 Caer. Ep. I. 29. 4.

38 Caer. U. S. Cf. n. 98 h. Comp.

39 D. 3029. 7.

40 De Herdt, et alii plures.

41 Ineptae sunt tabellae nimis amplae, quae tabernaculum paene obtegant, vel minoris scripturae quam Celebrans vix legere possit.

[redacted]

11. "In cornu Epistolae sit *cussinus* supponendus Missali," vel lectionarium, quod velo coloris Missae convenientis tegi decet.

12. "Et ab eadem parte Epistolae paretur cereus ad elevationem Sacramenti accendendus," nempe per ministrum ad initium Canonis, et exstinguendus post digitorum ablutionem.[42]

13. "*Parva campanula, ampullae vitreae*[43] vini et aquae cum pelvicula et *manutergio* mundo in fenestella [in muro] seu in parva mensa ad haec praeparata." Usus cymbali Indorum Orientalium[44] non convenit.[45]

14. "Super Altare nihil omnino ponatur, quod ad Missae sacrificium vel ipsius Altaris ornatum non pertineat." Deficiente sacristia paramenta Sacerdotis ponantur in mensa laterali, vel hac deficiente in parte laterali Altaris.

15. "In ornatu Altaris habenda est ratio temporis. Decet ut diebus festivis, praesertim solemnioribus splendidior appareat. Sacrae Reliquiae et imagines disponi poterunt alternatim inter candelabra," nisi SS. Sacr. sit expositum.[46]

"Sed et vascula cum flosculis frondibusque odoriferis [natu-

[42] Licet hic ritus perpulcher, indicans Christifidelibus, Agnum Immaculatum, "lumen et splendorem Patris," modo in altari pro mundi salute se offerre, jam ineunte saeculo XVI. reperiatur (Hardouin X. 1850), hodie vero fere ubique in desuetudinem abierit, tamen per Ordinarium praecipi potest. D. 29. Jul. 1904, n. 4141. 6.

[43] Ut vinum ab aqua facile distinguatur, et ob munditiem.

[44] Gong.

[45] D. 10. Sept. 1898, n. 4000. 3.

[46] "Non licet imagines exponere cum alio habitu et forma quam in catholica Ecclesia ab antiquo tempore consuevit" (Urbanus VIII.); nec licet ullo in loco [publico] aliquam insolitam ponere imaginem nisi ab Episcopo probata fuerit (C. Trid.).—Prohibuit S. R. C. imaginem Crucifixi brachiis in altum expansis et imaginem B. M. V. dictam Dominae nostrae SS. Cordis, cum puero Jesu non in brachiis sed ad pedes posito.—Nec licet exponere in una eademque Ecclesia eoque magis in uno eodem Altari plures imagines eundem Coelitem, vel si agatur de B. M. V., Deiparam sub eodem titulo referentes (D. 20 Mai. 1890, n. 3732).—Imagines virorum ac mulierum, qui . . . nondum Beatificationis aut Canonizationis honores consecuti sunt, neque Altaribus utcumque imponi possunt, neque extra Altaria depingi cum aureolis, radiis aliisve sanctitatis signis (D. 14. Aug. 1894, n. 3835).

[redacted]

ralibus] seu serico contextis, studiose ornata adhiberi poterunt." [47]

16. "Gradus omnes Altaris inferiores cooperiantur aliquo amplo et pulchro tapete. Reliqua pars Presbyterii pannis viridibus contegitur. Si haberi non posset saltem suppedaneum sit tapete aliquo coopertum." [48]

17. Decet ut ornamenta, praesertim flores, ab Altari removeantur temporibus poenitentialibus, et quandocunque colore nigro vel violaceo celebratur, exceptis Dominica tertia Adventus et quarta Quadragesimae.

Pro Missa solemni de *Requie* "Altare sola Cruce et sex candelabris paretur . . . In paramentis Altaris, Celebrantis et Ministrorum nullae imagines mortuorum vel Cruces albae ponantur." [49]

18. *Sedes Celebrantis* (pro Missa solemni etc.) collocetur "a cornu Epistolae juxta Altare" seu "scamnum oblongum coopertum aliquo tapete aut panno" viridis aut alterius coloris pro Celebrante et s. Ministris cum vel sine dorso. "Non tolerandus est abusus adhibendi loco scamni sedes camerales."[50] Solius Episcopi Ordinarii est sedere in throno ad latus Evangelii.[51] In minoribus Ecclesiis simplex subsellium cum vel sine dorso adhiberi potest.

Appendix. Sequentes mensurae commendandae videntur:

Height of Altar from 3 *ft.* 4 *inch. to* 3 *ft.* 6 *inch.* (1 *metr.* 2 *cm.*). *Width of "Mensa" not less than* 20 *inches. Length at least* 8 *ft.* 6 *inch.*

Altar steps at least one foot wide, and not more than 6 *or* 7 *inches high.*

Communion railing from 2 *feet* 3 *inches to* 2 *feet* 5 *inches; the top step outside the communion railing to be on a level with the floor on which the priest stands when giving communion; it must be at least* 10 *inches wide; the other steps leading up to the railing from* 16 *to* 20 *inches wide; the risers of these steps not more than* 6 *or* 7 *inches high.*

The pulpit not more than 2 *feet* 10 *inches from its floor to the top.*

Pews must be at least 2 *feet* 7 *inches apart; the kneeling bench* 6 *or* 7 *inches high from the floor, and standing back* 9 *inches from a*

[47] Caer. Ep. I. 12.

[48] Ib.

[49] Ib. II. 11. 1.

[50] D. 2621. 6; et alia Decreta recentiora.

[51] Proinde convenit ut Ambo seu Pulpitum concion. sit in Ecclesiis cathedralibus ad latus Epistolae, in reliquis Ecclesiis ad latus Evangelii.

[redacted]

perpendicular line drawn from the top of the back of the next pew ahead to the floor.

The middle aisle not less than 6 *feet, the side aisle* 5 *feet wide.*

(*Corporal* 18 *inch. sq.; pall* 6 *inch. sq.; purificator* 11 *x* 20 *inch.* —*Amice* 2 *x* 3 *feet.*)

ART. III.

DE VASIS SACRIS, ET SUPELLECTILI CALICIS.

10. *Calix* requiritur "qui debet esse aureus vel argenteus vel saltem habere cuppam argenteam intus inauratam;" aut ob paupertatem esse potest ex stanno.

2. Calix et patena debent esse chrismate consecrata. Amittit calix consecrationem, quando ad Sacrificium fit ineptus:

(*a*) Per fracturam;

(*b*) Si pes a cuppa separetur, nisi calix sit tornatilis;

(*c*) Si foramen fiat in fundo, ita ut vinum effluere possit;

(*d*) Per novam inaurationem; non vero antea, si inauratio per usum decidat. Pariter patena execratur per fracturam et novam inaurationem.

3. *Pyxis* seu *ciborium* et *lunula* ostensorii seu remonstrantiae[1] benedicenda sunt[2] formula Ritualis *Benedictio tabernaculi* etc. (i. e. ciborii) a Sacerdote habente facultatem benedicendi vestimenta etc.—Ex decreto S. R. Congregationis permitti potest ciborium ex cupro deaurato, item monstrantia et lunula.[3] Non decet sacram speciem inter vitreas laminas lunulae ita includere, quarum superficies illam immediate tangant.[4]

4. **Ornamenta calicis**: *Purificatorium, palla* et *corporale* quae ex lino vel cannabe confici debent, "interdicto et vetito aliorum usu, quae ex gossipio supererunt."[5] Palla et corporale, non vero purificatorium, benedicenda sunt. Convenit acu pingere Crucem in medio purificatorii et pallae (et in angulo manutergii), atque in centro corporalis.

Palla a parte superiore cooperta, panno serico, qui "non sit nigri coloris, nec referat aliqua mortis signa" permitti potest,

1 De quibus hoc loco agitur ob cognationem cum calice.

2 Probabiliori sententia.

3 D. 3162. 6

4 D. 3234. 4.

5 D. 2600. - V. n. 353 huj. Comp.

dummodo "palla subnexa, proprie dicta sit linea, munda et facile amovibilis." [6]

5. Prima lotio purificatoriorum, pallarum et corporalium fieri debet per clericum in Ordine sacro constitutum vel etiam ex hodierna consuetudine per clericum in Ordinibus minoribus tantum.[7] Aqua lotionis in sacrarium projicienda est.[8] Usus Corporalia amylo imbuendi retineri potest.[9]

6. Vasa sacra et linteamina sacra nondum lota laicis nuda manu tangere non licet, nisi ex privilegio, quod quibusdam concessum est e. g. fratribus laicis, praesertim sacristis, Ordinum Mendicantium, PP. Oratorii S. Phil.

7. *Velum calicis* et *bursa* sint ejusdem coloris ac casula; velum ex praecepto Rubricae debet esse sericum.[10]

Velum pyxidis *albi* coloris esse debet.

ART. IV.

DE VESTIBUS SACRIS.[1]

11. *Amictus* seu *humerale,* quo olim etiam caput tegebatur,[2] in ejus medio sit Crux acu depicta.

2. *Alba* a collo usque ad pedes defluens. Si pars albae inferior denticulato texto[3] decoretur, supra genua praedictum textum denticulatum non protendatur.[4] Amictus et alba ex lino vel cannabe esse debent.[5]

[6] D. 17. Jul. 1894, n. 3832. 4; et 24. Nov. 1905, n. 4174. 2.

[7] Scavini. "Utrum moniales seu piae foeminae vitam communem sub regula degentes possint cum licentia Ordinarii abluere corporalia, pallas et purificatoria? *Resp.* Negative." D. 3059. 26.

[8] Unaquaeque Ecclesia habeat sacrarium seu piscinam sacram, lateribus circumvestitam, operculo contectam, in quam lotio purificatoriorum, aqua baptismatis adhibita, etc., projiciuntur.

[9] D. 13. Feb. 1892, n. 3767. Add. IX.

[10] Etiam velum humerale Subdiaconi in Missa solemni sericum esse debet. Cf. Caer. Ep. I. 10. 5.

[1] Notas historico-practicas vide in App. II.

[2] Qui ritus a pluribus Religiosis adhuc servatur, qui amictum, vel caputium amictu involutum a capite solum deprimunt dum Missam vel aliam s. functionem sunt exorsuri.

[3] *Lace.*

[4] Falisc, etc.

[5] "Permiserunt vero [Emi. Patres] ut amictus, albae, tobaleae, mappulae, si quae ex gossipio habentur, adhiberi interea

[redacted]

3. *Cingulum*, quod sericum vel laneum et coloris paramentorum esse potest, sed congruentius est linteum et album.[6]

4. *Manipulus*, olim sudarium, quod Sacerdotes et ministri supra manum deferebant.

5. *Stola* quae a Presbyteris utroque humero super albam ante pectus in modum Crucis gestatur; inter vestes sacerdotales principalior habetur. ("Stola latior, qua utitur Diaconus, dum tempore Adventus et Quadragesimae deponit planetam plicatam, habere non debet intextas tres Cruces, sicuti habentur in stola communi." [7])

Stola adhibetur tantum in ministeriis, pro quibus per Rubricas aut Decreta permittitur, scil.:

(*a*) In Missa et in quavis tractatione SS. Eucharistiae atque in communione Sacerdotis et Diaconi tum intra tum extra Missam; item in adoratione SS. Sacramenti Sacerdotes et Diaconi stolam adhibere possunt.[8]

(*b*) In conficiendis et administrandis Sacramentis et Sacramentalibus, v. g. in Benedictionibus ex Rituali;

(*c*) In elatione corporis in exequiis et in Matutino et Laudibus immediate subsequentibus necnon in absolutione post Missam; Sacerdos potest sed non tenetur accipere stolam et pluviale ab initio officii Mortuorum, quod cantatur ante Missam.[9]

(*d*) In concione, ubi existit immemorabilis consuetudo.[10] "Extra Urbem concionator stolam adhibet" [11] coloris Officio diei respondentis (etiam 2. Nov.)[12] Oratio vero funebris fit sine stola et superpelliceo. [13]

(*e*) Ad Vesperas et Horas coram SS. Sacramento exposito; non vero in aliis Vesperis et Horis, nisi immediate sequatur expositio cum Benedictione Ssmi Sacramenti.[14]

(*f*) In Processionibus, sed per se ab Officiatore et Diacono tantum;

possint, usquedum consumantur, sed cum hujusmodi supellectilia renovanda erunt, ne ex alia materia fiant nisi ex lino vel cannabe, praeceperunt.'' D. 2600.

6 D. 2067. 6.

7 D. 3006. 7.

8 D. 2709. 2.

9 D. 3029. 4. 5.

10 D. 2682. 21.

11 Martinucci I. 302; V. 112. —Apud nos consuetudo non ubique adesse videtur.

12 D. 6. Feb. 1892, n. 3764.

13 D. 2888. 1.

14 D. 27. Maj. 1911, n. 4269.

(*g*) Permittitur Parochis quando collegialiter incedunt, v. g. simul convocati ad processiones, ad Synodum Dioecesanam.

(*h*) Capellanis qui cum suis Confraternitatibus in processionibus incedunt.

6. *Casula* seu *planeta,* olim vestis rotunda totum corpus a collo usque ad pedes ambiens; quare ad brachiorum libertatem intra s. actiones a s. Ministris revolvenda erat. Sacra Congregatio Rituum saepe illicitum declaravit usum casularum, aliorumque similium paramentorum sacrorum, ex telo gossypii, aut lini,[15] aut etiam lanae confectorum.[16]

12. *Dalmatica* pro Diaconis, et Tunicella pro Subdiaconis (habens aliquando manicas angustiores; at saepe promiscue adhibentur).

Dalmatica primitus erat et adhuc ordinarie est vestis solemnitatis et laetitiae; quare loco dalmaticarum planetae plicatae aliquando adhibentur.

2. *Planetae plicatae* (ante pectus) diebus poenitentialibus in Rubricis [17] enumeratis adhibentur in Ecclesiis praecipuis, i. e. Cathedralibus, Collegiatis, parochialibus, et Ecclesiis cum numerosa communitate religiosa;[18] in minoribus Ecclesiis sacri Ministri alba tantum induti ministrant, Subdiaconus cum manipulo, Diaconus etiam cum stola.[19]

3. *Pluviale,* seu *Cappa,*[20] antiquitus erat casula cum caputio, et a parte anteriori aperta, in processionibus contra pluviam vel frigus adhibita.[21]

Pluviale adhibetur a Presbytero assistente in Missa Pontificali, in processionibus, et in benedictionibus quae fiunt in Altari. Item in Officio Laudum ac Vesperarum solemni, et ad Absolutionem post Missam defunctorum.[22]

4. *Velum humerale* pro Subdiacono in Missa solemni debet esse coloris paramentorum; sed velum oblongum pro benedic-

15 D. 2769. 5. 3.

16 D. 23. Jun. 1892, n. 3779. 1. —Casula sit vestis mollis et longa (110 cm.), non quasi duplex tabula.

17 Tit. XIX. n. 6.

18 Martinucci II. 75.

19 Rubr. Miss.

20 Distinguenda a "Cappa magna" cum caputio pellibus vel serico subsuto, qua utuntur Cardinales et Episcopi.

21 Fornici, I. 12.

22 Rubr. Miss.

[redacted]

tione cum SS. Sacramento vel pro portando Sanctissimo in processionibus est coloris albi.

5. *Superpelliceum*[23] seu *cotta* est vestis clericis propria, quodam modo albae usum supplens et locum tenens, quare olim "alba romana" nuncupata est.[24] Habet manicas amplas.[25]

6. *Rochettum* brevius habensque manicas angustiores et integras, est indumentum Episcoporum et Praelatorum saecularium (non Regularium), vel alias privilegiatorum. Non est vestis sacra; proinde a Sacerdotibus etiam Canonicis et Parochis quocumque privilegio fruentibus superpelliceum ad Sacramenta administranda etc. imponendum est.[26]

7. *Biretum* nigrum tria cornua habere debet; angulus, qui caret cornu, auri sinistrae respondeat.[27] Bireto cum quatuor cornibus utuntur Doctores in actis tantum academicis, non vero in ecclesiasticis functionibus.[28]

Biretum imponitur:

(*a*) In accessu ad s. functiones et in recessu, non in actuali ministerio, nisi in Choro quando sedetur, Sanctissimo non exposito;

(*b*) In processionibus quae fiunt sine SS. Sacramento et sine Reliquia S. Crucis; Officiator et s. Ministri parati extra Sanctuarium, reliqui clerici extra Ecclesiam capite tecto incedunt;

(*c*) Potest caput tegi in concionibus, auditione Confessionum et ad Baptismi exorcismos. Non sit capite tecto, qui

23 V. n. 346.

24 Gardellini ad n. 4413 et 4563.

25 Martinucci in App. ad. l. IV. (citans ex opere Gavanti): "Superpelliceum manicis ita oblongis, ut crispatae usque ad digitos summos pertingant, longe ducantur infra genua." Ipse vero scribit: "Superpelliceum, cujus forma nunc multiplex atque ad merum ornamentum redactum est, cavendum ne tum forma tum etiam nimia elegantia indecens sit. Dissimulare non possumus quod quorumdam superpelliceorum ornamenta potius scenicis repraesentationibus, aut officinis ubi reticula et strophia proponuntur venalia, quam sacras functiones exercenti clero convenirent." (I. 7.) "Ob nimiam decurtationem ecclesiastica gravitas vilescit." (Fornici et De Carpo.) "Superpellicea absque manicis ad Liturgiam non pertinent." (Falise.)

26 D. 2993. 5; et 12. Jul. 1892, n, 3784. 2.

27 Cf. C. Plen. Balt. II. n. 150.

28 D. 2877. 1.

privatim extra ullas functiones sacras vel officium in Ecclesia versatur.

8. *Vestis talaris,* quae saltem talum pedis attingat,[29] est indumentum proprium Clericorum, quo in omni sacro munere obeundo uti debent;[30] Religiosi vero habitu sui ordinis.

13. Benedictio paramentorum seu vestium sacrarum. Benedici debent amictus, alba, cingulum, manipulus, stola, casula; congruenter benedici possunt dalmatica, tunicella, pluviale et superpelliceum. Velum, bursa, manutergium, antipendium et candelabra non benedicuntur.

2. Execrantur,

(*a*) Quando ita trita sunt, vel

(*b*) Quando forma propria ita privantur, ut usui suo servire non possint, v. g. quando manica plane separetur ab alba, licet statim conjungantur; si cingulum in tot partes rumpatur ut nulla cingere possit; si pars anterior casulae separetur a posteriori.

3. Vestes benedictae in usus profanos converti nequeunt, sed aut ad alium Ecclesiae usum adhibendae, aut comburendae et cineres in sacrarium projiciendi sunt.

ART. V.

DE COLORIBUS PARAMENTORUM.

14. "Paramenta Altaris, Celebrantis et Ministrorum debent esse coloris convenientis officio et Missae diei secundum usum Romanae Ecclesiae, quae quinque coloribus uti consuevit: Albo, Rubro, Viridi, Violaceo et Nigro." Proinde color flavus et caeruleus [1] prohibentur; at color rosaceus adhiberi potest in omnibus Missis in dom. III. Adv. et IV. Quadrages.[2] Quoad colorem ***aureum,*** **v. n. 363.9. huj.** Comp.[3]

2. Unus tantum color praedominari debet. "Num paramenta confecta ex serico, variis coloribus, et floribus intexta, ita ut vix dignoscatur color primarius et praedominans, usur-

29 Rubr. Miss.

30 C. Pl. Balt. II. 148, 149.

1 *Yellow and blue.* D. 2704. 4; et 23 Jun. 1892, n. 3779. 3.

2 D. 29 Nov. 1901, n. 4084. 3.

3 D. 3145. Sed "ad celebrandam Missam ornamentis uti non licet, quorum textura *vitrea* est mixta auro vel argento." D. 2949.

[redacted]

pari valeant mixtim saltem pro albo, rubro et viridi? *Resp.* Negative."[4] At S. Congregatio fecit potestatem Episcopo "indulgendi, ut in Ecclesiis pauperibus permittat illis uti donec consumentur."[5] "In paramentis nigris nullae imagines mortuorum vel Cruces albae ponantur."[6]

15. *Quo colore utendum sit?*

Color albus significat candorem vitae seu innocentiam, gloriam et gaudium. Adhibetur igitur in Missis et officiis Domini, etiam SS. Cordis et Redemptoris (except. Pretiosissimi Sanguinis etc. ut ad 2), in Missis[7] de tempore paschali, in Missis B. M. V., Angelorum, Sanctorum et Sanctarum non Martyrum, etiam in utraque Cathedra S. Petri et ad Vincula ejusdem, in conversione S. Pauli; in Missis votivis supradictorum et in Missa pro sponso et sponsa.

2. *Color rubeus* significat tum ignem charitatis S. Spiritus, tum sanguinem martyrii, qui flos praeclarissimus est charitatis.

Adhibetur in Missis de Spiritu Sancto, de Pretiosissimo Sanguine, de S. Cruce et Passione Domini, in festis principalibus Apostolorum, (etiam S. Joannis ante Portam Latinam, sed in festo principali S. Joannis, 27 Decembr. col. alb.) et Sanctorum ac Sanctarum Martyrum (exc. fest. S. Innocentium quando extra Dominicam occurrat).

In Missis votivis horum festorum et in votiva pro eligendo Summo Pontifice; at in votiva de Passione col. violaceus.

3. *Color viridis* significat spem et coeli desiderium, necnon christianos mores, qui verbo Christi seminati, ejus exemplo virescunt et crescunt. "Justi quasi virens folium germinabunt."[8]

Adhibetur in Missis de tempore ab octava Epiphaniae usque ad Septuagesimam et ab octava Pentecostes usque ad Adventum.

4. *Color violaceus,* qui quasi medius est inter rubeum et nigrum, denotat poenitentiam et jejunium etc. quo per Christi Sanguinem a morte peccati et inferni liberamur.

Adhibetur in Missis de tempore

[4] D. 2769. 5. 2.
[5] D. 2675.
[6] Caer. Ep. II. 11.
[7] Subintell. semper: et in officio.
[8] Prov. XI.

(*a*) Adventus,

(*b*) A Septuagesima usque ad Sabbatum Sanctum excepto Triduo sacro,

(*c*) Quatuor Temporum Septembris et vigiliarum quae (de jure) jejunantur, excepta vigilia Pentecostes;

(*d*) In Missis Litaniarum S. Marci et Rogationum;

(*e*) In Missis votivis de Passione Domini, pro quacunque necessitate, pro peccatis, ad tollendum schisma, contra paganos, tempore belli, pro pace, pro vitanda mortalitate, pro iter agentibus, pro infirmis, ad postulandam gratiam bene moriendi.

5. *Color niger* est signum mortis et tenebrarum.

Adhibetur feria sexta in Parasceve et in Missis et officiis defunctorum; nunquam autem Sanctissimo in Ecclesia publice exposito pro solemni Oratione Quadraginta Horarum, quo casu die Commem. omnium Fidelium Defunct. color violaceus adhibendus est.[9]

6. In Missa Dominicali infra octavam adhibetur color Dominicae non vero octavae seu festi exceptis Dominicis infra octavas Nativitatis, Epiphaniae, Ascensionis et Corporis Christi.[10]

Plura de coloribus vide in Rubr. Miss. Tit. XVIII; et n. 363 huj. Comp.

De colore pro benedictione SS. Sacramenti et in processionibus vide no. 217.

7. Si officium et Missa discordent, color Altaris sequitur officium; pro Missa vero solemni convenit, ut antipendium sit coloris paramentorum. Excipe Missam de Requie, si celebretur in Altari, in quo Ss. Sacramentum asservatur; quo in casu sacri Tabernaculi saltem Conopaeum esse debet violacei coloris.[11] Neque licet adhibere Pallium nigri coloris in Solemni Commemoratione et Exequiis Defunctorum ad Altare Smi. Sacramenti.[12]

8. Mutatio coloris fit pridie post Completorium, si color sequentis diei discrepet a colore Vesperarum praecedentium.

In Vesperis color illius officii adhibetur, de quo fiunt Vesperae integrae aut a Capitulo.

9 D. 3177; et 9. Jul. 1895, n. 3864. 4.

10 Novae Rubr. X. 4.

11 D. 1. Dec. 1882, n. 3562.

12 D. 3201. 10.

[redacted]

ART. VI.

DE MUNDITIA IN PARAMENTIS ET VASIS SACRIS.

16. "Cum ornamenta sacra ex negligentia sint scissa aut lacera, vel immunda, peccatur, quinimo mortaliter (scil. a Rectore Ecclesiae vel ab eo cui talis cura incumbit), si illa, praecipue vasa sacra et corporalia, sint valde immunda," [1] v. g. "dum vasa sacra prae aerugine et vestes prae sordibus quasi nauseam provocant, . . . a qua negligentia mortali vix excusare potest paupertas Ecclesiarum. Quoad vasa sacra parum cretae et vini adusti sufficit ad nitorem ipsis reddendum. Quoad lintea multum sordida paucis dealbationibus destruuntur." [2]

2. Valde commendanda est regula Synodi Pader.: "Omnia s. vasa, quae SS. Eucharistiae inserviunt, si argentea, aurea vel *inaurata* sint, *quotannis* saltem *bis*, circa festum Paschae et S. Michaelis intus et foris mundentur. Si fuerint *stannea*, singulis saltem *mensibus* diligentissime defricentur." [3]

3. Item ubique commendanda est monitio *Conc. Prov. Tuamensis* III.: "Negligentia circa munditiem Ecclesiarum rerumque ad cultum divinum spectantium, mentem de religionis et Altaris mysteriis vacillantem proclamat. . . . Solliciti sint omnes, pastor et populus, ut Altare niteat; ut ciboria et universa demum templi Dei supellex integra sit, munda et luculenta. Altaria cum suis mappis et ornamentis, ampullae, candelabra, uno verbo, quaecunque in Sacrificio offerendo adhiberi solent, semper nitida sint et integra. Quoniam vero, cum piorum offensione, maxima nonnunquam occurrit negligentia circa purificatoria et corporalia, declaramus quod nonnisi sex ad summum vicibus eodem purificatorio uti licet, antequam apte lavetur. Pariter *singulis mensibus laventur corporalia.* Quod ut facilius fiat, in quavis parochiali Ecclesia viginti ut minimum in promptu erunt purificatoria et corporalia, et duodecim saltem linteola, ad abstergendas manus in celebratione Missarum." [4]

[1] Auctores communiter.

[2] Romsée.

[3] Cap. 24, n. 3.

[4] Cap. 10.

ART. VII.

DE TEMPORE CELEBRATIONIS MISSAE.

17. *De hora celebrandi Missam.* Missa celebrari potest ab aurora usque ad meridiem, ita ut non finiatur ante auroram vel incipiatur post meridiem; potest vero paulum, imo tertia parte horae[1] ante auroram incipi et post meridiem terminari. Aurora incipit ante solis ortum diverse pro diversitate temporis anni et geographicae latitudinis. Generatim in America foederata variat inter unam et duas horas ante solis ortum.

2. Ex speciali Indulto Apost. per Episcopos nostros delegato Missa celebrari potest una hora ante auroram et una hora post meridiem.

Regulares etiam in Ecclesiis alienis justa de causa Missam celebrare possunt duabus horis ante auroram vel duabus horis post meridiem.[2] In Ecclesiis Regularium omnes Sacerdotes (etiam saeculares) duabus horis post mediam noctem et tribus horis post meridiem celebrare possunt.[3]

Eodem tempore, quo Missa celebrari, Communio in Ecclesia distribui potest, non autem nocte Nativitatis Domini nec in Missa solemni nec postea nisi speciale Indultum habeatur.

3. Media nocte Nativitatis Domini unica tantum Missa cantari potest, "nec licet cuicumque Sacerdoti ante auroram celebrare Missam privatam absque indulto Sedis Apostolicae."[4]

"Sacerdos qui in festo Nativitatis Domini unam tantum Missam celebrat, legat Missam, quae respondeat circiter horae juxta peculiares ejusdem diei Rubricas;" ita ut si celebretur in nocte, dicatur prima; si in aurora, secunda; si de die, tertia.[5]

[1] Bened. XIV.

[2] Rescr. Pii VI. 24. Jan. 1783 et 10. Maji 1785.

[3] Ex concessione PP. Redemptoristis facta.—In omnibus religiosis institutis, piis domibus et Clericorum seminariis publicum aut privatum oratorium, habentibus cum facultate Sacras Species habitualiter ibidem asservandi sacra nocte Nativ. Domini tres Missas celebrare et Sacram Communionem Christifidelibus ministrare licet. S.R.U.Inq. 1. Aug. 1907. Haec specialis facultas non valet pro Ecclesiis Religiosorum et Oratoriis, *si januae sint apertae,* tunc enim una tantum Missa dici potest sine distributione S. Communionis. S. Offic. 26. Nov. 1908.

[4] D. 2520. 1.

[5] D. 3354.

[redacted]

4. *Temporis spatium* pro Missa privata celebranda *saltem* tertia pars horae requiritur, uti Conc. Plen. Balt. II.[6] verbis Benedicti XIV. statuit: "Ne quis infra trientem Missam absolvere audeat." Si quis igitur infra *viginti minuta* Missam persolvat, peccat; imo juxta communem sententiam gravis peccati irreverentiae et scandali reus est, qui Missam, etsi breviorem, infra quadrantem absolvat.[7] De Missis nec brevioribus nec longioribus "cum probatis auctoribus putamus, quod spatium temporis necessarium, ut omnia Missae verba et caeremoniae secundum praescriptos ab Ecclesia ritus debite perficiantur, ad *mediam horam* (si induitio et exutio sacrarum vestium includantur) pertingere *debeat*." [8] Et "a veniali peccato vel potius a venialibus peccatis aut saltem defectibus vix excusant eum, qui notabiliter infra semihoram Sacrum absolvat nisi alia causa accedat; siquidem voluntarie impedimentum ponit, quominus eam devotionem per singulas Missae partes retineat, quae tantum mysterium summopere decet." [9] Sane intelligi nequit, ad quid quinque vel decem ista minuta semel per 24 horas Sacerdos festinando "lucrari" velit. Causae istius deflendae praecipitationis quatuor ab auctoribus recensentur:

(*a*) Ignorantia crassa s. Rituum et significationis eorum;
(*b*) Vita mundana Sacerdotis;
(*c*) Defectus verae et vivae fidei erga SS. Sacramentum;
(*d*) Inconsideratio et profunda oblivio maledictionum horrendarum quas Deus irreligiosis et impiis continuo intentat. "Hujusmodi corruptela [nimia festinatio et divexatio caeremoniarum] non quidem calamo sed lacrimis esset persequenda."[10]

ART. VIII.

DE INTENTIONE PRO SACRIFICIO MISSAE.

18. Intentio consecrandi seu "faciendi quod facit Ecclesia" saltem virtualis in Celebrante requiritur; et implicite adest, si Sacerdos se praeparat, vel induit vestes et ad Altare accedit.

[6] Decr. 363.
[7] S. Alph. VI. 400. Cf. Lehmkuhl, II. 220.
[8] Janssen, Bouvry.
[9] Lehmkuhl, l. c.
[10] S. Alph.

Consulenda est actualis intentio, e. g. dicendo Orationem *Ego volo celebrare* etc.

2. Intentio applicandi fructus ministeriales, (quia fit per modum donationis,) habitualis sufficit.

Haec intentio in se seu objective determinata esse debet, quamvis Celebrans eam explicite non cognoscat; e. g. ad intentionem a Superiore pro hac die mihi assignatam; vel ad intentionem quae prior in libello meo inscripta est.

3. Conditiones rationabiles a dante stipendium ex justitia implendae sunt. Quare, si data eleemosyna, fidelis praescribat locum, Ecclesiam, Altare, etc., Presbyter celebrans Missam tenetur ejus praescriptis se conformare.[1] Fundationes Missarum factae Ecclesiae vel Capellae determinatae, non possunt ad alteram Ecclesiam vel Capellam transferri, absque indulto Summi Pontificis.[2]

4. Intentiones igitur a fidelibus oblatae caute in speciali libro secundum circumstantias et ordinem inscribendae sunt, ne forte justitia graviter laedatur vel ipsum stipendium restitui debeat.[3]

En exemplar tabellae intentionum. Signum + indicat intentionem jam persolutam.

			Dicenda.	*Dicta.*
8 Jan.	1 ad int. dantis (petentis)		. . . .	. . .
"	+in hon. B. M. V.		. . .	9 Jan.
"	1 " "		. . .	. . .
15 Jan.	1 pro defto N. (annivers.) .	*publ.* .	20 Jan.	. . .
"	+pro deftis familiæ N. . .	*publ.* .	18 Jan.	18 Jan.
"	1 " "	" .	. . .	. . .
"	+pro infirmo N.	*moa*	. . .	16 Jan.
"	+ "	"	. . .	17 Jan.

1 D. 924. 1.

2 S. C. C. Falise, p. 380.

3 Cf. Moralistas et D. 13. Jun. 1899, n. 4031. 4.

CAPUT II.

DE PARTIBUS MISSAE MOBILIBUS.[1]

ART. I.

DE PS. JUDICA, INTROITU ET GLORIA.

19. *Ps. Judica* omittitur in Missis de tempore a Dominica Passionis usque ad Coenam Domini incl.

2. *Introitus* omittitur in Missa Sabbati sancti et in Missa cantata Vigiliae Pentecostes cui praemittuntur Prophetiae. Tempore paschali in omnibus Missis, quae non sunt de Requie, adduntur duo *Alleluja* ante Versum. Omittitur *Gloria Patri* ad Introitum (et *Lavabo*), quando Ps. *Judica* omittitur.

3. *Gloria* seu hymnus angelicus dicitur (in Missa conformi officio), quando in Matutino dictus est hymnus *Te Deum,* praeterquam fer. V. in Coena Domini et Sabbato sancto; i. e. in omnibus festis (exc. S. Innocentium) et in Dominicis extra Adventum et extra tempus a Septuagesima usque ad Pascha, necnon in omnibus Missis ferialibus temporis paschalis.

ART. II.

DE ORATIONIBUS SEU COLLECTIS.

20. Orationes quae principali Orationi Missae adduntur, *commemorationes* vocantur. Sunt aut speciales aut communes. Commemoratio specialis, quae proprie commemoratio dicitur, plerumque correspondet commemorationi in officio (ad

[1] Missale dividitur, praemissis Constitutionibus S. P., Decretis S. R. C., Kalendario, Rubricis etc. (similiter ut Breviarium,) in has partes: 1° Proprium Missarum de tempore usque ad Dominicam Resurrectionis. 2° Ordo Missae. 3° Proprium Missarum de tempore a D. Resurrectionis usque ad Adventum excl. 4° Proprium Missarum de Sanctis. 5° Commune Sanctorum (incl. Dedicat. Eccl.). 6° Missae votivae. 7° Orationes diversae. 8° Missae pro defunctis, et Orationes diversae pro defunctis. 9° Benedictiones (aquae etc.) diversae. 10° Appendix: Missae pro aliquibus locis.

NOTA.—Non agitur hoc capite de Missis Defunctorum seu *de Requie*, quae ob occurrens festum etc. nunquam mutantur.

Laudes) factae; commemorationes communes sunt eae quae 2° vel 3° loco certis diebus (ritus semiduplicis vel simplicis) adduntur, si commemorationes speciales deficiant. Cuicunque Orationi in Missa respondet *Secreta et Postcommunio.*

2. *Numerus Orationum.* Si commemorationes speciales non occurrant:

(*a*) In duplici dicitur una Oratio;

(*b*) In semiduplici dicuntur tres nec plures addi possunt;

(*c*) In simplici, feriis et votivis privatis dicuntur tres; sed quinque vel septem dici possunt;

(*d*) Duae Orationes dicuntur tempore Passionis in Missis de tempore, (de ea), infra octavas Paschae et Pentecostes, atque in Dominicis infra octavas. Dom. Palmarum, et vigiliae Nativitatis Domini et Pentecostes aequiparantur dupl. 1ae cl.;

(*e*) Tertia oratio de tempore addenda non est si in Missa (sive votiva, sive de feria, vel vigilia) fiat commemoratio duplicis (etiam simplificati).[1]

3. *Commemorationes communes*, seu Orationes 2° vel 3° loco dicendae in Missis de tempore per annum, et in festis semiduplicibus [2] ac simplicibus:

	2a *Oratio.*	3a *Oratio.*
(*a*) A Dominica I. Adventus usque ad Purificationem B. M. V., et ab octava Paschae usque ad Pentecosten.	B. M. V.	*Ecclesiae* vel pro Papa.
(*b*) A Purificatione [3] usque ad Quadragesimam, et ab octava Pentecostes usque ad Adventum.	*A cunctis.*	ad libitum.
(*c*) A feria IV. Cinerum usque ad Dominicam Passionis.	*A cunctis.*	*Omnipotens.*
(*d*) A Dom. Passionis usque ad feriam V. in Coena Domini.	*Ecclesiae* vel pro Papa.	
(*e*) Infra octavas Paschae et Pentecostes	*Ecclesiae* vel pro Papa.	
Infra octavas B. M. V., in vig. et octava omnium SS.	De Spiritu S.	*Ecclesiae* vel pro Papa.
" " reliquas et in vigiliis.[4]	B. V. M.	*Ecclesiae* vel pro Papa.

[1] D. 12. Maj. 1905, n. 4157. 2; et 22. Mar. 1912, ad 5.

[2] Si tempore Adventus, Quadragesimae aliisve feriis majoribus fiat de festo semiduplici, 2a Oratio est de feria, 3a est illa quae alias 2° loco dicenda esset.

[3] Nempe a secunda die Febr., licet transferatur festum. (D. 2148. 1.)

[4] Eae vig. quae (de jure) jejunantur, exceptis vig. Nativitatis Domini et Pentecostes.

[redacted]

Oratio B. M. V. est illa, quae convenit tempori, ut in quinque votivis B. M. V. vel alibi in Missali, nempe in Adventu *Deus qui de beatae,* post Nativitatem D. *Deus qui salutis,* post Purificationem *Concede.*

Oratio ad libitum seligi potest ex "Orationibus ad diversa" vel ex quacunque Missa quae tanquam votiva dici potest. (Cf. de Orationibus in Missis votivis n. 28.)

4. Hae Orationes communes adhibentur ad supplendum numerum Orationum a Rubricis praescriptum ternarium (vel binarium); omittuntur, si commemorationes speciales faciendae sunt. Si una tantum commemoratio fiat, tertio loco dicitur Oratio, quae alias secundo loco ponitur, etiam in festis semidupl. tempore Passionis.

21. "**Commemorationes speciales** in Missa fiunt sicut in Officio" ad Laudes. Paucae exceptiones ab hac regula generali sequentibus proponuntur.

2. Vigilia occurrens in feria majori et feriae III. et IV. Rogationum commemorantur in Missa, non vero in Officio. Quadragesimae, Quatuor Temporum Septembris et feria II. Rogationum.

3. Commemoratio simplicis, atque Oratio pro Papa in anniversario electionis et coronationis, et pro Episcopo in anniversario Consecrationis (vel translationis) Episcopi[5] similem regulam sequuntur, scil.

I. In dupl. maj. et inferiori ritu semper dicuntur sub distincta conclusione;

II. In dupl. 1[ae] cl. et aequivalentibus (Dominica Palmarum et vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, atque in M. votiva solemni) omittuntur;

[5] **Ex Missa votiva Anniv. ejusdem, additis nominibus Episcopi et Dioecesis.—Utrumque Anniversarium Electionis et Consecrationis (vel. Transl.) praeceptivum est "accedente mandato Episcopi." D. 3078.**

Quando Anniversarium consecrationis Episcopi accidentaliter impediatur Festo primae classis, eo anno omittitur; quando quotannis impediatur festo 1. cl., vel si eodem die occurrat anniversarium S. Pontificis, reponitur in die sequenti. Si occurrat die 24. Dec. assignatur diei proximiori ante diem 24, duplici 2. cl. non impeditae. D. 3762; 3792; 3824. 1.

III. In dupl. 2ae classis vero:

(*a*) De simplici fit tantum in Missa privata, non vero in Missa cantata et conventuali (in Officio ad Laudes tantum);

(*b*) Oratio pro Papa vel pro Episcopo dicitur sub unica conclusione cum Oratione Missae (tam in Missis cantatis, quam privatis) nisi adsit commem. cui tunc conjungitur.

4. *Oratio imperata*[6] praescribi solet aut *ordinarie* aut *pro re gravi*.

(*a*) Si *ordinarie* praescripta est, omittitur: 1° in festis et Dominicis 1ae et 2ae cl.; 2° infra octavas privilegiatas Nativitatis, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes et Corporis Christi; 3° in vigiliis Nativitatis et Pentecostes; 4° quando jam quatuor orationes a Rubricis praescriptae sunt.

(*b*) Imperata *pro re gravi* vel *simpliciter* vel etiam *pro duplicibus 1 cl.* praecipitur. 1° Si est *simpliciter* praescripta omittitur in omnibus duplicibus 1 cl., in Vigiliis Nativitatis Dni et Pentecostes et in Dom. Palmarum. 2° Si etiam pro *duplicibus 1 cl.* praecepta est, omittitur tantum in Nativit. Dni, Epiphania, Fer. V. in Coena Dni, Sabbato Sancto, Dom. Resurrectionis, Ascensione, Dom. Pentecostes, Festis Ssmae Trinitatis et Ssmi Corporis Christi.[7]

Si Oratio imperata sit pro re gravissima, in dupl. 1ae cl. dicitur sub unica conclusione, nisi adsit alia commemoratio, in dupl. 2ae cl. etc. sub sua conclusione. Numquam Oratio imperata vel quaevis commemoratio pro vivis dicitur in Missis defunctorum. Oratio vero imperata pro defuncto omittitur in semiduplici et aequivalenti, necnon in illis Missis de Requie, quae unam tantum Orationem admittunt.

Ob Orationem imperatam nulla Oratio a Rubricis praescripta, nec "tertia ad libitum" omitti potest. Diebus quibus Oratio *Ecclesiae* vel pro Papa praescribitur, si alterutra sit imperata utraque dicenda est, imperata quidem ultimo loco.

[6] Scil. a summo Pontifice vel Episcopo praescripta. Sacerdotes alienae Dioecesis obligantur etiam ad dicendam orationem praescriptam ab Episcopo loci, ubi celebrant." (S. R. C. 5 Mar. 1898, Dubium, n. 3985.)

[7] Nov. Rubr. XI; et D. 23. Dec. 1914. Praescriptis (scil. sub. (*a*) 4°) adnumerantur etiam Orationes de Sanctissimo, pro Papa vel Episcopo in anniversariis electionis, consecrationis, coronationis. D. 21. Jun. 1912 ad 5. Quando duae collectae imperatae sunt, ambae dicendae sunt post 3. orationem. D. 22. Mar. 1912. 11.

[redacted]

5. *Oratio de SS. Sacramento:*

(*a*) In Missis cantatis ad Altare Expositionis } semper dici debet.

(*b*) In M. cantata ad aliud altare et in M. privata ad quodcumque altare {
1° dici nequit { in festis 1. et 2. cl.; in Dom. Palmarum; in Vigiliis Nativitatis et Pentecost.
2° dici debet aliis diebus in oratione 40 horarum;
3° dici potest aliis diebus extra orationem 40 horar.[8]

(*c*) In festis ritus duplicis 1ae et 2ae classis, in Dominica Palmarum, in vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes et in votivis solemnibus sub unica conclusione, nisi alia commemoratio (v. g. Dominicae) sub distincta conclusione facienda sit, cui in hoc casu adjungitur.[9]

In aliis diebus fit semper sub distincta conclusione, et post Orationes a Rubricis praescriptas, sed ante imperatas.[10]

(*d*) Commemoratio Ss. Sacramenti in Missa coram eodem exposito omittenda est ob identitatem mysterii in festis Passionis, Crucis, Ss. Redemptoris, S. Cordis Jesu et Pretiosissimi Sanguinis.[11]

De Orationibus etc. in Missa expositionis ac repositionis et in Missa pro pace in Devotione 40 Horarum vide n. 221, 3.

6. Oratio *Fidelium* (pro omnibus defunctis) dicenda est extra tempus Adventus, Quadragesimae et Paschae, prima mensis die, in qua non occurrit officium duplex vel semiduplex; item in feriis secundis per annum similiter (i. e. officio 9 lectionum) non impeditis, extra tempus Quadrag. et Paschae, (dicitur feriis 2 Adventus). Oratio *Fidelium* penultimo loco dicenda est. Dictis feriis in Ecclesiis Cathedr. et Collegiatis (ubi adest obligatio Chori) dicenda est M. conventualis pro defunctis Sacerdotibus et benefactoribus istarum Ecclarum.

Oratio pro defunctis, sive omnibus sive determinatis, addi potest in Missis Festorum simplicium et in Ferialibus;[12] et

[8] Van der Stappen, Sacr. Liturg.
[9] D. 2461. 3.
[10] D. 3328. 2; et 3436. 3.
[11] D. 3. Jul. 1896, n. 3924. 4.
[12] D. 1322. 8.

[redacted]

dici debet penultimo loco, nec omittenda ulla ex Collectis pro tempore assignatis. V. n. 34. 5.

22. Ordo Orationum: I. Collecta principalis Missae; II. commemoratio specialis; III. commemorationes communes, seu Orationes 2° vel 3° loco dicendae, (in ritu semiduplici vel simplici, si commemorationes speciales faciendae non sint;) IV. Oratio seu Collecta imperata.

Quando plures commemorationes faciendae sint, "hic ordo servetur: 1° de Dominica qualibet vel de Vigilia Epiphaniae; 2° de die infra Octavam Epiphaniae aut Corporis Christi; 3° de die Octava Duplici majori; 4° de Duplici majori; 5° de Duplici minori; 6° de semiduplici; 7° de die infra Octavam Nativitatis Domini vel Ascensionis; 8° de die infra Octavam communem; 9° de Feria VI. post Octavam Ascensionis; 10° de Feria majori; 11° de Vigilia communi; 12° de die Octava Simplici; 13° de Simplici."[13]

Orationes de SS. Sacramento aliaeque, si addendae sint, hoc ordine sequuntur: 1° de SS. Sacramento; 2° Oratio in anniversario Papae vel Episcopi; 3° Oratio imperata; 4° Orationes votivae ad arbitrium Celebrantis (in simpl. et Missis votivis privatis, usque ad numerum 5 vel 7).

2. In Oratione *A cunctis* ante S. Apostolos semper nominandus est S. Joseph[14] per verba *cum beato Joseph.* Ad literam *N.* nominatur Sanctus Titularis[15] Ecclesiae vel Oratorii seu Capellae solemniter benedictae, in qua celebratur. (Regulares addere possunt nomen sancti Fundatoris sui, "dummodo Titularem non omittant; servato tamen ordine dignitatis."[16]) Sacerdote celebrante in Oratorio publico vel privato quod non habet S. Patronum vel Titularem, in Oratione *A Cunctis* ad litteram *N.* Patronus Civitatis vel Loci nominandus est.[17] Si Titularis Ecclesiae in hac Oratione *A cunctis* vel in alia Oratione Missae jam exprimatur, omittenda est nova nominatio, et aut nullus Sanctus ad lit.

[13] Nov. Rubr. VII. 5. Si in Missa de feria sint plures lectiones, ejus commemoratio fit per Orationem quae ante primam lectionem posita est.

[14] Patronus Ecclesiae universalis, per Decr. Pii IX. 7. Jul. 1871.

[15] De Titulari et Patrono vide infra n. 247.

[16] D. 2. Dec. 1891, n. 3758.

[17] D. 2814. 1.

[redacted]

N. nominandus, aut pro Oratione *A cunctis* substituitur Oratio prima inter diversas, aut nominatur Patronus loci vel Dioeceseos. Sancti in hac Oratione *A cunctis* ponuntur juxta ordinem Litaniarum, i. e. post B. M. V. (*a*) S. Angeli, (*b*) S. Joannes Bapt., (*c*) S. Joseph, (*d*) Apostoli.

3. *Commutanda* est Oratio cum alia de Proprio vel Communi convenienti, si sit eadem cum Oratione quae in Missa dicta jam est. Loco Or. *Deus refugium nostrum* substituitur sequens 13ª inter Orationes diversas *Ne despicias.*[18]

4. *Cognomina* Sanctorum, e. g. Magnus, Seraphicus, Salesius, vel patria in Orationibus exprimenda non sunt. Sed dicuntur nomina duplicia, e. g. Petrus Coelestinus, Joanna Francisca, necnon Joannes Chrysostomus et Petrus Chrysologus.

5. *In conclusione* Orationum hic modus servatur:

(*a*) Si Oratio dirigatur ad Patrem, concluditur: *Per Dominum nostrum* etc.; si autem fiat mentio Filii in principio aut medio Orationis (e. g. Dei cum addito Genitricis M.), concluditur *Per eumdem Dominum nostrum* etc., si in fine fiat mentio Filii, concluditur: *Qui tecum vivit* etc.

(*b*) Si Oratio dirigatur ad Filium, concluditur: *Qui vivis et regnas cum Deo Patre* etc., vel *eodem D. P.,* si fiat mentio Patris.

(*c*) Si in Oratione facta sit directa mentio Spiritus Sancti, in conclusione dicitur: *In unitate ejusdem Spiritus Sancti.*

Quando plures Orationes dicuntur, concluditur prima et ultima; *Oremus* dicitur ante primam et secundam. Pro pluribus Orationibus sub unica conclusione adhibenda est illa conclusio quae ultimae tantum convenit.

6. Extra Missam et Horas canonicas Orationes brevi conclusione concluduntur, nisi aliter notetur; proinde, si Oratio dirigatur ad Patrem, concluditur: *Per Christum Dominum nostrum,* vel, si fiat mentio Filii: *Per eundem Ch. D. N.;* si dirigatur ad Filium: *Qui vivis et regnas in saecula saeculorum;* vel *Qui vivis et regnas per omnia saecula saeculorum;* nisi alia conclusio notetur.

[18] Quando Or. *A cunctis* dicenda est 2° loco, Or. *Defende* pro Congr. et Familia eligi nequit. D. 13. Feb. 1892, 3767. 24.

ART. III.

DE EPISTOLA USQUE AD OFFERTORIUM.

23. Post Epistolam, et similiter quando leguntur plures Lectiones post singulas dicitur *Deo Gratias,* praeterquam in fine quintae Lectionis Danielis in Sabb. 4 Temp. et in fine Lectionum feriae VI. in Parasceve et Sabbati Sancti.

2. *Graduale* semper dicitur, exceptis Sabbato Sancto et tempore paschali a Sabbato in Albis usque ad festum SS. Trinitatis; tunc ejus loco dicuntur duo versus et quatuor Alleluja.

3. *Tractus* jungitur Graduali a Septuagesima usque ad Pascha omnibus Dominicis et in Missis festivis atque votivis; item omnibus feriis II. IV. et VI. Quadragesimae.[1] "Tractus Missae conventualis integre canendus quum Organum non pulsatur."[2]

4. *Sequentia* seu Prosa omittenda est in Missis votivis. Dum cantatur a Choro, recitatur submissa voce a Celebrante, non vero alternatim cum s. Ministris.[3]

5. *Evangelium* Missae respondere debet homiliae officii diei; si festum habens proprium Evangelium in Missa transferatur ad tempus paschale, hoc idem Evangelium erit dicendum, secus de communi illius temporis (e. g. Martyrum tempore paschali).

6. *Symbolum* seu *Credo* certis diebus recitatur ratione mysterii, vel doctrinae, vel celebritatis.

(*a*) Ratione mysterii in eodem contenti, ut in festis Domini, quibus adnumeratur Dedicatio Ecclesiae, in festis B. M. V., in Dominicis (ob memoriam Resurrectionis Domini).

(*b*) Ratione doctrinae verbo et scripto annuntiatae atque traditae, ut in festis Apostolorum et Doctorum, atque S. Mariae Magdalenae, quae "fuit Apostolorum Apostola, cum fuerit omnium prima, quae Resurrectionis gaudium annuntiavit Apostolis."[4]

[1] Nota Rubricam in Communi Sanctorum: "Post Septuagesimam omissis Alleluja et Versu seq. dicitur Tractus;" *non* igitur omittitur *Graduale,* quod *praecedit* Versui *Allelujatico.*

[2] D. 3108. 14.

[3] D. 1490. 2; et 2956. 7.

[4] Innoc. III.

[redacted]

(*c*) Ratione celebritatis, ut in festis Patronorum principalium,[5] et aliis propriis locorum et Ecclesiarum ad quae fit extraordinarius concursus populi;[6] in festo Titularis Ecclesiae et Oratorii solemniter consecrati vel benedicti. Singula proponuntur Rubr. Titulo XI.

Credo etiam addi debet, si festum 2. cl., quod per se symbolum non admittit cadit in festum dupl. maj. vel min., quod jus ad symbolum habet.[7]

7. Memoriae juvandae datur regula: **DAP** *credit*, **MUC** *non credit*, i. e. habent, aut non habent *Credo*. **DAP**: Per *D* significantur festa *D*omini, *D*ominae B. M. V., *D*ominicae, festa *D*octorum Ecclesiae. Per *A* significantur festa *A*ngelorum et *A*postolorum. Per *P* festa principalia *P*atronorum vel Titularium principalium (non secundariorum) Ecclesiae; dicitur *Credo* quando in ipsa Ecclesia Tituli celebratur, non extra eam, nisi aliter Titulari (e. g. Apostolo) debeatur *Credo*. In festis Patroni civitatis etc. dicitur *Credo* in omnibus Ecclesiis et Oratoriis civitatis etc. **MUC** non credit: per *M* significantur festa *M*artyrum; per *U* (alias *V*) festa *V*irginum et non *V*irginum, per *C* festa *C*onfessorum.

8. A Regularibus dicitur *Credo* in festis principalibus Ordinis, i. e. Fundatorum seu Institutorum Ordinum. Nomine festorum principalium pro toto Ordine Minorum veniunt etiam festa Ordinis quae sub ritu dupl. 1ae vel 2ae classis celebrantur (ex praescripto peculiari Missalis approb. anno 1864, et ex praxi antiqua).

Item Benedictinis permissum est, ut usum retinere possint addendi Symbolum in festis Sanctorum Ordinis v. g. S. Mauri, S. Scholasticae, S. Placidi et S. Gertrudis ratione ritus secundae classis.

Praeterea *Symbolum* dicitur: (*a*) in festis secundariis Patronorum Dioecesis, Fundatorum Ordinis et Titularis Ecclesiae;[8] (*b*) in festis Sanctorum (vel Beatorum ex Indulto), de quibus habetur insignis Reliquia, at in ipsa Ecclesia tantum; (*c*) in omnibus festis, quae infra octavas celebrantur, in quibus ratione octavae dici debet.

[5] In utroque festo S. Joseph.
[6] D. 1228. Merati.
[7] D. 21. Jun. 1912.
[8] D. 10. Nov. 1906, n. 4192. 4.

ART. IV.

DE OFFERTORIO USQUE AD COMMUNIONEM.

24. *Offertorio* tempore Paschali additur *Alleluja* ubi non habetur.

"Quum pulsatur Organum, in Missa cantata Offertorium et Communio dici possunt submissa voce [recitando], sed non omitti." [1]

2. *Secretae* dicuntur eodem numero et ordine uti Orationes ante Epistolam, sed absque *Oremus*.

3. *Praefationes* dicuntur ut in Ordine Missae annotatum est. Seligendae sunt hoc ordine:

(*a*) Propria Missae,
(*b*) Propria Officii occurrentis,
(*c*) Propria Octavae,
(*d*) De tempore,
(*e*) Communis.

Itaque: (*a*) Praefatio propria dicenda est, si Missa propriam habeat; excipitur festum S. Joannis, 27 Dec., habens Praef. de Nativitate D.

In Missis de *Dominica* adhibenda est Praefatio de Ss. Trinitate, utpote Dominicae propria, nisi adsit propria Temporis Quadragesimae, Passionis, Paschalis vel octavae alicujus festi Domini.[2]

In Missis de *feria* tempore Quadragesimae, Passionis, Paschali dicenda est Praefatio temporis non festi propriam habentis.[3]

(*b*) Si Missa non habeat propriam Praefationem, dicatur Praefatio propria officii occurrentis, licet tantum commemoretur.[4] In occursu plurium commemorationum sumenda est de Officio prius commemorato.[5]

(*c*) Si Praefatio officio propria desit, dicatur Praefatio propria octavae, quamvis nulla fiat commemoratio octavae.

(*d*) Quodsi talis octava non occurrat, dicenda est Prae-

[1] D. 2994. 2.

[2] Nov. Rubr. X. 4; et D. 30. Dec. 1911, n. 4283.

[3] D. 19. Apr. 1912. ad 12.

[4] Etiam de Beata, si in Sabbato Officium B. M. V. agatur. D. 19. Apr. 1912.

[5] D. 24. Maj. 1912.

[redacted]

fatio propria temporis, videlicet Quadragesimalis, Passionis, vel Paschalis.

(*e*) Si non habeatur Praefatio propria Missae, nec officii occurrentis, nec octavae, nec temporis, dicitur communis.

4. *Communicantes* vel *Hanc igitur* proprium dicitur per resp. octavas in omnibus Missis non *de Requie,* etsi nulla fiat commemoratio octavae nec Praefatio octavae dicatur.

ART. V.

DE COMMUNIONE USQUE AD FINEM.

25. *Communioni* tempore paschali additur *Alleluja* ubi non habetur.

2. *Postcommuniones* correspondent Orationibus ante Epistolam numero, ordine etc.

3. *Ite Missa est* dicitur, quando dictum est *Gloria,* et a Sabbato sancto usque ad Sabbatum in Albis incl. in Missis festivis (non vero in votivis solemnibus) adduntur duo *Alleluja.* Cum non dicitur *Gloria,* dicitur *Benedicamus Domino* (etiam a Celebrante, quamvis cantetur a Diacono).

4. *Ultimo Evangelio* S. Joannis substituitur in festis Evangelium proprium Dominicae vel feriae majoris vel vigiliae occurrentis, de qua commemoratio facta est.

Excipitur (*a*) Dominica quarta Adventus, cujus Evangelium non legitur in fine Missae, quando in ea occurrit vigilia Nativitatis Domini;

(*b*) Tertia Missa Nativitatis Domini et Missa privata Dominicae Palmarum;[1]

(*c*) Legitur Evangelium S. Joannis, quando Evangelium feriae idem est ac Evangelium festi; item in binis Missis conventualibus de festo et de feria vel vigilia.

[1] Vide Rubr. Miss. in l. propr.

CAPUT III.

DE QUIBUSDAM MISSIS IN PARTICULARI.

ART. I.

ANIMADVERSIONES GENERALES.

26. Missa in Rubricis Missalis dividitur:

1° In Missam "secundum ordinem officii," seu conformem officio diei, et in Missam "extra ordinem officii," seu non conformem, quae est aut Missa votiva aut pro defunctis seu *de Requie*.

2° In Missam conventualem et non conventualem. Conventualis est ea, quae in Ecclesiis cathedralibus et Collegiatis quotidie choro praesente celebranda est juxta ordinem officii et conformitatem temporis.

3° In Missam privatam seu lectam, in Missam cantatam (absque sacris Ministris), et in Missam solemnem, seu celebratam cum Diacono et Subdiacono.

ART. II.

DE MISSIS VOTIVIS.

27. A. Quaenam sint Missae votivae?

Missa votiva stricto sensu dicitur ea, quae extra ordinem officii diei celebratur quin a Rubricis praescribatur. Dicitur votiva quia celebratur ex voto seu devotione Celebrantis vel petentis. Sensu latiori etiam dicitur Missa votiva quae officio non correspondet, sed a Rubricis praescribitur, uti Missa principalis de S. Maria in Sabbatis Adventus, et quae de festo, per indultum Apost. quoad solemnitatem translato, in sequenti Dominica celebratur, de qua no. 252.

2. Missa votiva stricte dicta, de qua sola hic agitur, dividitur in solemnem et privatam.

Missa votiva *solemnis* est ea, quae cantatur pro re gravi vel publica Ecclesiae causa, et ex indictione vel licentia Ordinarii.

Missa votiva *privata* est ea, quae pro re non gravi vel sine indictione Episcopi celebratur, etsi cantetur cum Diacono et Subdiacono.

Causa gravis et sufficiens pro Missa votiva solemni est impetratio beneficii communis, uti pacis, pluviae, serenitatis, vel avertenda afflictio communis, uti belli, pestis, vel recuperanda sanitas Summi Pontificis, Episcopi, vel electio Superioris Ordinis vel Provinciae in comitiis generalibus vel provincialibus apud religiosos;[1] non vero causa gravis et sufficiens censetur electio abbatissae, vestitio vel professio religiosa, primitiae Neo-presbyteri, Jubilaeum 50 annorum, novena, Missa pro sponso et sponsa.[2]

Pro Missa votiva privata sufficit quaevis rationabilis causa, uti petitio dantis eleemosynam, specialis devotio Celebrantis erga Mysterium vel sanctum; non vero ut Sacerdos cito se expediat.[3]

3. **B. Quaenam Missae tanquam votivae celebrari possint?** (*a*) Missae in fine Missalis[4] tanquam "votivae" assignatae, nempe novem istae "de SS. Trinitate, Pro gratiarum actione etc."; et tredecim "pro eligendo Summo Pontifice, in Anniversario electionis et consecrationis Episcopi etc."[5]

(*b*) De Sanctis quibuscunque canonizatis in Martyrologio relatis,[6] aut quibus a S. Sede specialiter Missa festiva concessa est.—Item de Angelis.

De *Beatis* vero absque speciali indulto Apostolico celebrari nequeunt, etsi Missa festiva concessa fuerit.

(*c*) Missae festivae de B. Maria Virgine sequentes solummodo tanquam votivae celebrari possunt: 1° Immaculatae Conceptionis (*Gaudens gaudebo*, in cujus Secreta loco *Solemnitate* dicitur *Commemoratione*). 2° Septem Dolorum (feria VI. post Dominicam Passionis, cum Oratione propria ibi posita, et sine Sequentia). 3° Purissimi Cordis, ubi hoc

1 D. 3009. 6.

2 Varia decreta S. C. R.

3 Merati I. 4, 3.

4 Missae votivae per annum Officiis votivis, anno 1883 introductis, respondentes omnino suppressae sunt. Novae Rubr. VII. 1.

5 Quae Missa votiva solemnis, accedente mandato Episcopi, cantatur in Cathedralibus et collegiatis tantum; in aliis Ecclesiis fit commemoratio (v. no. 21, 3).

6 D. 30. Jun. 1896, n. 3922. III. 1.

festum concessum est. 4° Apparitionis B. M. V. Immaculatae (11. Feb.).[7]

"Missae sub variis titulis B. M. V., e. g. Montis Carmeli, SS. Rosarii, Boni Consilii, Auxilii Christianorum, Puritatis etc. nunquam dici possunt uti votivae."[8]

Si Missa in honorem B. M. V. sub his aliisve titulis petatur, dicenda est una ex quinque votivis B. M. V. juxta diversitatem temporis anni.

(*d*) Missae de Mysteriis (praeter eas quae in fine Missalis ponuntur ut supra ad *a*) illae tantum uti votivae dici possunt, in quibus per decursum Missalis assignatur, quomodo Missa festiva pro votiva dicenda sit, nempe: 1° SS. Nominis Jesu;[9] 2° Pretiosissimi Sanguinis; 3° SS. Cordis Jesu; 4° SS. Redemptoris (ubi concessa est haec Missa et officium). Missae de aliis Mysteriis, et Missae de Dominicis vel de feriis vel de vigiliis per annum tanquam votivae celebrari non possunt. Si Missa de tali Mysterio petatur, celebranda est aut Missa votiva SS. Trinitatis[10] aut Missa diei intentione colendi illud Mysterium. Si Missa petatur in honorem Pueri Jesu, cujus Imago Pragis colitur, Missa Festi SS. Nominis Jesu (inter Circumcis. et Epiph.) sumi poterit.[11]

In Dioecesibus, in quibus Societas Propagationis Fidei instituta est, dici potest diebus non impeditis Missa votiva *pro Fidei propagatione.*

"Quodsi, occurrente aliqua gravi et urgente necessitate, Missa specialis in Missali deficiat, dicatur Missa *pro quacumque necessitate;* et hujus Orationi sub unica conclusione superaddatur Collecta, si quae sit, necessitati relativae propria."[12]

4. C. **Quibus diebus Missae votivae solemnes permittantur?**

Omnibus diebus etiam Dominicis cantari possunt; excipiuntur solummodo:

(*a*) Festa duplicia 1ae classis;

[7] D. 25. Jun. 1909, n. 4238. 1.

[8] D. 23. Febr. 1884, n. 3605. 5. 2; et 3. Jul. 1896, n. 3924. 2.

[9] Praefatio de Nativitate Domini pro cantu in tono feriali pro Missis votivis de SS. Sacramento et de SS. Nomine Jesu concessa vid. ad calcem Missalis ultimo loco. D. 3168. 3.

[10] Guyet, De Carpo.

[11] Van der Stappen, Sac. Lit. II. Q. 229. 3.

[12] D. 30. Jun. 1896, n. 3922. II. 3.

[redacted]

(*b*) Dominicae 1[ae] classis, nempe Dominica I. Adventus, omnes Dominicae Quadragesimae, Dom. Passionis, Palmarum et in Albis;

(*c*) Feriae Cinerum et majoris Hebdomadae;

(*d*) Vigiliae Nativitatis Domini et Pentecostes.[13] Si his diebus exceptis Missa votiva solemnis ab Ordinario praecipiatur, cantatur Missa diei, ejusque Orationi principali adjungi potest Oratio Missae votivae sub una conclusione.—Si de eodem Sancto, cujus Missa votiva cantanda sit, celebratur festum vel octava, idem valet ut no. seq. ad 3 de votivis privatis. De Missis in Oratione 40 Horarum no. 221 huj. Comp.; in festo Titularis Ecclesiae vel ob concursum populi vid. no. 249, 4 et 5; in festis, quorum solemnitas in Dominicam transfertur no. 252.

Notamen: "In iis Ecclesiis et Oratoriis, ubi Feria VI., quae prima unoquoque in mense occurrit, peculiaria exercitia pietatis in honorem divini Cordis, approbante loci Ordinario, mane peragentur; Leo XIII. indulsit, ut hisce exercitiis addi valeat Missa votiva[14] de Sacro Corde Jesu; dummodo in illam diem non incidat aliquod Festum Domini, aut duplex 1. cl., vel Feria, Vigilia, Octava ex privilegiatis,"[15] vel dies secunda Novembris.[16] Haec Missa ritu Missae votivae solemnis cum *Gloria* et *Credo* et unica oratione celebranda est;[17] quod etiam valet de Missa lecta.[18]

5 **D. Quibus diebus Missae votivae privatae permittantur?**

Generatim permittuntur diebus ritus simplicis et semiduplicis; *prohibentur:*

(*a*) Festis duplicibus,

(*b*) Dominicis,

(*c*) Infra Octavas privilegiatas Nativitatis, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Christi,

(*d*) Integra Quadragesima,

(*e*) Vigiliis,

(*f*) Quatuor Temporibus et Fer. 2. Rogationum.

[13] Ib. II. 2.

[14] i. e. una tantum, ideoque plures sacerdotes Missam votivam solemnem in eadem Ecclesia vel Oratorio dicere nequeunt.

[15] D. 28. Jun. 1889, 3712.

[16] D. 10. Maj. 1895, n. 3855. 2.

[17] D. 20. Maj. 1890, n. 3731. 1.

[18] D. 20. Maj. 1892, n. 3773.

(*g*) Feriis, quibus anticipanda vel reponenda est **Missa** Dominicae,[19]

(*h*) Fer 3. et 4. Rogationum, si fiat **Processio in Ecclesiis** unam tantum Missam habentibus.

De Missa pro sponso et sponsa vid. no. 299.

28. E. Quomodo Missae votivae dicendae sint?

Si habetur Missa propria, haec dicitur, si Celebranti concessa sit atque etiam extra festum veritas in verbis formularis Missae servetur vel paucis mutationibus seu omissionibus servari possit; alias sumitur Missa de Communi. Mutari potest *solemnitas, natalitia, festivitas* in verba *commemoratio, memoria, honor;* omittitur *hodie, hodierna die, annua* etc. Introitus *Gaudeamus* mutatur in alium convenientem de Communi. Omittitur *Sequentia.* Graduale, Versiculi vel Tractus, si in proprio deficiunt, e Communi sumuntur, et pro temporis varietate mutantur. Quae sancti alicujus propriissima sunt, ea etiam in Missis votivis adhibentur, e. g. versus S. Andreae Ap., S. Martini, S. Francisci; Communio S. Ignatii M., S. Agathae.

2. Si tempore paschali celebranda sit votiva SS. Martyrum, quorum festum extra tempus paschale colitur, sumitur ex Communi pro tempore paschali; et e contra, semper tamen retentis iis, quae sunt propria ipsorum Missae.[20] Item, si de quopiam Apostolo tempore pasch. celebranda sit, sumitur Missa ex festo S. Marci die 25. Aprilis cum Orationibus, Epistola et Evangelio ex Missa propria; de S. Joanne Ap. uti die 6. Maji, *ante portam Latinam.*

3. Si Missa votiva B. M. V. vel alicujus Sancti dicenda sit die, qua de iisdem officium agatur ratione festi vel octavae, Missa erit de festo vel octava, cum Orationibus, *Gloria, Credo,* Evangelio proprio in fine, prout ipsa Missa diei exigit.[21] Si vero non fit officium de octava, sed e. g. de alio semiduplici, Missa erit quidem de octava, sed more votivo, id est (in votiva privata) cum tribus Orationibus, et cum *Gloria* et *Credo* ratione festivitatis.[22] "Sacerdos vero, qui

[19] Nov. Rubr. X. 2.
[20] D. 2340. 1. 2.
[21] D. 2542. et 2683.
[22] D. 17. Maj. 1912. (A. Ap. Sed. V. 125.)—**Quod et fit diebus infra octavam simplicem.**

ex indulto quotidie celebrat Missam Votivam de B. M. V., *Gloria in excelsis* dicat in Sabbato, haud vero infra octavas eiusdem Beatae Virginis."[23]

4. In Missa votiva **solemni** dicitur *Gloria* et *Credo*, nisi celebretur in colore violaceo; tunc enim omittitur *Gloria;* et *Credo* dicitur tantum in Dominica. Unica tantum Oratio dicitur, sine ulla commemoratione occurrentis Dominicae, feriae majoris, festi novem lectionum etc., "etsi una tantum cantetur Missa, ut accidit in Ecclesiis ubi onus Missae Conventualis non existit." [24]

5. In Missa votiva **privata** non dicitur *Gloria*, exceptis

(*a*) Missa votiva B. M. V. in Sabbato;

(*b*) Missa votiva de Angelis;

(*c*) De Sancto in ejus festo vel infra ejusdem octavam (non vero propter octavam alius Sancti).

Nunquam dicitur Symbolum, nisi ratione festivitatis (ut supra 3).

6. Tres Orationes semper dicendae sunt (nisi duplex occurrens influat).[25] Prima Oratio est Missae votivae propria, secunda de officio seu Missa diei, tertia quae in Missa diei esset secunda, cum omnibus commemorationibus specialibus, si plures adsint. Excipe:

(*a*) In Missa votiva B. M. V. tertia Oratio est de Spiritu Sancto, sin commemoratio specialis sit facienda;

(*b*) In votiva de solo S. Petro vel S. Paulo secunda Oratio est de alterutro Apostolo; in votiva horum Apostolorum loco Orationis *A cunctis* dicitur *Concede* de B. M. V.;

(*c*) Si in votiva S. Joseph tertia Oratio *A cunctis* dicenda sit, omittitur nomen S. Joseph in Oratione ista; idem valet de Patrono. [26]

7. Praefatio dicitur propria Missae votivae; si Missa propriam non habeat, dicitur de Officio occurrente propriam habente, etsi tantum commemoretur; [27] si tale officium non occurrat, dicitur de octava propriam habente; si nulla

[23] D. 30. Jun. 1896, n. 3922. V. 2.

[24] Ib. II. 3; et D. 3352. 6; et 3365. 4.

[25] D. 12. Maji 1905, n. 4157.

[26] D. 3400. 3; et 2597. 3.

[27] D. 19. Apr. 1912 ad 11. Etiam de Beata, si officium B. M. V. in Sab. recitetur.

octava talis occurrat, dicitur de tempore propriam habente; alias dicitur Praefatio communis. *Communicantes* proprium dicitur, e. g. infra octavam Ascensionis.[28] Si in Missa votiva fit commemoratio Dominicae vel feriae vel vigiliae, semper de his ultimum Evangelium legendum est.[29]

8. Si Missa votiva in honorem plurium Sanctorum celebranda sit,

(*a*) Si Sancti sint ejusdem qualitatis, puta omnes Martyres, vel omnes Confessores, Missa dicenda est de respectivo Communi, et Orationes dicuntur in plurali nec quidquam aliud in Missa mutatur;

(*b*) Si fuerint diversae qualitatis, e. g. Martyres alii, alii Confessores aut Virgines, Missa erit dicenda de digniori (in casu de Communi Martyrum), et in Orationibus nulla exprimitur qualitas nisi quae convenit omnibus, ut fit in festo SS. Nazarii etc. MM. et Innocentii P. et C., vel sumuntur Orationes de Missa S. Callisti 14. Octobris.[30]

9. Pro Missa votiva omnium Sanctorum sumi potest festiva 1. Novembris, cum Introitu *Sapientiam* de Communi Martyrum (*Sancti tui* tempore paschali), vel ex Missa S. Cyriaci 8. Augusti, et cum Oratione *Concede quaesumus,* quae est prima inter "Orationes diversas."

10. Pro Missa votiva quatuordecim Auxiliatorum celebrari potest Missa de Communi Martyrum 1. vel 2. loco, non expressis nominibus.

In Missa votiva privata, etsi celebrata cum s. Ministris, semper adhibendus est tonus simplex ferialis.[31]

29. F. De obligatione celebrandi Missas votivas. "Diebus, quibus dici possunt Missae votivae privatae, Sacerdos ad illas obligatus ratione fundationis vel accepti stipendii, propriae obligationi non satisfacit, dicendo Missam de die occurrente; expressa enim voluntas fundatorum vel postulantium, dummodo sit rationabilis, debet adimpleri."[32]

2. Nec in diebus Missas votivas excludentibus Sacerdos satisfacit celebrando Missam diei, si is qui dat stipendium

28 V. n. 24. 3.
29 Nov. Rubr. X. 3.
30 Merati; Guyetus.
31 V. App. III.
32 D. 2461. 7.

[redacted]

seu Missam petat, in honorem alicujus Mysterii vel Sancti intenderit (explicite vel implicite) Missam votivam.[33] Quamvis enim obligationi per applicationem fructus ministerialis essentialiter satisfaciat nec graviter peccet, tamen quoad circumstantias accidentales non satisfacit, quia promissis onerosis non stetit et virtutem fidelitatis laedit.

3. Satisfacit vero celebrando Missam diei,

(*a*) Si offerens stipendium consentiat;

(*b*) Si Missa petita dici nequeat tanquam votiva;

(*c*) Si data sit pro die prohibita (nempe ritus duplicis vel aequivalentis) nec in diem liberam differri possit;

(*d*) Si, qui dedit stipendium, solum in genere petierit Missam in honorem alicujus Sancti etc. non intendens ipsam Missam votivam.[34]

ART. III.

DE MISSIS DEFUNCTORUM, SEU DE REQUIE.

A. De Missis Defunctorum in genere.

30. Quatuor Missae pro Defunctis seu de *Requie* in Missali assignantur.

Prima ("In Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum") dicitur:

(*a*) Die 2ª Novembris;[1]

(*b*) In die obitus seu pro die obitus (i. e. post habitam obitus notitiam), die 3°, 7°, 30° et anniversario Summi Pontificis, Cardinalium et Episcoporum, cum Oratione cuique propria post Missas defunctorum assignata. Pro Sacerdote dici

[33] D. 3284 et 3285.

[34] Litterae privatae *S. R. C.* mentem aperientes et communicatae in folio periodico pro unione Sacerdotum Oenipontana. "Si fideles norint communiter, quid sit Missa votiva, atque eam communiter intendant, si in honorem certi Sancti Missam postulant; aut Missa votiva dicenda est, aut qui dat stipendium, monendus est de impedimento, si quod forte existit; si vero fideles Missarum discrimen non norunt, sed Sacerdotis arbitrio sese committunt, dici potest Missa diei eaque in honorem Sancti solummodo *applicari.*"—LEHMKUHL, Theol. Mor. II. 201.

[1] Ultra hanc Missam, altera Missa (non privata) sumitur ut in die obitus, praesente cadavere. Cf. D. 1788.

potest prima vel secunda Missa, dummodo Oratio *Deus qui inter Apostolicos Sacerdotes* adhibeatur.[2]

2. *Secunda* Missa dicitur in die obitus seu depositionis et diebus intermediis[3] aliorum defunctorum, atque in die 3°, 7° et 30° eorumdem cum Orationibus in fine hujus Missae assignatis.

3. *Tertia* Missa dicitur in horum die anniversaria. In die anniversaria Sacerdotum dici potest haec vel prima.

4. *Quarta* seu *Quotidiana* dicitur extra dies enumeratos pro quibuscumque defunctis.

5. "Epistolae et Evangelia superius [in Missali] posita in una Missa pro Defunctis, dici possunt etiam in alia Missa similiter pro Defunctis," ita ut Epistola aut Evangelium, vel utrumque ex alia Missa seligi possint. Quod tamen non valet pro Missis in die depositionis, vel 3°, 7°, 30° et anniversario Episcoporum, pro quibus prima Missa celebrari debet.[4]

Privilegia harum Missarum sunt diversi gradus, ut sequitur.

B. De Missa exequiali, seu in die obitus.

31. Haec Missa in die depositionis:

Praesente corpore vel etiam absente "ex civili vetito aut morbo contagioso, aut alia gravi causa," "non solum [cum sit] insepultum sed et humatum, dummodo non ultra biduum ab obitu"[5] *prohibetur:*

(*a*) Tempore, quo SS. Sacramentum expositum est pro devotione XL Horarum, vel ob aliam publicam causam;

(*b*) In triduo sacro majoris Hebdomadae;

(*c*) In festis Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis Domini, Pentecostes, Ss. Trinitatis, Corporis Christi;

(*d*) Annuntiationis, Assumptionis et Immac. Conceptionis B. M. V.;

(*e*) Nativitatis S. Joannis, Commemorationis et Solemnita-

[2] D. 2417. 8.

[3] Temporis spatium ab instanti mortis usque ad sepulturam in favorem recens mortui pro uno eodemque die reputatur. CAVALIERI.

[4] D. 3213. 5.

[5] D. 2. Dec. 1891, n. 3755. 2; et 13. Febr. 1892, n. 3767. 26.—Quod privilegium ergo perdurat per duos dies factam sepulturam immediate sequentes.

[redacted]

tis S. Joseph,[6] SS. Petri et Pauli, Omnium Sanctorum, Patroni principalis loci seu Dioeceseos, et Titularis Ecclesiae propriae;

(*f*) In anniversario Dedicationis propriae Ecclesiae;[7]

(*g*) In iis Dominicis, ad quas feriatio festorum Epiphaniae, Corporis Christi, SS. Petri et Pauli, Patroni principalis loci translata est in iis Dioecesibus, in quibus haec festa abrogata sunt.

(*h*) In Ecclesiis Parochialibus unam tantum Missam habentibus diebus Dominicis et Festivis etiam suppressis, necnon diebus S. Marci et Rogationum, si fiat processio et vigilia Pentecostes.[8]

Permittitur Missa exequialis cantata et unica[9] in aliis diebus etiam festivis et Dominicis.

In exequiis pauperum, qui solvere non valent expensas Missae cantatae, legi potest Missa privata de *Requie* praesente cadavere sub iisdem conditionibus quibus Missa cum cantu conceditur.[10]

2. **Corpore sepulto sine Missa** (exc. casu supra allato) **die impedita**[11] prohibetur:

(*a*) Omnibus diebus supra memoratis;

(*b*) In Dominicis, et festis de praecepto etiam suppressis;[12]

(*c*) In festis 1ae et 2ae classis;

(*d*) Fer. IV. Cinerum, tota Majori Hebdomada, Vigiliis Nativitatis et Pentecostes;

---

6 D. 28. Jul. 1911, n. 4274.

7 D. 11. Mar. 1882, n. 3541.

8 D. 3208.

9 Praeter Missam unicam de Requie cantatam de die obitus, non licet praesente cadavere eadem die alias Missas de die 3. 7. et 30. cantare. D. 2915. 11.—Vide infra Missas privatas de Requie, n. 33. 2.

10 D. 9. Maj. 1899, n. 4024.

Tot tantaque privilegia Missae exequiali concessa sunt, quia Ecclesia piissima Mater vehementer exoptat, ne ullus fidelis, sive pauper, sive dives hoc ultimo fortissimo subsidio et honore privetur. Olim permissum fuit, ut Sacerdos in hunc finem bis eadem die celebraret. En, quam alieni sint a mente Ecclesiae, qui mundanam pompam plurimorum vehiculorum et tempus pomeridianum more acatholicorum, huic piisimo et "antiquissimo instituto" (Rit. Rom.) catholico praeferant.

11 Si sepultura occurrat die, qua Missa exequialis praesente corpore interdicitur.

12 Vide "Festa Feriata" initio Breviarii.

(*e*) infra Octavas Nativitatis, Epiphaniae, Paschatis, Pentecostes et Corporis Christi.[13]

Permittitur reliquis diebus, modo transferatur in primam diem liberam post sepulturam.

3. **Corpore jam sepulto in dissito loco,** Missa exequialis post primum nuntium acceptum permittitur die quae prima occurrit non impedita Festo duplici primae et secundae classis, vel Festo de praecepto,[14] vel diebus festa 2^{ae} classis excludentibus, vel publica expositione Ss. Sacramenti.

C. De Missa in die 3°, 7°, et 30°, et in Anniversario.[15]

32. Haec Missa *prohibetur:*

(*a*) Exposito SS. Sacramento ob publicam causam.

(*b*) In Dominicis et Festis de praecepto.[16]

(*c*) Festis dupl. 1^{ae} et 2^{ae} cl.

(*d*) Infra octavas privilegiatas Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes et Corporis Christi.

(*e*) Feriis IV. Cinerum et totius Hebdomadae sanctae.

(*f*) Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes.

(*g*) In Ecclesiis parochialibus unam tantum habentibus Missam in diebus Rogationum, si fiat Processio.

Aliis diebus, etiam dupl. maj., *permittitur* Missa unica et cantata. Si dies assignata ob Rubricas impedita sit, anticipari vel postponi potest (absque mutatione in Orationibus) in primam diem similiter non impeditam et non ultra.

2. Praedicti dies 3us, 7us, 30us, necnon anniversarius possunt numerari a die obitus, sive a die sepulturae.[17]

Ad celebrandam Missam de Requie in duplici non impedito diebus 3°, 7°, et 30° non requiritur quod defunctus sic ordinaverit in suo testamento, sed sufficit voluntas consanguineorum, amicorum, vel testamenti executorum.

3. "De speciali gratia permittitur, ut in duplicibus minoribus celebrari quoque possint anniversaria, quamvis a die obitus non sint, quae a Religiosis Communitatibus, . . . a Confrater-

[13] D. 28. Apr. 1902, n. 4096.

[14] D. 2. Dec. 1891, n. 3755. 3.

[15] "Anniversarium sive fundatum a testatoribus pro die obitus aut alia determinata die, sive privatum ad petitionem viventium, dummodo pro die obitus." D. 2. Dec. 1891, n. 3753. 1.

[16] V. Festa Feriata initio Brev.

[17] D. 2. Dec. 1891, n. 3753. 2. 4.

[redacted]

nitatibus aut ab aliis quibuscumque piis Sodalitatibus, pro Confratribus defunctis semel in anno fieri solent; necnon illa, quae pro fidelium pietate infra Octavam Omnium Fidelium Defunctorum locum habent, exceptis diebus supra memoratis."[18]

4. "An in fine [Missae de Requie] facienda sit absolutio? *Resp.* Ad libitum; nisi accedat mandatum illius qui eleemosynam obtulit."[19]

5. *Nota.* Dies 3us, 7us, etc. prioribus saeculis jam in Constitutionibus Apost. notantur. Rationes pro praecipua recordatione defunctorum his diebus facienda:

(*a*) Uti Christus 3° die resurgens vitam reparavit, ita ejus meritis defuncto feliciorem statum, imo gloriam impetrare studemus.

(*b*) Die 7° imitamur aliquo modo exemplum populi Dei V. T., ubi filii Jacob "celebrantes exequias . . . impleverunt septem dies" (Gen. L. 10), et Eccli. XXII. 13: "Luctus mortui septem dies"; et quia septimus dies seu sabbatum significat requiem aeternam.

(*c*) Dies 30us quia pro Aaron et Moyse lugebat Israel 30 dies.

(*d*) Anniversaria, (quae alias saepe celebrantur, e. g. in honorem Sanctorum) instituta sunt, ne unquam memoria defunctorum deficiat.

D. De Missis privatis Defunctorum.

33. Missae privatae defunctorum necnon cantatae vel solemnes praeter dies enumeratos (B. et C.), nisi speciale habeatur indultum, prohibentur:[20]

(*a*) Exposito Sanctissimo ob publicam causam.

(*b*) In Dominicis.

(*c*) In Festis duplicibus.

(*d*) Infra Octavas privilegiatas (Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschatis, Ascens., Pentecostes, Corporis Christi).

(*e*) Vigiliis.

(*f*) Integra Quadragesima excepta prima die libera (a festo duplici) cujusvis hebdomadae.

18 D. 2. Dec. 1891, n. 3753, 5.

19 D. 3369. 2.

20 Sicuti Missa votiva privata, excepto (*a*).

(*g*) Feriis Quatuor Temporum, feria 2. Rogationum et feria in qua anticipanda vel reponenda est Missa Dominicae.

(*h*) Diebus Rogationum, si fiat Processio, in Ecclesiis unam tantum Missam habentibus.[21]

2. Quando in Ecclesiis vel Oratoriis publicis fit funus cum Missa exequiali praesente, insepulto vel etiam sepulto non ultra biduum, cadavere, Missae privatae pro [22] defunctis ut in die obitus seu depositionis etiam in Duplicibus celebrari possunt; exceptis

(*a*) Duplicibus primae classis,

(*b*) Diebus Duplicia primae classis excludentibus et

(*c*) Festis de praecepto.[23]

In oratoriis privatis et in oratoriis semipublicis, quae Ecclesiae locum non tenent, missae lectae celebrari possunt omnibus diebus supra non exceptis ab obitu usque ad sepulturam, dummodo cadaver sit adhuc physice vel moraliter praesens in domo.[24]

3. In quolibet Sacello sepulcreti rite erecto vel erigendo, Missae, quae inibi permittuntur, possunt esse de Requie diebus non impeditis:

(*a*) Festo duplici 1 vel 2 classis,

(*b*) Dominicis aliisque festis de praecepto servandis, necnon

(*c*) Feriis, Vigiliis, Octavisque privilegiatis.[25]

Hoc privilegium non favet Ecclesiis vel Capellis extra coemeterium, subter quas ad legitimam distantiam alicuius defuncti cadaver quiescit.[26]

Indulta particularia pro Missis de Requie celebrandis.[27]

1. **Episcopis Americae Sept.** a S. Sede concedi solet facultas (Form. I. 20) Sacerdotibus communicabilis, "singulis feriis secundis non impeditis officio IX. Lectionum, vel eis impeditis, die

21 Novae Rubr. X. 2.

22 Applicatae pro ipso defuncto.

23 D. 19. Maj. 1896, n. 3903. 2; et 12. Jan. 1897, n. 3944. 3. 4. 5.

24 D. 10. Nov. 1906, n. 4192. 1.—In hisce regionibus fere omnia oratoria semipublica locum Ecclesiae tenent.

25 D. 19. Maj. 1896, n. 3903. 1.

26 D. 12. Jan. 1897, n. 3944. 1.

27 Indulta de Missis lectis aliquibus locis vel Ordinibus concessa adhuc valent, exceptis diebus ut supra 33. (e) (f) (g) (h). Istis diebus dici tamen possunt Missae lectae ut supra 33. 2. 3. D. 8. Feb. 1913.

[redacted]

immediate sequenti, celebrandi Missam de *Requie*, in quocumque Altari, etiam portatili, et liberandi animas secundum eorum intentionem a purgatorii poenis per modum suffragii." De qua facultate S. R. Congregatio (ad quaes. Vicarii Apost. Holstein Schleswig 4 Sept. 1875, n. 3370. 1) haec statuit: "In casu, de quo agitur, celebrationem Missarum lectarum de *Requie*, praeter vigilias, ferias et octavas privilegiatas ac festa de praecepto servanda, impediri tantummodo ob occurrentiam Officiorum IX. lectionum quae gaudeant ritu duplicis majoris, aut duplicis primae vel secundae classis."

2. Pro **Archidioecesi Cincinnatensi**: Celebrandi in singulis hujus Archidioeceseos Ecclesiis Missam privatam de *Requie* duabus diebus in quacumque hebdomada; nunquam tamen in festis duplicibus 1 et 2 classis, neque in feriis, octavis et vigiliis privilegiatis, nec festis dupl. maj. 18. Jul. 1880. (Conditio adjecta 10. Jan. 1886 sublata est.)

3. Pro **Provinciis Neo-Aurelian. et S. Ludovici.** "Ut officia et Missae solemnes defunctorum [etiam cantatae sine sacris Ministris] diebus duplicibus valeant celebrari." [13 Sept. 1829.] Quod privilegium valet in territorio, quod anno 1829 ad Dioeceses Neo-Aurel. et S. Ludovici pertinebat, scil. in regione a *Mississippi flumine ad occidentem versus* exc. Statibus *Tex.*, *Ariz.*, *Cal.*, *Nev.*, *Utah.* Valet quoque in Statu *Illinois.*

4. **Archidioecesi Quebecensi** idem fere indultum concessum est, nempe arbitrio Archiepiscopi cantandi (etiam sine s. Ministris) Missam de *Requie* diebus in quibus occurrit Festum ritus duplicis minoris tantum, exceptis tamen festis de praecepto servandis, octavis ac feriis privilegiatis.

5. **Provincia S. Ludovici:**

(*a*) "Missam privatam de *Requie* celebrandi die obitus seu depositionis, praesente vel non praesente corpore defuncti, in festis duplicibus."

(*b*) "Missam de Requie bis in mense in festis duplicibus celebrandi extra diem obitus seu depositionis." (19. Jan. 1859. Subintellige exceptiones in utroque casu saltem ut supra pro anniversariis no. 32.)

Hoc Indultum valet in Statibus et Territoriis quae anno 1859 ad Provinciam S. Ludovici pertinebant, nempe: *Missouri, Ilinois, Iowa, Kansas, Minnesota, New-Mexico, Nebraska, Oklahoma, Tennessee, Wisconsin.*

6. Pro **Dioecesi Novarcensi (Newark)**, "ut semel in anno, occasione exercitiorum spiritualium Cleri Dioecesani celebrari possit Missa de *Requie* pro Sacerdotibus defunctis, etiam occ. festo ritus duplicis." (11 Febr. 1877.)

E. De Orationibus in Missis Defunctorum.

34. De Orationibus et Sequentia dicendis in Missis Defunctorum S. R. C. declaravit:

1. "Unam tantum esse dicendam Orationem in Missis omnibus, quae celebrantur in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, die et pro die obitus seu depositionis, atque etiam in Missis cantatis, vel lectis . . . diebus 3., 7., 30. et die anniversaria, necnon quandocumque pro defunctis Missa celebratur, sub ritu qui duplici respondeat; uti in Officio quod recitatur post acceptum nuntium de alicuius obitu, et in Anniversariis late sumptis.[28]

2. In Missis quotidianis quibuscumque, sive lectis sive cum cantu,[29] plures esse dicendas Orationes, quarum prima sit pro defuncto vel defunctis certo designatis, pro quibus Sacrificium offertur, ex iis quae inscribuntur in Missali, secunda ad libitum, ultima pro omnibus defunctis.[30]

3. Si vero pro defunctis in genere Missa celebretur, Orationes esse dicendas, quae pro Missis quotidianis in Missali prostant; eodemque ordine quo ibi sunt inscriptae.

4. Quod si in iisdem quotidianis Missis plures addere orationes Celebranti placuerit, . . . id fieri posse tantum in Missis lectis, impari cum aliis praescriptis servato numero et orationi pro omnibus defunctis postremo loco assignato." [31]

5. In Missis de feria vel vigilia (n. 33. (*e*) (*f*) (*g*) (*h*)) orationem addere licet pro Defunctis pro quibus Sacrificium applicatur, etiamsi commemoratio fiat de festo duplici.

Si haec oratio addatur, non excluduntur Orationes, de tempore, nisi occurrat commemoratio duplicis, nec attendendus est numerus Orationum, utrum sit dispar annon.

Haec oratio semper recitari debet paenultimo loco inter

[28] Si unica dicatur oratio, haec conveniens esse debet personis, pro quibus celebratur. Proinde loco orationis, quae ponitur in Missa pro die anniversario etc., alia conveniens sumi potest v. g. si sacerdos celebret pro defunctis parentibus.

[29] Etiam cum sacris Ministris.

[30] Si Missa de Requie legatur pro uno et una defunctis dicatur "*famuli et famulae tuae,*" quando non experimuntur nomina; secus dicatur "*famulorum tuorum.*" D. 14. Jun. 1901, n. 4074. 7.

[31] D. 30. Jun. 1896, n. 3920.

[redacted]

orationes a Rubricis praescriptas vel permissas, non computata collecta imperata, et etiam tunc addi potest, quando jam praescripta sit oratio pro vivis et defunctis vel oratio *Fidelium.*[32]

6. Sequentia dicenda est: (*a*) In omnibus Missis cantatis; (*b*) Quando una tantum oratio dicitur.

In reliquis Missis vel recitari vel omitti potest ad libitum celebrantis.[33]

7. Quoad cantum S. Congregatio declaravit, "vel non celebrandas Missas Defunctorum, vel canenda esse omnia, quae precationem suffragii respiciant." [34]

F. De Obligatione dicendi Missas de Requie.

35. Sacerdos tenetur celebrare Missam de *Requie:*

(*a*) Si Missa sit cantanda. (Quando Anniversarium fundatum occurrat in die impedita, anticipetur vel differatur in primam diem non impeditam);

(*b*) Si pro Missa privata dans stipendium aut fundator expresse Missam de Requie postulaverit.[35] Diebus ob festum duplex vel aliam causam impeditis dicitur Missa de Officio currente.[36] In Missis de feria vel vigilia (n. 33 (*e*) (*f*) (*g*) (*h*)) oratio pro defunctis pro quibus Missa applicatur, addi debet.[37]

Alias etiam in simplicibus et semiduplicibus per Missam diei obligationi pro defunctis satisfieri potest.

Append. I. Episcopi Americae foederatae gaudent privilegio: "Declarandi privilegiatum in qualibet Ecclesia [vel Oratorio publico] suae Dioecesis unum Altare, dummodo aliud privilegiatum non adsit, pro cunctis Missae Sacrificiis quae in eodem Altari celebrabuntur a quocunque presbytero, saeculari vel cujusvis Ordinis regulari." (Fac. extr. C.)

II. In Ecclesiis *Fr. Min. S. Francisci Capucinorum* Altare majus est privilegiatum quotidie in perpetuum. Eodem privilegio gaudent sacerdotes senes et infirmi in sacello infirmariae. Privilegio personali gaudent sacerdotes ejusdem

[32] Nov. Rubr. X. 5. et D. 12. Jun. 1912.

[33] D. 30. Jun. 1896, n. 3920.

[34] D. 2959. 2.

[35] D. 2461.

[36] D. 1235; 1238 et 13. Jun. 1899, n. 4031. 4.

[37] Nov. Rubr. X. 5; et D. 12. Jun. 1912.

Ordinis pro iis Missis, quas secundum constitutiones Ordinis celebrant pro obitu Pontificis, Cardinalis Protectoris, Regis, Superiorum majorum Ordinis, singulorum confratrum eorumque parentum.[38]

III. Sacerdos qui actum heroicum fecit (offerendo per manus B. M. V. omnia merita satisfactoria pro animabus defunctorum) gaudet quotidie privilegio Altaris personali.

IV. "Ad Altaris privilegiati, quod vocant, Indulgentiam lucrandam non amplius requiri in posterum sub poena nullitatis Missam de requie aut de feria vel vigilia cum Oratione defuncti propria celebrari; id tamen laudabiliter fieri, cum licet ac decet, pietatis gratia erga defunctum," Pius X declarare dignatus est 20. Feb. 1913.[39] Qui "quacumque ratione Indulgentiam Altaris Privilegiati non lucratur, non potest satisfacere applicando aliam Indulgentiam plenariam defunctis, pro quibus ad Altare privilegiatum celebrare debuerat." S. C. Ind. 2. Maji, 1852. Hanc responsionem esse authenticam eadem Congregatio declaravit.[40]

V. *Triginta Missae Gregorianae* celebrari debent 30 diebus continuis sine interruptione, ita ut eadem die plures Missae dici nequeant. Quoties Sacerdos aliquam Missam tricenariam legere non potest alium substituere tenetur. Diebus non impeditis laudabiliter Missa de Requie legi potest sed non debet.[41]

Indulgentia Altaris regulariter pro una anima, non pro pluribus conceditur[42] et "debet a sacerdote applicari animae pro qua Missam celebrat."[43]

ART. IV.

DE MISSA IN ALIENA ECCLESIA.

36. "Omnes et singuli Sacerdotes, tam Saeculares, quam Regulares, ad Ecclesiam confluentes vel ad Oratorium publicum, Missas quum Sanctorum, tum Beatorum, etsi Regularium proprias, omnino celebrent Officio eiusdem Ecclesiae

[38] Benedict. XIV. 15. Jul. et 19. Sept. 1742, etc.

[39] C. S. Offic. (Sect. de Ind.) 20. Feb. 1913. (Acta Ap. Sed. V. 122.)

[40] S. C. Ind. 24. Jul. 1885.

[41] C. S. Offic. (Sect. de Ind.) 12. Dec. 1912.

[42] Acta S. Sedis XIII. 139.

[43] S. C. Ind. 19. Dec. 1885.

vel Oratorii conformes, sive illae in Romano, sive in Regularium Missali contineantur; exclusis tamen peculiaribus ritibus Ordinum propriis."

2. "Si vero in dicta Ecclesia, vel Oratorio, Officium ritus duplici inferioris agatur, unicuique ex Celebrantibus liberum sit Missam de requie peragere, vel votivam, vel etiam de occurrenti feria; iis tamen exceptis diebus, in quibus praefatas Missas Rubricae Missalis Romani vel S. R. C. Decreta prohibent."[1]

3. Idem valet de Capella principali Episcoporum, Seminariorum, Collegiorum, piarum Communitatum, Hospitalium et Carcerum, quae instar Oratorii publici, ad effectum (supra) memorati Decreti, habenda est.[2]

4. Si in aliena Ecclesia Officium ritus duplici inferioris agatur, sicuti sub 2. dictum est, tunc Celebrans etiam potest, sed non debet, celebrare Missam Officio proprio conformem; sed non ritu votivo, quia Missa Officio proprio conformis semper est festiva, scl. in omnibus conformis Calendario Celebrantis.

5. Si Ecclesia sit concredita alicui Ordini vel Congregationi sive in perpetuum sive ad tempus indefinitum, omnes sacerdotes ibi celebrantes se conformare debent Calendario istius Ordinis.[3] Idem valet de Oratorio publico vel semipublico (principali).

6. In *Oratorio privato* autem Missa semper concordare debet cum officio Celebrantis, etiam de Beato, nisi Missam votivam legere possit et velit. Idem dicendum est de Oratorio non principali alicujus Communitatis Religiosae.

7. *Quomodo Celebrans in aliena Ecclesia se conformare debet?*

Missam dicere debet, uti in Calendario seu Directorio illius Ecclesiae praescribitur cum vel sine *Gloria, Credo,* necnon cum Praefatione et commemorationibus ut ibidem notatur. Nec licet Celebranti in aliena Ecclesia, ubi Missa de Communi est, sumere Missam suam propriam, et ne quidem Symbolum ex proprio Officio addere.[4]

[1] D. 9. Jul., 1895, n. 3862. Cf. 8. Feb. 1896, n. 3883.

[2] D. 22. Maj. 1896, n. 3910.

[3] D. 15. Dec. 1899, n. 4051 et 22. Apr. 1910, n. 4252. Si Oratorium concreditum sit alicui Regulari tamquam personae privatae, Calendarium diocesanum adhibendum est. D. 3919. 17.

[4] D. 3. Jul. 1896 ...

ART. V.

DE BINA MISSA AB EODEM SACERDOTE CELEBRATA.

A. Conditiones pro binatione requisitae.

37. Ex Instructione S. Congregationis de Prop. Fide de binatione [1] haec praecipue statuenda sunt: Unicus titulus, quo Sacerdotibus permittitur eadem die duas Missas celebrare, est impossibilitas fidelium, alias in diebus Dominicis et festivis implendi praeceptum audiendae Missae. Proinde in festis abrogatis non licet. Tres Missae in solo Natali Domini conceduntur.

2. Permittitur

(*a*) Jure communi Sacerdoti, qui duas parochias obtineat vel duos populos adeo sejunctos, ut alter ipsorum parocho celebranti per dies festos adesse nullo modo possit ob locorum maximam distantiam; vel quando una tantum sit Ecclesia in qua Missa celebratur, et ad quam insimul universus populus (ejusdem parochiae) convenire non potest; at Ordinarii est, de necessitate judicare;

(*b*) Ex speciali Indulto S. Sedis, quod Episcopis concedi solet simul cum potestate delegandi: "celebrandi bis in die si necessitas urgeat . . . ex gravissimis causis et rarissime, in quo graviter ejus conscientia oneratur."

3. Qualis "necessitas" ad binationem requiratur, prudenti judicio Ordinarii committitur; "non agitur hic de necessitate absoluta, sed de morali, i. e. gravi fidelium utilitate." [2] Ita Episcopus S. Ludovici (Rmus Jos. Rosati), anno 1828 a S. Sede quaesivit, "utrum, quoties 30 aut 50 fideles periculo exponantur Missam de praecepto non audire, bis celebrare valeant" Sacerdotes sui; item Vicarius Apost. Limburg. anno 1851 dubium proposuit, an binandi licentia concedi possit, etsi parochia vicinior non distet ultra spatium mediae leucae; item Vice-Praefectus Missionis Tripolitanae anno 1688 quaesivit, si in defectu Sacerdotum possit pro his solis [pro 10 vel 15 captivis] celebrare alteram Missam. Rescriptum est

[1] Die 24. Maji. 1870. Cf. Fol. Past. Americae Sept. 1870, p. 52.

[2] Konings, Comment. in Fac. Ap. I. 91.

[redacted]

in triplici casu eodem fere modo: "Relinquatur prudenti judicio Ordinarii," vel "caritati et conscientiae P. V. Praefecti." Nec mirandum (uti in ipso Rescripto posteriori additur), si S. Congregatio benigniori interpretationi locum dari posse judicavit, quum ageretur de captivis.

4. Sacerdos prohibetur binare, quamdiu haberi potest alius Sacerdos, per quem necessitati populi satisfieri possit; vel in commodum eorum, qui praecepto Missae audiendae satisfacere vellent in suis privatis Oratoriis.[3]

Licet autem sacerdoti celebrare in Oratorio privato, etiamsi Parochus debeat bis celebrare: sub duplici tamen conditione, ut ipse bis non celebret et legat Missam extra locum ubi Parochus bis celebrat.[4]

5. Prohibetur pro secunda Missa sive directe sive indirecte eleemosynam accipere, nisi Sacerdos speciale indultum Apostolicum habeat. Nec ea conditione stipendium accipere potest, ut in usum pium expendatur;[5] nec pro una stipendium accipere potest, si alteram ex justitia vel officio applicare tenetur, e. g. ex obligatione parochi applicandi pro populo. Sed licet accipere, si alteram applicet ratione pacti quod inter Sacerdotes convenit, ut unus pro altero post mortem Missam celebret, seu pro illis erga quos vinculo charitatis obstringitur.[6] Die Nativitatis Domini pro tribus Missis stipendia accipere licet.

6. Si in prima Missa post receptionem Corporis et Sanguinis ablutionem sumpserit, *per se* non potest secundam Missam celebrare, ob hanc solum causam quia fideles privarentur Missa die festivo.[7] Quodsi in casu ex omissione Missae scandalum sit pertimescendum, Sacerdos non jejunus celebrare poterit.[8]

[3] Instr. S. C. de Prop. F.

[4] S. C. de Discipl. Sacram. 7. Feb. 1909. II. 6.

[5] S. C. C. 21. Mart. 1863, Coloniens.

[6] S. C. C. 14. Sept. 1878.

[7] Si populo ad secundam Missam jam praesenti causa a Sacerdote explicetur, et concio ac preces e. g. Rosarium B. M. V. cum Benedictione Sanctissimi habeantur, verum scandalum raro orietur.

[8] Cfr. S. Alph. VI. 287.

B. De Ritu in binatione observando.

I. In dissitis locis.

38. "Quando Sacerdos eadem die duas Missas dissitis in locis celebrare debet,"

(*a*) "In prima, dum Divinum Sanguinem sumit, eum diligentissime sorbeat. Exinde super corporale ponat calicem et palla tegat, ac junctis manibus in medio Altari dicat, *Quod ore sumpsimus,* etc., et subinde admoto aquae vasculo,[9] digitos lavet, dicens: *Corpus tuum Domine,* etc., et abstergat. Hisce peractis calicem super corporali manentem adhuc, deducta palla cooperiat, ceu moris est, scilicet primum purificatorio linteo,[10] deinde patena ac palla et demum velo."

(*b*) "Post haec Missam prosequatur, et completo ultimo Evangelio, rursus stet in medio Altaris, et detecto calice inspiciat an aliquid Divini Sanguinis necne ad imum se receperit, quod plerumque contingit.[11] Si itaque Divini Sanguinis gutta quaedam supersit adhuc, ea rursus ac diligenter sorbeatur, et quidem ex eadem parte, qua ille primum sumptus est. Quod nullimode omittendum est, quia sacrificium moraliter durat, et superexistentibus adhuc vini speciebus, ex divino praecepto compleri debet. Postmodum Sacerdos in ipsum calicem tantum saltem aquae[12] fundat, quantum prius vini posuerat, eamque circumactam ex eadem parte, qua S. Sanguinem biberat, in paratum vas demittat. Calicem subinde ipsum purificatorio linteo abstergat, ac demum cooperiat, uti alias fit, atque ab Altari recedat."

(*c*) "Depositis sacris vestibus et gratiarum actione completa, aqua e calice demissa pro rerum adjunctis, vel ad crastinum servetur, (si nempe eo rursus Sacerdos redeat Missam habiturus) et in secunda purificatione in calicem demit-

[9] Vasculum prope tabernaculum ablutioni digitorum inserviens adhiberi potest. Ne ablutio ex oblivione sumatur, a ministro vinum et aqua afferenda non sunt, vel ad Offertorium hujus Missae omne ampullae vinum infundi potest.

[10] Caveat ne illud in calicem imprimat.

[11] Nisi post distributionem Communionis prolixiorem guttulas e calice sorbuerit.

[12] Non vinum. Cf. no. 65, 3 adn. 6.

tatur, vel gossipio, aut stuppa absorpta, comburatur, vel in sacrario si sit exsiccanda relinquatur, vel demittatur in piscinam. Cum autem calix, quo Sacerdos primum est usus, purificatus jam sit, si illo ipso pro Missa altera indigeat, eum secum deferat; secus vero in altera Missa diverso calice uti poterit." [13]

II. In eadem Ecclesia.

2. "Sacerdos post haustum in prima Missa diligenter Sanguinem Domini, omissa consueta purificatione, patena calicem et palla patenam tegens, ac super corporale relinquens, dicet junctis manibus: *Quod ore sumpsimus, Domine,* etc. Deinde digitos, quibus SS. Sacramentum tetigit, in aliquo vase mundo, ad hoc in Altari praeparato, [aqua] abluet, interim dicens: *Corpus tuum, Domine,* etc.; abstersisque purificatorio digitis, calicem velo cooperiet, velatumque ponet super corporale extensum."

"Absoluta Missa, si nulla in Ecclesia sit sacristia, calicem eodem modo super Altare relinquet: secus vero in sacristiam deferet, ibique super corporale vel pallam in aliquo loco decenti et clauso collocabit usque ad secundam Missam, in qua, cum eodem calice uti debeat, illum rursus secum deferet ad Altare, ac super corporale extensum reponet."

"Cum autem in secunda Missa Sacerdos ad Offertorium devenerit, ablato velo de calice, hunc parumper versus cornu Epistolae collocabit, sed non extra corporale; factaque hostiae oblatione cavebit, ne purificatorio extergat calicem, sed eum intra corporale relinquens leviter elevabit, vinumque et aquam eidem caute imponet, ne guttae aliquae ad labia ipsius calicis resiliant, quem deinde nullatenus ab intus abstersum more solito offeret." [14]

ART. VI.

DE MISSA CONVENTUALI.

39. Missa conventualis est ea, quae in certis Ecclesiis, ubi est obligatio chori, quotidie secundum ordinem officii et conformitatem temporis choro praesente celebranda est.

[13] Instr. S. C. R. approb. a Pio IX, 11. Mart. 1858, n. 3068.

[14] Benedictionale Rom. appr. 28. Jan. 1881.

[redacted]

Regulares choro adstricti tenentur quotidie in eorum Ecclesiis celebrare Missam Conventualem [1] et quidem unam tantum cum assistentia choralium de Officio diei [2] non tamen cum cantu (sicut in Cathedralibus et Collegiatis,)[3] nisi obligatio aliunde oriatur;[4] nec cum obligatione applicationis pro "benefactoribus in genere."

Attamen in festo S. Marci et tribus feriis Rogationum Regulares duas Missas conventuales dicere debent; in Nativitate Domini tres.[5]

Aliquoties conformitas hujus Missae cum officio feriali non praescribitur. (Vid. Rubr. gen. tit. IV. et V. Qui casus vix unquam apud nos occurrunt.)

Regulares qui vel ex consuetudine vel ex eorum constitutionibus, in quibusdam feriis et vigiliis ad duas vel tres Missas conventuales tenentur, etiam in posterum has Missas celebrare debent post propriam Horam Canonicam, sed sine assistentia choralium.[6]

3. **Qua hora sit celebranda:—**

(*a*) "In festis duplicibus et semiduplicibus, in Dominicis et infra octavas, dicta in choro hora Tertia."

(*b*) "In festis simplicibus et feriis per annum, dicta Sexta."

(*c*) "In Adventu, Quadragesima, Quatuor Temporibus etiam infra octavam Pentecostes, et vigiliis quae jejunantur," etiamsi de jejunio ex Indulto Apostolico dispensatum sit, "quamvis sint dies solemnes, Missa de tempore debet cantari [vel legi] post Nonam." Missa vero de festo etiam in Adventu etc. occurrente semper celebranda est post Tertiam;[7] Missa de vigilia Nativitatis Domini, si in Dominica venerit, post Tertiam. In vigilia Ascensionis Domini de festo duplici aut semiduplici post Tertiam, de vigilia post Sextam, et de Rogationibus, ubi processio peragitur, post Nonam. Si occurrat festum dupl. 1ae classis, nihil fit de vigilia.

(*d*) "Missa defunctorum dici debet post Primam diei; ubi vero dicuntur eorum Vigiliae [Matutinum] mane post Matutinum diei, dictis hujusmodi Vigiliis cum Laudibus, immediate

[1] D. 2524. 1.
[2] Nov. Rubr. XII.
[3] Scil. si adsit obligatio chori.
[4] De Carpo, Bibl. lit. I. 10.
[5] Nov. Rubr. XII.
[6] Ibid.
[7] D. 2618. 1.

[redacted]

dici potest Missa pro defunctis. Sed in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum Missa conventualis dicitur post Nonam. In die autem depositionis defuncti, vel 3°, 7°, 30° aut anniversario solemni, in quo fit concursus populi, poterit similiter dici ultimo loco post Nonam."[8]

(*e*) "Excipiuntur ab hoc ordine dicendi Missam conventualem Missae in Nativitate Domini, quarum prima dicitur post mediam noctem, finito *Te Deum laudamus* in Matutino, secunda in aurora, dictis Laudibus et Prima; tertia vero post Tertiam, vel ubi aliter ex dispensatione apostolica disponatur."

(*f*) "Missae votivae, si solemniter celebrentur pro re gravi. vel publica Ecclesiae causa, cum populi frequentia, dicantur post Nonam."

[8] Rubr. Miss.

CAPUT IV.

DE REGULIS GENERALIBUS CAEREMONIARUM.[1]

ART. I.

DE REVERENTIIS.

40. Reverentiae nomine significatur tam inclinatio quam genuflexio.

Inclinatio distinguitur:

I. Solius Capitis;

II. Totius Corporis.

Inclinatio *Capitis* subdistinguitur *profunda* et *simplex.*

Inclinatio *Corporis* subdistinguitur *profunda* et *mediocris.*

A. Inclinatio capitis profunda.

Capitis inclinatio profunda est talis depressio capitis, quae secum trahit aliquam humerorum depressionem; facienda est:

(*a*) Ad Crucem Sacristiae ante et post Missam;

(*b*) In medio Altaris antequam descendat ad incipiendam Missam;

(*c*) Ad *Gloria Patri,* et quoties tres Personae Ssmae Trinitatis cum glorificatione nominantur;

(*d*) Sexies infra *Gloria,* nempe ad *Deo, Adoramus te, Gratias agimus tibi, Iesu Christe, Suscipe deprecationem nostram, Iesu Christe;*

(*e*) Ad *Oremus* quoties dicitur;

(*f*) Ad nomen Iesu quoties profertur;

(*g*) Ter infra *Credo:* ad *Deum, Iesum Christum, simul adoratur;*

(*h*) Initio Praefationis ad *Deo nostro;*

(*i*) Ad utrumque Memento;

(*k*) Ante utramque Consecrationem ad *tibi gratias agens;*

[1] In addiscenda praxi celebrandi Missam caput quintum huic quarto potius praeponatur.— Cfr. Caer. Romano-Seraph. nn. 193-206.

[redacted]

(*l*) Ad utramq. consecrationem (cubitis sup. Alt. positis);
(*m*) Ad *Per eundem C. D. N.* ante *Nobis quoque peccatoribus;*
(*n*) Ad tria *Agnus Dei;*
(*o*) Infra Orationem *Placeat;*
(*p*) Ad *Deus* post *Benedicat vos;*
(*q*) Ante gradus Altaris priusquam recedat, nisi SS. Sacramentum ibi adsit;[2]
(*r*) Plures auctores commendant, ut Sacerdos caput ad Crucem inclinet, quoties ad medium Altaris accedit vel ab eo recedit, nisi immediate praecedat vel sequatur alia reverentia.[3] Quum vero Rubricae de hac inclinatione sileant, plurimi omnino contradicunt,[4] praesertim cum S. R. C.[5] resp.: "Serventur Rubricae."

Nunquam Sacerdos caput inclinat, quando se ipsum (e. g. initio Introitus) vel alium benedicit. Inclinatio capitis profunda fit versus Crucem; infra Evangelium vero ad librum et post consecrationem et coram SS. Sacramento exposito versus illud.

B. Inclinatio capitis simplex.

Capitis inclinatio simplex, i. e. levis depressio capitis, fieri debet:

(*a*) Quandocumque nomen B. V. Mariae pronuntiatur;
(*b*) Quando profertur nomen proprium Sancti,[6] de quo fit Missa vel specialis commemoratio, vel infra Octavam alicuius Sancti Octavam habentis, cuius nec Officium recitatur nec fieri Commemoratio per accidens potest.[7]
(*c*) Ad nomen Papae in Oratione et Canone, et similiter ad nomen Episcopi quando ejus Collecta dicitur.[8]

[2] Juxta quosdam inclinatio corporis profunda; at cf. Rubr. Ritus celebr. M. XII. 6.

[3] Gavantus, Merati, S. Alpho. Lig. etc. Hujus sententiae rationes v. De Herdt I. n. 125.

[4] Martinucci, De Carpo, Schober etc.

[5] D. 2682. 27.

[6] Non vero ad cognomen, e. g. Cephas, Simon Bar-Iona, Saulus, vel in Missa Assumptionis B. M. V. ad "Maria" (Magdalena); nec in Missa de Requie.

[7] D. 19. Jun. 1903, n. 4116.

[8] D. 2049. 3; et 13. Febr. 1892, n. 3767. 25.

[redacted]

Si plura Sanctorum nomina occurrunt, una fit inclinatio, quae durat a primo ad ultimum. Inclinatio capitis simplex fit ad librum, vel Reliquiam[9] vel imaginem talis Sancti, si sint in loco principali Altaris.

Reverentia minor jam in majori includitur; quare inclinationi corporis vel genuflexioni simplici non superadditur inclinatio capitis.

C. Inclinatio corporis profunda.

41. Corporis inclinatio profunda fit, quando quis corpus ita incurvat, ut ambabus manibus genua tangere possit, seu ut ad Altare frons Mensam fere tangat. Facienda est:

(*a*) In accessu ad Altare, in quo SS. Sacramentum non asservatur, et postquam descendit ante initium Missae ad hujusmodi Altare:

(*b*) Infra *Confiteor;*

(*c*) Ad *Munda cor meum;*

(*d*) Ad *Te igitur;*

(*e*) Ad *Supplices te rogamus.*

D. Inclinatio corporis mediocris.

42. Corporis inclinatio mediocris est media inter profundam corporis et capitis inclinationem, seu talis, ut frons Celebrantis fere aequet pallam super calice positam; facienda est:

(*a*) Ad *Deus tu conversus;*

(*b*) *Oramus te Domine;*

(*c*) *In spiritu humilitatis;*

(*d*) *Suscipe Sancta Trinitas;*

(*e*) *Sanctus;*

(*f*) Ad tres Orationes ante Communionem;

(*g*) Ad *Domine non sum dignus;*

(*h*) Ad Communionem Hostiae.

E. Genuflexio.

43. Genuflexio fit aut unico aut utroque genu.

Unico genu flectitur demittendo genu dextrum usque ad terram juxta talum pedis sinistri (vel in gradum Altaris), et

[9] D. 7. Nov. 1905, n. 4172. 3.

[redacted]

surgendo sine mora; semper fit absque capitis vel corporis inclinatione:

2. Unicum genu flectit:

(*a*) Qui praeterit Altare, in quo SS. Sacramentum in tabernaculo est reconditum, vel celebratur Missa et est inter Consecrationem et Communionem (quia Sacramentum consideratur reconditum super Altari), vel Reliquia S. Crucis principali loco est exposita;[10]

(*b*) In accessu ad Altare, in quo SS. Sacramentum est reconditum et in recessu ab eodem genuflectitur in plano; super primum gradum, postquam Celebrans descendit ad Missam incipiendam, et quoties intra Missam ante gradus genuflectendum est;

(*c*) Intra Missam, quandocunque notatur in Missali.

3. Quando Sacerdos ad Altare genuflectit, manus, non solum digitos, super Altare ponit; Ministri vero manibus ante pectus junctis genuflectunt.

4. *Utroque genu flectit:*

(*a*) Qui praeterit Altare, in quo SS. Sacramentum est expositum; vel

(*b*) Ubi fit consecratio et elevatio vel datur benedictio Sanctissimi; nec surgit, antequam Celebrans calicem vel Ostensorium super corporali deposuerit;

(*c*) Qui praeterit Sacerdotem, qui S. Communionem distribuit, quo casu non remanet genuflexus,[11] nisi forte duo aut tres tantum sint communicandi;

(*d*) Qui obviam venit Sacerdoti qui defert SS. Sacramentum, nec surgit, donec iste e conspectu venerit.

5. Quando Sacerdos calicem portans praeterit SS. Sacramentum expositum, prius utrumque genu flectit, dein caput detegit, et facta inclinatione caput tegit antequam surgat. (Quandocunque unicum genu flectendum est, caput non detegit.) Qui vero calicem non portat, omnes reverentias capite detecto perficit, nec post flexionem utriusque genus caput tegit, donec e conspectu sanctissimi venerit.

[10] D. 2390. 7. [11] D. 2002. 14.

ART. II.

DE ELEVATIONE OCULORUM.

44. Oculi elevantur "ad Deum, ad coelum," i. e. ad vel versus Crucem, statimque demittuntur (praeterquam ad *Offerimus*):

(*a*) Ante *Munda cor meum;*
(*b*) Ante *Suscipe sancte Pater;*
(*c*) Infra oblationem calicis;
(*d*) Ad *Veni Sanctificator;*
(*e*) Ante *Suscipe Sancta Trinitas;*
(*f*) *Ad Gratias agamus* etc. dum dicitur *Deo nostro;*
(*g*) Ante *Te igitur;*
(*h*) Ad *elevatis oculis* ante consecrationem hostiae;
(*i*) Ad *Benedicat vos.*

2. Oculi tenentur intenti ad SS. Sacramentum:

(*a*) In elevatione hostiae et calicis et quoties Sacerdos species consecratas prae manibus habet;
(*b*) Ad Memento defunctorum dum privatim orat;
(*c*) Per totum *Pater noster;*
(*d*) Ad tres Orationes ante Communionem.

3. Oculos demissos tenet Sacerdos in Missa:

(*a*) Dum ante Missam procedit ad Altare et post Missam regreditur;
(*b*) Quando se vertit ad populum dicens *Dominus vobiscum, Orate fratres,* vel ad Benedictionem.[1]

ART. III.

DE MANUUM CAEREMONIIS.

A. De Crucis Signo.

45. Cruce se signat Sacerdos extensis et junctis pariter digitis dexterae manus, excepto tempore inter Consecrationem et Communionem, quo pollices et indices conjuncti tenentur.

"Cum se ipsum signat, semper sinistram ponit infra pectus" supra cingulum; "vertit ad se palmam manus dexterae" et

[1] Rubr. Miss.

[redacted]


(extremis tribus digitis scil. indice, medio et annulari) tangit 1° frontem (*In nomine Patris*), 2° pectus supra manum sinistram (*et Filii*), 3° humerum sinistrum, 4° humerum dexterum (transferendo manum a sinistro ad dexterum humerum: *et Spiritus Sancti*), dein, non reducendo manum dexteram ad pectus vel os, jungit manus (*Amen*), si sequentia manibus junctis dicenda sint.

2. Verba ad signa Crucis in Missa facienda sic fere distribuuntur:[1]

Ad frontem,	pectus,	humerum sinistrum,	humerum dexterum.
(*a*) In nomine Patris	et Filii	et Spiritus	Sancti.
(*b*) Adjutorium,	nostrum	in nomine	Domini.
(*c*) Indulgentiam,	absolutionem	et remissionem	peccat. nostr.
(*d*) Cum Sancto	Spiritu	in Gloria	Dei Patris. Amen.
(*e*) Et	vitam	venturi	saeculi. Amen.
(*f*) Benedictus,	qui venit	in nomine	Domini.
(*g*) Omni benedictione	coelesti	et gratia	repleamur.
(*h*) Da propitius	pacem	in diebus	nostris.

3. Ad Crucis signum super alios vel rem aliquam faciendum Sacerdos prius jungit manus, dein "sinistram ponit super Altare" (si huic adstet, secus infra pectus), et manum dexteram, i. e. "parvum digitum, vertit ei cui benedicit, ac benedicendo totam manum dexteram extendit."

4. Signum Crucis fit per duas lineas ejusdem fere longitudinis, alteram "rectam" (*a–b*) et alteram "transversam" (*d–e*), quae lineam rectam in medio (*c*) intersecat.



5. Super oblata signum Crucis fit hoc modo: manus dextera ducitur ab extremitate posteriori *a* versus pectus ad *b* (linea recta); deinde ad *c* et *d;* tunc formatur linea transvera *d—e.*

Ita super solum calicem (vel solam hostiam): initium lineae rectae *a* est fere in extremitate posteriori pallae (hostiae), terminus *b* super ejus extremitate anteriori.—Super calicem et hostiam simul: terminus *a* in medio pallae, *b* super hostiam, et *d–e* super anteriorem pallae oram, vel inter calicem et hostiam. Lineae non debent esse curvatae, vel ex parte (e. g. *c–b*) depressiores. (Linearum initium vel directio aestimatur ex parvo digito.)

1 Auctores communiter.

Ad faciendam Crucem super hostiam solam dextera in eadem altitudine teneri potest uti pro Cruce super calicem; vel (secundum frequentem usum) manus demitti potest usque ad nodum calicis.

6. Quando in Missali notatur Crux + facienda, ea verba vel syllabae quae immediate ante + posita sunt, pronuntiantur ad lineam rectam, quae vero post + posita sunt ad lineam transversam.

Sacerdos religiose caveat in formando S. Crucis signo a celeriori manuum aut brachiorum motione aut gyratione, quae magis comicae actioni quam sacrae functioni convenit.

B. De manuum junctione, extensione et elevatione.

46. In manuum junctione palma ad palmam apponitur, "extensis et junctis pariter digitis, et pollice dextro super sinistrum posito in modum Crucis;" post Consecrationem vero usque ad ablutionem digitorum indices et pollices simul juncti tenentur. Manus ante pectus junctae nec nimium ad vultum neque ad terram sint conversae, sed naturaliter quasi per transversum ad coelum erectae. Ita per Missam aliasque s. functiones manus junctae tenentur, nisi aliud prescribatur.

2. *Manus junctae extremitati Altaris imponuntur,* ita "ut digiti parvi dumtaxat frontem seu medium anterioris partis tabulae seu mensae Altaris" vel antipendii "tangant," et reliqui digiti, sine ulla separatione a parvis digitis in superiori parte Mensae quiescant, "residuo manuum inter Altare et se retento, pollice dextero super sinistrum in modum Crucis posito." Ita manus ponuntur, quoties Celebrans in Altaris medio inclinatus orat, exceptis tribus vicibus, nempe:

(*a*) Ad *Munda cor meum;*

(*b*) Ad *Sanctus,*

(*c*) Ad primum *Agnus Dei* (in Missa de Requie ad tria *Agnus Dei*, quae omnia dicuntur manibus ante pectus junctis).

3. *Manus extenduntur* (sine elevatione nec ultra humerorum latitudinem, palmisque ad invicem conversis), et *statim junguntur*, quando Celebrans dicit:

(*a*) *Oremus* (praeterquam ante *Pater noster*);

(*b*) *Dominus vobiscum* conversus ad populum (in cantu lentius eas extendit et jungit);

[redacted]

(*c*) *Orate fratres.*

Nota. Extra Missam ad *Dominus vobiscum,* ad *Oremus* et Orationes manus omnino junctae tenentur.

4. *Manus* junctae *extenduntur* (non deprimendo) ad humerorum latitudinem, *et elevantur* ad superiorem humerorum partem, et non ultra, ibique *junguntur* (ita efformando quasi circulum), dein ad pectus demittuntur; ("Sacerdos manus extendens elevansque usque ad humeros . . . jungens . . .") :

(*a*) Ad *Gloria in excelsis Deo;*

(*b*) *Credo in unum Deum:*[2]

(*c*) *Veni sanctificator omnipotens aet. D.;*

(*d*) Ante *Te igitur;*

(*e*) Ad utrumque *Memento* manus usque ad faciem (os) elevari possunt ibique jungi; ad Memento vivorum prius non conjunguntur;

(*f*) Ad *Benedicat vos omnip. D.*

5. Manus ante pectus extensae tenentur, "ita ut palma unius manus respiciat alteram et digitis simul junctis, quorum summitas humerorum altitudinem distantiamque non excedat:"

(*a*) Infra Collectas, Secretas et Postcommuniones usque ad conclusionem *Per* (*eumdem*) *Dominum* etc., aut, si conclusio sit *Qui tecum* vel *Qui vivis* etc., usque ad *in unitate;*

(*b*) Infra Praefationem;

(*c*) Infra Canonem fere integrum, ut ibi notatur;

(*d*) Infra *Pater noster* usque ad *Amen* incl.

6. Una manus nunquam manet velut in aere pendula, dum altera aliquid agitur, sed juxta actionis qualitatem ponitur super Altare vel librum vel calicem, aut infra pectus.

7. Quando calix tegendus vel detegendus est, palla sumitur manu dextra inter pollicem et reliquos digitos, sed post Consecrationem pollice ab indice non disjuncto; sinistra autem tunc poni potest ad pedem calicis ("quod melius est," S. Lig.), aut super Altare, nempe ante Consecrationem extra corporale, post Consecrationem intra corporale.

[2] Rubr. ad *Credo*: "elevans et extendens manus . . jungit;" ad *Gloria* vero: "manus extendens elevansque dicit . . jungens." Probati tamen Rubricistae eundem ritum in utroque casu expressum censent.

ART. IV.

DE DIVERSO VOCIS TONO.

47. Triplex vox pro Missa privata distinguitur, vox alta, media et secreta.

Vox alta, seu "clara vel elata" illa est quae "audientibus ita sit accommodata, ut quae leguntur, intelligant." Vox paulum deprimi potest, "ne perturbet alios, qui fortasse in eadem Ecclesia tunc temporis celebrant." Voce alta dicuntur, quae Rubr. tit. XVI. exhibentur, nempe ea quae in Missa solemni a Celebrante, a s. Ministris et a Choro cantantur (e. g. Introitus, Graduale, Offertorium, Communio, praeterea initium Missae, nempe Ps. *Judica* etc., et finis, nempe Benedictio et ultimum Evangelium).

2. *Vox media,* "mediocriter clara," seu aliquantulum elevata, quae a ministro et a proxime adstantibus audiatur, sed depressior quam vox alta. Voce media dicuntur:

(*a*) *Orate fratres,* haec duo verba;

(*b*) *Sanctus,* et *Benedictus;*

(*c*) *Nobis quoque peccatoribus* haec tria verba;

(*d*) *Domine non sum dignus,* haec quatuor verba.

In Missa solemni, ne cantus perturbetur, ea quae in Missa privata dicuntur clara voce, a Celebrante dicuntur voce submissa, i. e. media. (Terminus "vox submissa" aliquando pro voce media, aliquando pro voce secreta adhibetur.) At Benedictio in fine Missae semper voce alta dicitur.

3. *Vox secreta* est, quae ita profertur "ut Sacerdos ipsemet se audiat [1] et a circumstantibus non audiatur." Alia omnia, quae in n. 1, et 2, proposita non sunt, dicuntur hac voce secreta.

[1] Quamvis probabilius hic (et in divino officio recitando) ad implendam praecepti substantiam non requiratur, ut Sacerdos se ipsum audiat, modo revera organis vocis, non mente tantum, verba pronuntiet, tamen in Consecratione et omni Sacramentorum forma pars tutior tenenda est, nempe ita pronuntiare debet, ut se ipsum, (secluso strepitu) audire possit.

[redacted]

ART. V.

MEMORITER SCIENDA.[1]

48. Sacerdos memoriter scire debet:

1. Orationes dicendas dum lavat manus et induit sacras vestes.

2. Ps. *Judica* et rel. omnia, quae in Ordinario Missae continentur, usque ad Praefationes. (*Gloria, Credo, Suscipe* et *Lavabo* saltem perutile, memoriter scire.)

3. *Te igitur* initio Canonis usque ad *in primis.*

4. *Benedictam, adscriptam* etc. quae praecedunt formam consecrationis hostiae; similiter quae praecedunt consecrationem calicis (utile).

5. Orationem totam *Supplices.*

6. *Da propitius pacem* etc.

7. Tres Orationes ante Communionem, et reliqua quae "Ordo Missae" continet.

8. Evangelium S. Joannis (perutile).

9. Canticum trium Puerorum.

[1] Vide App. I.

CAPUT V.

DE RITU SERVANDO IN CELEBRATIONE MISSAE PRIVATAE.

ART. I.

DE PRAEPARATIONE SACERDOTIS CELEBRATURI.[1]

49. "Sacerdos celebraturus Missam, praevia Confessione Sacramentali, quando opus est, et saltem Matutino cum Laudibus absoluto, Orationi aliquantulum vacet."[2]

2. Ut Sacerdos ad hoc tremendum Sacrificium proxime se praeparet, auctores enixe hortantur, ut, si fieri possit, meditationem quotidianam per semihoram praemittat, vel saltem per quartam horae partem se recolligat, "et Orationes inferius [in Missali] positas pro temporis opportunitate dicat," nec unquam omittat protestationem *Ego volo celebrare Missam,* etc. (Indulg. 50 dierum.) et Sacrificium specialiter applicare. "Potest etiam Celebrans, si pro pluribus orare intendit, ne" ad *Memento* infra Canonem "circumstantibus sit morosus, ante Missam in animo proponere sibi omnes illos tam vivos, quam defunctos, pro quibus in ipsa Missa orare intendit, et hoc loco [ad *Memento*] generaliter unico contextu ipsorum vivorum," et postea defunctorum "commemorationem agere, pro quibus ante Missam orare proposuit in Missa."[3] (Ap-

[1] Sacerdoti enixe commendatur, ut, in quantum possit, *quotidie* celebret, ac, si curatus sit, hora omnino fixa et fidelibus convenienti. "Qui non celebrat, quantum in ipso est, privat Deum laude et gloria, Angelos laetitia, peccatores venia, justos subsidio, in purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam Christi speciali beneficio, se ipsum medicina contra peccata quotidiana." (S. Bonaventura.)

[2] Recitatio Matutini et Laudum juxta sententiam probabiliorem praescribitur sub peccato veniali tantum; sed Benedictus XIV. docet: "Quod si quis nulla causa urgente, perpetuo id faceret, ut videretur quasi statuisse animo, nunquam celebrare, dicto Matutino et Laudibus, tum concludi posset, hujusmodi Sacerdotem peccare mortaliter."

De veste Talari cfr. C. Pl. Balt. II. n. 149.

[3] Rubr. tit. VIII.

[redacted]

plicatio fructus specialis per intentionem saltem habitualem etiam pro defunctis certe ante Consecrationem fiat necesse est.)

3. "Deinde . . . [1°] accipit Missale, perquirit Missam, perlegit, et signacula ordinat ad ea, quae dicturus est. Postea [2°] lavat manus," non solum digitos, "dicens Orationem inferius positam [*Da Domine* etc.]. Deinde [3°] praeparat calicem . . . : super ejus os ponit purificatorium mundum," ita ut ejus extremitates ab utraque parte calicis pendeant; et super illud, ubi adhibetur, cochlear parvum, cujus usus permittitur,[4] "et super illud patenam cum hostia integra, quam leviter extergit, si opus est, a fragmentis,[5] et eam tegit parva palla linea, tum velo serico: super velo ponit bursam coloris paramentorum, intus habentem corporale plicatum," ita ut pars bursae aperta respiciat Celebrantem dum tenet calicem; nec licet super eundem aliquid ponere, e. g. clavem, sudarium.

4. "Quibus ita dispositis accedit ad paramenta, quae non debent esse lacera, aut scissa, sed integra et decenter munda, ac pulchra, et ab Episcopo itidem vel alio facultatem habente, benedicta: ubi calceatus pedibus, et indutus vestibus sibi convenientibus, quarum exterior saltem talum pedis attingat; induit se . . . dicens ad singula singulas Orationes inferius positas." Paramenta non ponuntur in Altari, sed, deficiente sacristia, in mensa separata, et hac quoque deficiente, in cornu Evangelii; pro solo Episcopo semper ponuntur in medio Altari, nisi SS. Sacramentum sit ibi expositum.

5. "Ac primum accipiens [1°] Amictum circa extremitates, et chordulas, osculatur illum in medio, ubi est Crux, [deficiente Cruce osculum omittitur,] et ponit super caput" circumducens manum dextram super humerum sinistrum atque extendit super caput ipsum, dicens: *Impone Domine* etc., "et mox declinat ad collum," nisi caput tectum sit caputio, "et eo vestium collaria circumtegens,[6] ducit chordulas sub brachiis, et circumducens per dorsum, ante pectus reducit, et ligat."

[4] V. n. 55, 4 nota.

[5] Hostiae, quae hodiedum Romae in usu sunt, diametrum habent octo centimetrorum ($3^1/_{16}$ *inch.*), et particulae trium cum dimidio" ($1^1/_3$ *inch.*), Schober, Caer. Miss. priv., p. 5.

[6] C. Pl. Balt. II. 360.

[2°] "Tum alba induitur, [*Dealba me* etc.] caput submittens, deinde manicam dexteram brachio dextero, et sinistram sinistro imponens, albam ipsam corpori adaptat, elevat ante, et a lateribus hinc inde, et

[3°] cingulo per ministrum a tergo sibi porrecto," cum floccis dextrorsum, "se cingit," dicens: *Praecinge me* etc. "Minister elevat albam super cingulum circumcirca, ut honeste dependeat et tegat vestes; ac ejus fimbrias diligenter aptat, ut ad latitudinem digiti vel circiter, super terram aequaliter fluat."

[4°] "Sacerdos accipit manipulum, osculatur Crucem in medio, et imponit brachio sinistro" inter pulsum et cubitum, illudque acicula vel chordula ligare potest; interim dicit: *Merear Domine* etc.

[5°] "Deinde ambabus manibus accipiens stolam, simili modo deosculatur, et imponit medium ejus collo," (*Redde mihi* etc.) ita ut a planeta contegatur, non vero ad tergum rejiciatur,[7] "ac transversando eam ante pectus in modum Crucis, ducit partem a sinistro humero pendentem ad dexteram, et partem a dextero humero pendentem ad sinistram. Sicque utramque partem stolae extremitatibus cinguli hinc inde ipsi cingulo conjungit."

6. "Postremo Sacerdos accipit planetam" seu casulam, quam chordulis, si adsint, interius ante pectus alligat, dicens: *Domine qui dixisti* etc. Si opus sit, sudarium album cingulo ita appendatur ut intra casulam contegatur.

7. In sacristia semper altum silentium servetur, et a pueris ministrantibus servandum exigatur. Quae vero omnino necessaria sunt, dicantur submissa voce.

ART. II.

DE INGRESSU SACERDOTIS AD ALTARE.

50. "Sacerdos omnibus paramentis indutus," capite tecto, "accipit manu sinistra calicem, ut supra praeparatum, quem" ad nodum tenens "portat elevatum ante [non infra] pectus, bursam manu dextra super calicem tenens, et" nihil dicens "facta reverentia Cruci vel imagini illi, quae in Sacristia erit

[7] Martinucci, I. 18.

[redacted]

[si abusive desit, inclinatio omittitur], capite cooperto accedit ad Altare, ministro cum Missali . . praecedente, superpelliceum induto." Celebrans ipse portet calicem; quodsi ex aliqua causa eum non portet, accedit manibus junctis, et omnes reverentias detecto capite facit. "Procedit autem oculis demissis, incessu gravi" non festinanter quasi per plateam ambulans, "erecto corpore." "Ad januam sacristiae aqua benedicta, si commode fieri potest, se signet, sin minus, se abstineat."[1] Si sacristia sit retro post Altare, e parte Evangelii egrediendum et e parte Epistolae ad illam accedendum est.[2]

"Si vero contigerit eum transire ante Altare majus, capite cooperto faciat ad illud reverentiam: si ante locum Sacramenti," vel a latere ejusdem transeat, "genuflectat." Neminem salutat obvenientem, nisi Episcopum, vel Sacerdotem paratum ad Altare procedentem vel inde redeuntem. Si transitus sit angustus, qui accedit ad Altare locum cedet de Altari redeunti.[3]

2. "Cum pervenerit ad Altare, stans ante illius infimum gradum, caput detegit, biretum ministro porrigit," vel caputium, si eo utatur, deprimit, "et Altari, seu imagini Crucifixi desuper positae profunde se inclinat" corporis inclinatione. "Si autem in eo sit tabernaculum SS. Sacramenti, genuflectens" in plano[4] "debitam facit reverentiam. Tunc ascendit," incipiens dextro pede, "ad medium Altaris, ubi ad cornu Evangelii sistit calicem." (Religiosus caputium, ministro adjuvante, componit.) Manu dextra "extrahit corporale de bursa, quod extendit in medio Altaris," prius plicaturas laterales, tum plicaturam posteriorem, ultimo anteriorem (in qua Crux acu convenienter depicta est), ita ut ejus ora spatium digiti distet a fronte Altaris,[5] "et super illud calicem velo coopertum collocat," et velum decenter adaptat, ut calix velatus sit totus in parte anteriori;[6] "bursam autem" jam prius dum extrahit corporale, collocat "ad cornu Evangelii," ita ut ejus apertura sit versus medium Altaris, nisi imago in ea alium statum requirat. "Si in Altari paramenta accipit, hoc idem facit antequam descendat ab Altari, ut Missam inchoet."

1 D. 2514. 4.
2 D. 3029. 12.
3 Martinucci, I. 18, 22.
4 D. 2682. 47.
5 D. 3448. 12.
6 D. 1379.

3. "Collocato calice in Altari,[7] accedit ad cornu Epistolae," manibus junctis, et in incessu latus suum vertit ad Altare, ita ut directe, non lateraliter, transeat,—quod in similibus semper observandum,—"Missale super cussino aperit, reperit Missam, et signacula suis locis accommodat.[8] Deinde rediens ad medium Altaris, facta primum Cruci reverentia" quin ibi moretur ad formandam iterum intentionem, facie sua "se vertens ad cornu Epistolae," et paululum se retrahens ad cornu Evangelii[9] ne terga Cruci vertat, "descendit post infimum gradum Altaris, ut ibi faciat Confessionem."

ART. III.

DE PRINCIPIO MISSAE ET CONFESSIONE FACIENDA.

51. "Sacerdos cum primum descenderit sub infimum gradum Altaris, convertit se ad ipsum Altare, ubi stans in medio junctis manibus ante pectus [ut supra] facta prius Cruci vel Altari profunda reverentia" per profundam corporis inclinationem, "vel si in eo sit tabernaculum SS. Sacramenti, facta genuflexione" in infimo gradu, "erectus, incipit Missam."

2. "Celebrans . . producens manu dextra a fronte ad pectus signum Crucis, dicit intelligibili voce: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.* Et postquam id dixerit, non debet advertere quemcumque in alio Altari celebrantem, etiamsi Sacramentum elevet, sed continuate prosequi Missam suam usque ad finem. Quod item observatur in Missa solemni, et simul etiam a Ministris." Si vero ante Missam, vel post eam, finito ultimo Evangelio, fiat elevatio in alio Altari vicino, utroque genu flectit in infimo gradu, donec ibi calix depositus fuerit. Si autem in ipso Altari SS. Sacramentum e tabernaculo moveatur, e. g., pro infirmo, vel ipsemet illud aperit et pyxidem extrahit, vel flectit utroque genu, modo non sit infra Canonem aut in media Oratione vel alia parte; tunc enim finita Oratione etc. genuflectit. In omni tamen casu, etiam infra Canonem, si opus sit, parum a medio recedere potest.[1]

[7] Cf. n. 40. r.

[8] Quod quidem ministro in Missis privatis non permittitur. D. 2572. 5.

[9] Martinucci, I. p. 310; Van der Stappen, III. Q. 194.

[1] De Herdt, II. 35.

[redacted]

3. "Postquam dixerit: *In nomine Patris,* etc. ut supra, jungens iterum manus ante pectus, pronuntiat clara voce Antiphonam: *Introibo ad Altare* Dei . . . et prosequitur cum ministro alternatim Psalmum: *Judica me Deus,* usque ad finem, cum *Gloria Patri* . . . Cum dicit *Gloria Patri,* etc., caput Cruci inclinat."

4. "Repetita Antiphona *Introibo,* dextera manu producens signum Crucis a fronte ad pectus, dicit *V. Adjutorium nostrum in nomine Domini. R. Qui fecit coelum et terram.* Deinde Altari se profunde" corpore "inclinans, junctis manibus dicit: *Confiteor Deo,* ut in Ordine Missae: et prosequitur eodem modo stans inclinatus, donec a Ministro dictum sit, *Misereatur.* Cum incipitur a Ministris *Confiteor,*" i. e. cum ipse dixerit *Amen,* "se erigit. Cum dicit: *mea culpa,* ter pectus dextera manu percutit, sinistra infra pectus posita;" nec ad *vobis—vos—fratres* se vertit ad ministrum, ut fit solummodo in Missa solemni.

5. "Facta a circumstantibus," vel a ministro eorum vices supplente, "Confessione,[2] Celebrans stans respondet: *Misereatur vestri,* etc. Deinde producens manu dextera a fronte ad pectus signum Crucis, dicit: *Indulgentiam,* etc. Et stans" corpore mediocriter "inclinatus, junctis manibus prosequitur: *Deus tu conversus,* et quae sequuntur in Ordine Missae, clara voce usque ad Orationem *Aufer a nobis,* etc.; et cum dicit: *Oremus*" clara voce et adhuc inclinatus, "extendit et jungit manus."

ART. IV.

DE INTROITU, KYRIE ELEISON, ET GLORIA IN EXCELSIS.

52. "Dum dicit: *Aufer a nobis,* etc. Celebrans junctis manibus ascendit ad medium Altaris, et ibi" corpore mediocriter "inclinatus, manibusque item junctis super eo positis,[1] secreto dicit: *Oramus te Domine* etc. et cum dicit: *Quorum reliquiae hic sunt,* osculatur Altare in medio" non ad latus, torquendo corpus, sed paululum recedens ab Altari, "manibus extensis aequaliter hinc inde super eo" extra corporale "positis: quod

[2] Sacerdos celebrans sine ministro non debet bis dicere Confiteor. D. 3368, 1.

[1] Ut supra 46. 2.

semper servatur quando osculatur Altare; sed post consecrationem pollices ab indicibus non disjunguntur" et manus super corporale ponuntur. "In omni etiam deosculatione sive Altaris, sive libri, sive alterius rei, non producitur signum Crucis pollice vel manu super id, quod osculandum est."

2. "Osculato Altari, accedit ad cornu ejus sinistrum, id est Epistolae; ubi stans versus Altare, et producens a fronte ad pectus signum Crucis, incipit intelligibili voce Introitum Missae, et prosequitur junctis manibus. Cum dicit: *Gloria Patri,* tenens junctas manus, caput inclinat versus Crucem" usque ad *Sicut erat* excl. "Cum repetit Introitum, non signat se, ut prius, et eo repetito, junctis manibus ante pectus accedit ad medium Altaris,[2] ubi stans versus illud similiter manibus junctis, [non prius] dicit eadem voce ter *Kyrie eleison,* ter *Christe eleison,* et iterum ter *Kyrie eleison,* alternatim," non confuse et indistincte, "cum ministro. Si minister, vel qui intersunt, Celebranti non respondeant, ipse solus novies dicit."

3. "Dicto ultimo *Kyrie eleison,* Sacerdos stans in medio Altaris, et manus extendens, elevansque," absque oculorum elevatione, "usque ad humeros (quod in omni manuum elevatione observatur), voce praedicta incipit, si dicendum sit *Gloria in excelsis.* Cum dicit *Deo,* jungens manus, caput Cruci inclinat: quo erecto, stans junctis manibus ante pectus, prosequitur usque ad finem. Cum dicit *Adoramus te,* etc.[3] . . . caput Cruci inclinat. Cum dicit in fine *Cum sancto Spiritu,* se ipsum a fronte ad pectus signat, interim absolvens: *In gloria Dei Patris. Amen;*" nec jungit manus.

4. Celebrans aliquid recitans (vel cantans) in toto cursu Sacrificii non debet caput aut corpus indecenter librare seu agitare, sed se teneat immobilem, nisi Rubricae motum capitis aut corporis exigant.

ART. V.

DE ORATIONE.

53. "Dicto Hymno *Gloria in excelsis,* vel si non sit dicendus, eo omisso, Celebrans osculatur Altare in medio, manibus hinc inde super eo, ut supra, extensis: tum illis ante pectus

[2] Vid. n. 40, r. [3] Vid. n. 40, d.

[redacted]

junctis, et demissis ad terram oculis, vertit se a sinistro latere ad dexterum versus populum, hoc est, per eam partem quae respicit cornu Epistolae, et extendens ac jungens manus ante pectus, ut prius, dicit voce praedicta: *Dominus vobiscum, R. Et cum spiritu tuo.*" Se vertens attendat, ut aliquantulum se elonget ab antipendio Altaris, ne casulam vel antipendium plicet vel terat. "Et junctis ut prius manibus revertitur per eamdem viam ad librum, ubi eas extendens et jungens ante pectus, caputque Cruci inclinans, dicit: *Oremus;* tum . . . extensis manibus, dicit Orationem. Cum dicit: *Per Dominum nostrum,* jungit manus, easque junctas tenet usque ad finem," interim non vertens folia. "Si aliter concluditur Oratio, *Qui tecum,* vel *Qui vivis,* cum dicit: *In unitate,* jungit manus."

2. "Cum nominatur nomen *Jesus,* caput versus Crucem inclinat." Si in conclusione nomen *Jesus* non occurrit, non inclinat. "Et similiter ubicumque nominatur nomen beatae Mariae, vel Sanctorum, de quibus dicitur Missa, vel fit commemoratio, item in Oratione pro Papa, quando nominatur, semper caput inclinat,[1] non tamen versus Crucem, nisi in loco principali Altaris habeatur simulacrum vel imago B. M. V. aut Sancti, aut Reliquia, ad quam caput inclinatur. Si plures Orationes sint dicendae, idem in eis, in voce, extensione manuum et capitis inclinatione, quod supra dictum est, observatur."

3. "In Quatuor Temporibus, vel alias, quando dicendae sunt plures Orationes cum Prophetiis, dicto *Kyrie eleison* in medio Altaris, revertitur" statim "ad cornu Epistolae, ubi stans ante librum, extensis et junctis ante pectus manibus, caput Cruci inclinans, dicit: *Oremus, Flectamus genua;* et illico manibus super Altare extensis, ut seipsum ad Altare sustineat, genuflectit, et sine mora surgens, eadem voce ministro respondente: *Levate,* manibus extensis dicit Orationem ut supra, et in conclusione eas jungit. Dum autem legit Prophetias, tenet manus super librum, vel Altare positas, ut mox dicetur de Epistola." Post singulas Prophetias respondetur *Deo gratias,* praeterquam in ultimo biduo Hebdomadae Sanctae et ad quintam, i. e. ultimam Lectionem (Danielis) in

[1] Vide n. 40.

Sabbatis Quatuor Temporum. Minister ante Missam monendus est, ut sic respondeat *Deo gratias,* neve librum deferat, antequam dictum sit *Dominus vobiscum.*

ART. VI.

DE EPISTOLA, GRADUALI ET ALIIS USQUE AD OFFERTORIUM.

54. "Dictis Orationibus, Celebrans positis super librum, vel super Altare" aut legile "manibus, ita ut palmae librum tangant vel (ut placuerit) librum tenens, legit *Epistolam* intelligibili voce" in fine vocem deprimens, "et respondetur a ministro: *Deo gratias;* et similiter stans eodem modo" voce alta "prosequitur *Graduale, Alleluja,* et *Tractum* ac *Sequentiam,* si dicenda sint." Si ad aliqua verba genuflectendum sit, manus Altari imponit, et sine mora, primis verbis dictis, surgit.

"Quibus dictis, Sacerdos ipsemet, seu" convenientius "minister portat librum Missalis ad alteram partem Altaris in cornu Evangelii, et dum transit ante medium Altaris" Celebrans, "caput Cruci inclinat, et Missale sic locat, ut posterior pars libri respiciat ipsum cornu Altaris, et non ad parietem, sive ad partem ejus contra se directam," ita ut Celebrans Evangelium legens partem aliquam sui vultus ad populum conversam habeat.

2. "Locato Missali, Celebrans redit ad medium Altaris, ibique stans junctis manibus ante pectus," non vero super Altare positis "levatisque ad Deum" id est ad Crucem "oculis et statim demissis, tum profunde" corpore "inclinatus dicit secreto: *Munda cor meum,* et *Jube Domine* [non Domne] *benedicere,—Dominus sit in corde meo,* ut in Ordinario. Quibus dictis vadit ad librum Missalis, ubi stans versus illum, junctis manibus ante pectus, dicit intelligibili voce: *Dominus vobiscum. R. Et cum spiritu tuo.* Deinde pollice dextrae manus," non ungue sed pollicis pulpa, reliquis vero digitis extensis junctisque invicem, "signo Crucis signat primo librum super principio Evangelii, quod est lecturus, postea seipsum in fronte, ore, et pectore, dicens: *Sequentia,* vel *Initium sancti Evangelii* etc. *R. Gloria tibi Domine."*

[redacted]

Sinistram autem ponit super librum dum librum signat[1] dicens *Sequentia* vel *Initium,* et infra pectus dum se ipsum signat. "Tum junctis iterum manibus ante pectus, stans ut supra, prosequitur Evangelium usque ad finem. Quo finito, minister stans in cornu Epistolae post infimum gradum Altaris, respondet: *Laus tibi Christe:* et Sacerdos elevans parumper librum" sine pulpito "osculatur principium Evangelii, dicens [secreto]: *Per Evangelica dicta* etc. . . . Cum autem nominatur nomen *Jesus,* caput versus librum inclinat; et eodem modo versus librum genuflect., cum in Evang. est genuflectendum."

3. "Dicto Evangelio" Missale in legili collocat prope corporale et "stans in medio Altaris versus Crucem, elevans et extendens manus" sine oculorum elevatione, "incipit (si dicendum sit) *Credo,* cum dicit: *In unum Deum,* jungit manus, et caput Cruci inclinat: quo erecto, stans ibidem junctis ante pectus manibus, ut prius, prosequitur usque ad finem. Cum dicit: *Jesum Christum,* caput Cruci inclinat. Cum dicit: *Et incarnatus est,* usque ad *Et homo factus est* inclusive, genuflectit" dextro genu et tam lente, ut incipiens ad *Et incarnatus,* in genuflexione absolvat *Et homo factus est,* quin genu in suppedaneo sistat; nec caput inclinat. "Cum dicit: *Simul adoratur,* caput Cruci inclinat. Cum dicit: *Et vitam venturi saeculi. Amen,* producit sibi manu dextra signum Crucis a fronte ad pectus;" nec jungit manus.

ART. VII.

DE OFFERTORIO ET ALIIS USQUE AD CANONEM.

55. "Dicto Symbolo, vel si non sit dicendum, post Evangelium Celebrans osculatur Altare in medio, et junctis manibus ante pectus ibidem a manu sinistra ad dextram (ut dictum est supra), vertit se ad populum, et extendens ac jungens manus dicit: *Dominus vobiscum;* et junctis manibus revertitur per eamdem viam ad medium Altaris, ubi extendens et jungens manus, caputque Cruci inclinans dicit *Oremus;* tum junctis ut prius manibus, dicit Offertorium, et omnia, quae

[1] D. 2572. 11.

usque ad finem Missae in medio Altaris dicenda sunt, dicit ibidem stans versus ad Altare, nisi ubi aliter ordinatur."

2. "Dicto Offertorio, discooperit calicem," nempe utraque manu velum amovet et plicat, ita ut pars exterior sola appareat, illudque in cornu Epistolae prope corporale reponit, vel ministro plicandum praebet; tum sinistra super Altare posita, dextra calicem ad nodum accipit, "et ad cornu Epistolae sistit" extra corporale, "et manu dextra amovet parvam pallam desuper hostiam," ponitque super velum vel contra latus tabellae, "accipit patenam cum hostia" inter pollicem et digitos dextrae eamque affert usque ad medium corporalis, "et ambabus manibus" utroque pollice et indice extensis circa circumferentiam patenae, reliquis digitis subter patenam junctis, "usque ad pectus eam elevatam tenens, oculis ad Deum elevatis et statim demissis dicit [secreto]: *Suscipe sancte Pater,* etc."

3. "Quo dicto, patenam utraque manu tenens" eamque paululum demittens,[1] "cum ea facit signum Crucis super corporale," nempe super ejus anteriorem partem in qua positurus est hostiam "et deponit hostiam" ex posteriori parte patenae "circa medium anterioris partis corporalis ante se," nempe fere ad primam ejus plicaturam super lapidem sacrum, "et patenam ad manum dextram aliquantulum" usque ad medietatem ponit "subtus corporale; quam exterso calice, ut dicetur, cooperit purificatorio."

4. "Deinde" a medio Altaris recedens,[2] "in cornu Epistolae accipit calicem" manu sinistra ad nodum, deposito cochleari parvo, si adsit, super Altare,[3] "purificatorio extergit, et sinistra tenens illius nodum" ac simul pollice ejusdem manus purificatorium ita ut supra pedem calicis dependeat et guttas vini vel aquae forte destillantes excipiat, manu dextra "accipit ampullam vini de manu ministri (qui osculatur ipsam ampullam, non autem manum Celebrantis) et ponit vinum in calicem. Deinde eodem modo tenens calicem, producit

[1] Auctores communiter.

[2] V. n. 40. r.

[3] Usus *parvi cochlearis* non est prohibitus. D. 3064. 4. "In Missis privatis permitti non potest ministro, si fuerit Sacerdos vel Diaconus sive Subdiaconus, ut praeparet calicem et ipsum extergat in fine post ablutiones, sicut in Missa solemni." D. 2572. 6.

[redacted]

signum Crucis super ampullam aquae et" eodem tempore "dicit: *Deus qui humanae substantiae,* et" ex ampulla vel adhibito parvo cochleari "infundens parum," i. e. aliquot guttas "aquae in calice prosequitur: *Da nobis per hujus aquae et vini mysterium,* etc." Ad nomen *Jesus Christus* caput Cruci inclinat.

5. "Imposita aqua in calice," quem purificatorio extergere magis congruit, et summopere laudabile est [4] circumducendo intra cuppam indicem dextrum purificatorio circumvolutum, (cochlear parvum extergit,) sinistra calicem versus corporale admovet, "et finita Oratione praedicta" purificatorium in duas partes aequales plicatum super partem patenae apertam ponit, ita ut purificatorii extremitates respiciant Altare; et Celebrans revertitur manibus junctis ad medium Altaris (vel revertens retinet purificatorium inter manus junctas, illudque tunc dextra deponit), et sinistra super Altare deposita, "accipit manu dextra calicem discoopertum, et stans ante medium Altaris, ipsum ambabus manibus elevatum tenens" ita ut cuppa oculos non excedat, neque sit infra os seu infra mentum Celebrantis, "videlicet cum sinistra pedem, cum dextra autem nodum infra cuppam, intentis ad Deum oculis offert dicens: *Offerimus tibi Domine,* etc. Qua Oratione dicta," non prius, calicem aliquantulum demittit et ambabus manibus "facit signum Crucis cum calice super corporale" retro post hostiam "et ipsum in medio post hostiam collocat, et palla cooperit." [5]

"Deinde junctis manibus super Altare positis, aliquantulum," i. e. corpore mediocriter "inclinatus, dicit secreto: *In spiritu humilitatis,* etc. Postea erectus, elevans oculos, manusque expandens, easque in altum porrectas,[6] et statim jungens ante pectus (quod semper facit, quando aliquid est benedicturus) dicit" interea: "*Veni Sanctificator,* etc. Cum dicit, *et benedic:* signat manu dextra communiter super hostiam et calicem, sinistra posita super Altare."

6. "Tum junctis ante pectus manibus [7] accedit ad cornu Epistolae, ubi stans, ministro aquam fundente, lavat manus, id est extremitates digitorum pollicis et indicis, dicens" voce

[4] D. 2572. 14.
[5] Vid. n. 46. 7.
[6] Ordo Missae: "oculis statim demissis."
[7] V. n. 40. r.

submissa, "Psalmum *Lavabo inter innocentes,* cum *Gloria Patri,* etc.," inclinando ad Crucem intra doxologiam.

7. "Celebrans, lotis manibus, eas tergit," dicens ibidem totum Ps. *Lavabo* ad Altare conversus, "et illis ante pectus junctis, revertitur ad medium Altaris, ubi stans, oculosque ad Deum elevans, et statim demittens, manibus junctis super Altare aliquantulum," id est corpore mediocriter, "inclinatus dicit secreto Orationem *Suscipe Sancta Trinitas,* etc.[8] Qua dicta, manibus hinc inde extensis, et super Altare positis, osculatur illud in medio: tum junctis manibus ante pectus, demissisque oculis ad terram, a sinistra manu ad dextram vertit se ad populum, et versus eum extendens et jungens manus, dicit voce aliquantulum elata: *Orate fratres,* et secreto prosequens: *ut meum ac vestrum Sacrificium,* etc. perficit circulum," sine mora "revertens, junctis manibus ante pectus, a manu dextra ad medium Altaris. Et responso a ministro, vel a circumstantibus: *Suscipiat Dominus Sacrificium de manibus tuis,* etc. (alioquin per se ipsum dicens: *Sacrificium de manibus meis*) ipse Celebrans submissa voce dicit: *Amen;* et manibus ante pectus extensis, ut fit ad Orationem, stans in medio Altaris versus librum, dicit absolute sine *Oremus,* et sine alia interpositione Orationem, vel Orationes secretas," numero et ordine prout dictae sunt Collectae. "Cum dicit: *Per Dominum,* jungit manus: cum dicit: *Jesum Christum,* caput inclinat: quod facit in prima Oratione," ipse respondens secreto *Amen,* "et in ultima, si plures sint dicendae."

8. "Pervento autem in conclusione ultimae Secretae ad verba *illa*: *Per omnia saecula saeculorum* exclusive, Sacerdos stans in medio Altaris" demittit dextram super Altare, sinistra quaerit Praefationem, tum ambabus "depositis super eo manibus hinc inde extensis, dicit convenienti et intelligibili voce Praefationem. Cum dicit: *Sursum corda,* elevat manus hinc inde extensas usque ad pectus, ita ut palma unius manus respiciat alteram. Cum dicit: *Gratias agamus Domino,* jungit manus; cum dicit: *Deo nostro,* oculos elevat, et statim Cruci caput inclinat. Responso: *Dignum et justum est,* elevatis et extensis ut prius manibus prosequitur Praefationem propriam,

8 In hac Oratione legendum: *in honorem B. M.*

[redacted]

vel communem, ut tempus requirit." Inclinatur ad nomen *Jesus* et *Maria,* non vero ad *Per Christum Dominum;* distribuenda sunt haec tria, non duo, membra: *Domine sancte,—Pater omnipotens,—aeterne Deus.*

"Cum dicit: *Sanctus,* junctis ante pectus manibus," non vero super Altare depositis, "et inclinatus," mediocri corporis inclinatione, "voce mediocri prosequitur, ministro interim parvam campanulam pulsante. Cum dicit: *Benedictus qui venit in nomine Domini,* etc. erigit se, et signum Crucis sibi producit a fronte ad pectus."

ART. VIII.

DE CANONE MISSAE USQUE AD CONSECRATIONEM.

56. "Finita Praefatione, ut supra, Sacerdos stans ante medium Altaris versus ad illud," dextram deponit, sinistra aperit folium Canonis, manus jungit,[1] dein "extendit et aliquantulum elevat manus oculisque elevatis ad Deum, et sine mora devote demissis, ac manibus junctis et super Altare positis, profunde inclinatus" corpore, tunc et non prius,[2] "incipit Canonem, secreto dicens: *Te igitur,* etc. ut in Ordine Missae. Cum dicit: *Uti accepta habeas et benedicas,* etc." post *petimus,* sine erectione corporis manus utrinque extra corporale ponit atque tunc "prius osculatur Altare in medio, deinde erigit se, et stat junctis manibus ante pectus. Cum dicit: *Haec* ✠ *dona, haec* ✠ *munera, haec sancta* ✠ *sacrificia,* dextra manu," sinistra super Altare posita, "signat ter communiter super hostiam et calicem. Deinde extensis manibus ante pectus prosequitur: *In primis quae tibi offerimus,* etc."

2. "Ubi dicit: *Una cum famulo tuo Papa nostro N.* exprimit nomen Papae; Sede autem vacante verba praedicta omittuntur. Ubi dicitur, *et Antistite nostro N.* specificatur nomen Patriarchae, Archiepiscopi, vel Episcopi ordinarii in propria Dioecesi," in qua celebratur, quamvis nondum consecratus sit Episcopus, modo a S. Sede sit confirmatus, et qua talis possessionem Ecclesiae ceperit per se ipsum vel per suum procuratorem;[3] e contra non exprimitur nomen Adminis-

[1] Juxta alios non jungit manus. Cf. Rubr. Ord. Missae.

[2] Juxta quosdam simul cum elevatione manuum incipit *Te igitur.*

[3] D. 3500. 2.

tratoris vel Vicarii Apostolici, quamvis consecratus sit Episcopus,[4] "et non alterius Superioris, etiamsi Celebrans sit omnino exemptus, vel sub alterius Episcopi jurisdictione. Si vero Episcopus ordinarius illius loci, in quo Missa celebratur, sit vita functus, praedicta verba omittuntur, quae etiam omittuntur ab iis, qui Romae celebrant." Si Celebrans ignoret nomen Episcopi loci, dicit tamen *Antistite nostro,* mentaliter renovans intentionem pro eo precandi.[5]

3. "Cum dicit: *Memento Domine,* elevans et jungens manus usque ad faciem vel pectus" id est usque ad superiorem partem pectoris vel ad mentum, tam lente, ut interim absolvat verba usque ad *tuarum,* et "sic junctis manibus stat paulisper," circiter spatio unius *Pater noster,* "in quiete demisso aliquantulum capite,—orat aliquantulum pro quibus orare intendit [Rubr. spec.]—faciens commemorationem vivorum Christi Fidelium ad suam voluntatem, quorum nomina, si vult, secreto commemoret: non tamen necesse est ea exprimere, sed mente tantum eorum memoriam habeat." [6]

4. "Commemoratione vivorum facta, demissis, et extensis, ut prius, manibus, continuat: *Et omnium circumstantium,* etc. Similiter stans prosequitur: *Communicantes.* Cum dicit: *Jesu Christi,* caput Cruci inclinat:" ad nomen *Mariae,* vel Sancti ibidem relati, de quo Missa vel octava[7] vel commemoratio fit, inclinat versus librum; quare notetur: S. *Jacobus* ibi primo loco positus est *major,* 25 Jul., qui 2° loco, *minor* ("Jacobi, Philippi"), 1 Maji; Linus 23 Sept.; Cletus 26 Apr.; Clemens 23 Nov.; Xystus (Sixtus) 6 Apr., vel alius 6 Aug.; Cornelius et Cyprianus 16 Sept.; Laurentius 10 Aug.; Chrysogonus 24 Nov.; Joannes et Paulus 26 Jun.; Cosmas et Damianus 27 Sept.; "in conclusione, quando dicit: *Per eumdem,* jungit manus."

57. "Cum dicit: *Hanc igitur oblationem,*" disjungit manus ex parte digitorum parvorum, easque junctas tenet ex parte pollicum, qui maneant ad invicem per modum Crucis supra,

[4] D. 3047. 4.

[5] Convenit, ut in quavis sacristia patenter ponatur tabella exhibens nomen Episcopi necnon Titularis Ecclesiae et Orationem imperatam.

[6] V. n. 49, 2.

[7] V. n. 40.

[redacted]

non infra manus[8] atque "expandit manus simul super oblata, ita ut palmae sint apertae versus ac supra calicem et hostiam" et digitorum extremitas ad medium pallae, quin eam tangat manibus, "quas sic tenet usque ad illa verba: *Per Christum Dominum nostrum;* tunc enim jungit manus," et retrahit ante pectus.

2. "Sic prosequitur: *Quam oblationem tu Deus in omnibus, quaesumus;*" tum deponit sinistram, "et cum dicit, *Bene+dictam, adscrip+tam, ra+tam,* communiter signat ter super hostiam et calicem simul:" tum prompte continuans, *rationabilem, acceptabilemque facere digneris,* lente dextram retrahit versus pectus, (aut interea manus jungere potest;) "deinde cum dicit: *ut nobis corpus,* separatim signat semel super hostiam tantum; et cum dicit: *et Sanguis,* semel super calicem tantum: deinde elevans et jungens manus ante pectus, prosequitur: *fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi,* et inclinans caput Cruci," nullam moram interponens, ad ipsam Consecrationem procedit.

58. "Extergit, si opus fuerit, pollices et indices super corporale" in utraque extremitate laterali plicaturae anterioris, "et [interea] dicit secreto, ut prius: *Qui pridie quam pateretur:*" deinde, ut hostiam facilius accipere possit, eam in extremitate indice sinistro paululum premit, "et accipiens pollice et indice dextrae manus hostiam, et eam cum illis, ac indice et pollice sinistrae manus tenens" per partem inferiorem, dum reliqui digiti infra hostiam sunt extensi et juncti, quin corporale tangatur, "stans erectus ante medium Altaris, dicit: *accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas,* elevansque ad coelum oculos, et statim demittens, [interea] dicit: *et elevatis oculis in coelum ad te Deum Patrem suum omnipotentem,* caputque aliquantulum inclinans dicit, *tibi gratias agens,* et tenens hostiam inter pollicem et indicem sinistrae manus, dextra," pollice et indice non junctis "producit signum Crucis super eam, dicens: *bene+dixit,*" statimque eam resumit manu dextra et interea prosequitur, "*fregit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite, et manducate ex hoc omnes.*"

[8] D. 1275. 5.

2. "Cum autem finierit supradicta verba," non prius, "cubitis super Altare positis," seu partibus brachiorum anterioribus, quin corporale manibus tangat, "stans capite inclinato, distincte, reverenter, et secreto," sine ulla capitis aut oris contorsione, nec violenter efflans super hostiam, "profert verba consecrationis super hostiam, et simul super omnes, si plures sint consecrandae, et hostiam suam pollicibus et indicibus tantum tenens, dicit: *"Hoc est enim Corpus meum."*

3. "Quibus prolatis, Celebrans tenens hostiam inter pollices et indices praedictos super Altare, reliquis manuum digitis extensis, et simul junctis" . . . se erigit, et manus hostiam tenentes super extremitatem anteriorem Altaris intra corporale retrahit, atque, oculis continuo ad hostiam intentis, genu dextro terram tangente sine capitis inclinatione "genuflexus eam adorat. Tunc se erigens, quantum commode potest, elevat in altum hostiam," linea recta intra corporale, ita ut paululum excedat capitis altitudinem, "et intentis in eam oculis, (quod et in elevatione calicis facit) populo reverenter ostendit adorandam: et mox" i. e. sine mora, non vero tam celeriter ut fidelibus deficiat tempus hostiam conspiciendi nedum adorandi, ipsam demittit, et quum corporali proxima est, "sola manu dextra ipsam reverenter reponit super corporale in eodem loco, unde eam levavit," manu sinistra interim super corporale deposita: "et deinceps pollices et indices non disjungit, nisi quando hostiam consecratam tangere vel tractare debet, usque ad ablutionem digitorum post Communionem." Manum, tribus ultimis digitis junctis et extensis, super corporale ita deponit, ut sola ejus pars lateralis juxta parvum digitum Altare tangat.

4. "Reposita hostia consecrata super corporale" manum dextram quoque super eodem collocat, et "genuflexus ipsam veneratur."

59. "Celebrans adorato Sacramento surgit et discooperit Calicem,[9] in quem, si opus sit, extergit digitos, quod semper faciat, si aliquod fragmentum digitis adhaereat," seu quoties s. hostiam tetigerit "et stans erectus [interea] dicit: *Simili modo postquam coenatum est,* et ambabus manibus accipi-

[9] V. n. 46, 7.

[redacted]

ens calicem juxta nodum infra cuppam" i. e. manu dextra supra, sinistra infra nodum, "et aliquantulum" i. e. spatio quatuor circiter digitorum, "illum elevans, ac statim deponens, [interea] dicit: *Accipiens et hunc praeclarum Calicem in sanctas ac venerabiles manus suas.*" Tunc repositum calicem eodem modo tenens, "cum dicit: *item tibi gratias agens,* caput inclinat" versus s. hostiam; "cum dicit: *bene+dixit,* sinistra calicem infra cuppam [adhuc] tenens, dextra signat super eum; et prosequens: *deditque discipulis suis,* etc. et ambabus manibus tenens calicem, videlicet sinistra pedem" scil. indice et pollice junctis supra pedem, reliquis digitis infra eum, "dextra nodum infra cuppam," ita calicem paululum a corporali elevat, eumque non — vel vix— ad se inclinans, post verba, *bibite ex eo omnes,* "cubitis super Altare positis, et capite inclinato," sine mora, "profert attente, continuate, et secreto ut supra, verba consecrationis Sanguinis: *Hic est enim Calix,* etc." Dicendum *Sanguinis,* non Sanguis. Verba utriusque consecrationis ob periculum errandi proferenda non sunt memoriter.

2. "Quibus dictis, reponit calicem super corporale" erigit se et utraque manu deposita "dicens secreto: *Haec quotiescumque feceritis,* etc. genuflexus Sanguinem reverenter adorat. Tum se erigit, et accipiens calicem discoopertum cum Sanguine ambabus manibus, ut prius, elevat eum, et," intentis in eum oculis,[10] "erectum, quantum commode potest" ita ut capitis verticem aliquatenus excedat, vel ut oculi Celebrantis infra pedem calicis perspicere valeant, "ostendit populo adorandum: mox ipsum" per eamdem lineam rectam demittens "reverenter reponit super corporale in locum pristinum," cavendo ne hostiam, vel hostias manipulo tangat, "et manu dextera palla cooperit,[11] ac genuflexus Sacramentum veneratur."—Hae quatuor genuflexiones ad Elevationem quamvis magna cum reverentia tamen sine mora fiant.

[10] Rubr.

[11] V. n. 46, 7.

ART. IX.

DE CANONE POST CONSECRATIONEM USQUE AD ORATIONEM DOMINICAM.

60. "Reposito calice et adorato, Sacerdos stans ante Altare, extensis manibus ante pectus, dicit secreto: *Unde et memores,* etc. Cum dicit: *De tuis donis ac datis,* jungit manus ante pectus; et cum dicit: *Hostiam* + *puram, Hostiam* + *sanctam, Hostiam* + *immaculatam,* manu sinistra posita super Altare intra corporale, dextra signat ter communiter super hostiam et calicem, et semel super hostiam tantum, et semel super calicem tantum, dicens: *Panem* + *sanctum vitae aeternae, et Calicem* + *salutis perpetuae.*"

2. "Deinde stans ut prius extensis manibus prosequitur: *Supra quae propitio,* etc. Cum dicit: *Supplices te rogamus,* etc., inclinat se" profunde corpore "ante medium Altaris, manibus junctis super illo" in margine "non intra corporale,"[1] "positis. Cum dicit: *Ex hac Altaris participatione,* osculatur Altare" in medio ante S. Hostiam, "manibus hinc inde super corporale positis. Cum [erectus] dicit: *Sacrosanctum Filii tui,* jungit manus; et dextra signans semel super hostiam tantum, et semel super calicem, sinistra super corporale posita, dicit: *Cor* + *pus et San* + *guinem sumpserimus;* et cum dicit: *omni benedictione* + *coelesti* seipsum signat a fronte ad pectus signo Crucis, sinistra" juxta parvum digitum "posita infra pectus, et prosequitur: *Et gratia repleamur.* Cum dicit: *Per eumdem,* jungit manus."

3. "Cum dicit: *Memento Domine famulorum famularumque tuarum,* etc. extensis et junctis manibus ante pectus," tam lente ut haec junctio terminetur cum verbis *in somno pacis*[2] "et usque ad faciem" seu mentum "elevatis, et intentis oculis ad Sacramentum super Altare, facit commemorationem Fidelium Defunctorum, de quibus sibi videtur, eodem modo, ut dictum est de commemoratione vivorum. Qua commemoratione facta, stans ut prius, extensis manibus prosequitur: *Ipsis Do-*

[1] D. 2572. 21.

[2] Literae *N. et N.* exhibent usum antiquum Dypticharum, et nunc prorsus omittuntur nec ibi fit pausa.

[redacted]

mine et omnibus in Christo, etc. et in fine ad: *Per eumdem,* jungit manus, et caput inclinat" versus SS. Sacramentum.

61. "Cum dicit: *Nobis quoque peccatoribus,* vocem aliquantulum elevat, et dextra manu," i. e. tribus ultimis digitis, stans capite erecto, "pectus sibi percutit, sinistra posita super corporale, et prosequitur secreto: *famulis tuis,* etc. stans manibus extensis, ut prius." Inclinat ad nomen Sancti, de quo fit Missa vel octava [3] vel commemoratio specialis: Joannes est Baptista, Stephanus Protomartyr, Mathias et Barnabas Apostoli; Ignatius 1 Febr.; Alexander 3 Maj.; Marcellinus Presbyter et Petrus Exorcista 2 Jun.; Felicitas et Perpetua 6 Mart.; Agatha 5 Febr.; Lucia 13 Dec.; Agnes 21 et 28 Jan.; Caecilia 22 Nov.; Anastasia 25 Dec. in secunda Missa.

2. "Cum dicit: *Per Christum Dominum nostrum. Per quem haec omnia, Domine, semper bona creas,* jungit manus ante pectus; deinde manu dextra ter signans communiter super hostiam et calicem, dicit: *sancti + ficas, vivi + ficas, bene + dicis, et praestas nobis.* Postea discooperit manu dextra calicem,[4] et genuflexus Sacramentum adorat: tum se erigit, et reverenter accipit hostiam" in ora inter ejus medium et imum atque tenens illam rectam, non inclinatam, "inter pollicem et indicem dextrae manus, et cum ea super calicem, quem manu sinistra tenet circa nodum infra cuppam, signat ter a labio ad labium" quin labia tangat, "dicens: *Per + ipsum, et cum + ipso, et in + ipso.* Et similiter cum hostia signat bis inter calicem et pectus, incipiens a labio calicis," non descendendo versus pedem calicis, nec supra brachium sinistrum, "et dicit: *est tibi Deo Pa + tri omnipotenti, in unitate Spiritus + sancti.* Deinde tenens manu dextra hostiam super calicem, sinistra calicem, elevat eum aliquantulum," non ultra quatuor fere digitos a corporali, "simul cum hostia, dicens: *omnis honor et gloria,"* non voce magis elata nec capite inclinato, "et statim utrumque deponens, hostiam collocat super corporale, et si opus sit, digitos" super calicem "extergit, ut supra; ac pollices et indices ut prius jungens, calicem palla cooperit,[5] et genuflexus Sacramentum adorat."

[3] V. n. 40.
[4] V. n. 46, 7.
[5] V. n. 46, 7.

ART. X.

DE ORATIONE DOMINICA ET ALIIS USQUE AD FACTAM COMMUNIONEM.

62. "Celebrans, cooperto calice [1] adoratoque Sacramento, erigit se, et manibus extensis hinc inde super Altare intra corporale positis, dicit intelligibili voce: *Per omnia saecula saeculorum,* et cum dicit: *Oremus,* jungit manus, caput Sacramento inclinans. Cum incipit: *Pater noster,* extendit manus, et stans oculis ad Sacramentum intentis, prosequitur usque ad finem. Responso a ministro: *Sed libera nos a malo,* et a Celebrante submissa voce: *Amen,"* non prius, sinistram imponit corporali et "manu dextra, pollice et indice non disjunctis, patenam" penitus de corporali subducit, et, si conveniens videatur, sinistra eam immobilem tenet,[2] et dextra "aliquantulum purificatorio extergens," quod deinde paululum a corporali dimovet, "eam accipit inter indicem et medium digitos; quam tenens super Altare erectam" extra corporale, ita ut ejus pars concava sit ad hostiam conversa et manus dextra super patenam permaneat elevata, interim, "sinistra super corporale posita, dicit secreto: *Libera nos, quaesumus,* etc."

2. "Antequam Celebrans dicat: *Da propitius pacem,* levat manu dextra patenam de Altari, et seipsum cum ea signat signo Crucis, dicens: *Da propitius pacem in diebus nostris.* Cum signat se, manum sinistram ponit infra pectus: deinde patenam ipsam osculatur," congruentius in extremitate seu ora[3] superiori, "et prosequens: *ut ope misericordiae tuae,* etc. submittit patenam hostiae, quam indice sinistro accommodat super patenam" et ne particulae hostiae forsan in corporali relictae adhaereant inferiori parti patenae, reclinat hanc super pedem calicis, vel deponit patenam parum e medio versus cornu Epistolae.

3. Tunc "discooperit calicem [4] et genuflexus Sacramentum adorat: tum se erigens accipit hostiam inter pollicem et indicem dextrae manus et cum illis" extollit super calicem, "ac pollice et indice sinistrae manus" quoque "eam super calicem tenens reverenter frangit per medium," in duas aequales

[1] V. n. 46, 7.
[2] Caveat autem, ne manipulo SS. Sacramentum tangat.
[3] D. 1711. 5.
[4] V. n. 46, 7.

[redacted]

partes, scil. illam prius leviter flectendo superius, per medium et infra, dehinc iterato flexu cauto totam frangendo, interim "dicens: *Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum,"* inclinans ad *Jesum Christum,* "et mediam partem, quam inter pollicem et indicem dextrae manus tenet, ponit super patenam: de alia media, quam sinistra manu tenet" calici adhuc superpositam, "frangit cum pollice et indice dextrae manus particulam," non ultra tertiam partem medietatis hostiae de ejus inferiori parte,[5] interim "prosequens: *Qui tecum vivit et regnat,* etc., et eam inter ipsos dextrae manus pollicem et indicem retinens partem majorem, quam sinistra tenet, adjungit mediae, super patenam positae," ita ut appareat hostia rotunda, et, juxta quosdam, ponendo oram dextrae (i. e. ultimae) medietatis paululum super oram alterius medietatis hostiae, "interim dicens: *in unitate Spiritus sancti Deus;* et particulam hostiae, quam in dextra manu retinuit, tenens super calicem, quem sinistra per nodum infra cuppam retinet, intelligibili voce dicit: *Per omnia saecula saeculorum. R. Amen;* et cum ipsa particula signans ter a labio ad labium" intra os "calicis, dicit: *Pax Domini sit semper vobiscum.* Responso per ministrum: *Et cum spiritu tuo,* particulam, quam dextra manu tenet, immittit in calicem, dicens secreto: *Haec commixtio et consecratio Corporis,* etc.," inclinans ad *Jesu Christi.* "Deinde," i. e. absoluta hac oratione et non prius, "pollices et indices super calicem aliquantulum tergit, et jungit, calicem palla cooperit, et genuflexus Sacramentum adorat, surgit."

4. "Et stans junctis manibus ante pectus, capite inclinato versus Sacramentum, dicit intelligibili voce: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,* et dextra," i. e. tribus digitis ultimis, leviter "percutiens sibi pectus, sinistra super corporale posita, dicit: *miserere nobis,* et deinde non jungit manus, sed iterum percutit sibi pectus, cum dicit secundo: *miserere nobis,* quod et tertio facit, cum dicit: *dona nobis pacem."*

5. "Tunc manibus junctis supra Altare positis, oculisque ad Sacramentum intentis," corpore mediocriter "inclinatus dicit secreto: *Domine Jesu Christe,* etc., . . . ut in Ordine Missae."

[5] D. 1275. 6.

63. "Quibus Orationibus dictis, genuflectens Sacramentum adorat, et se erigens dicit secreto: *Panem coelestem accipiam*, etc.; quo dicto," adducit sinistro indice duas partes hostiae versus superiorem oram patenae, si necessarium sit, et tunc "dextra manu accipit de patena reverenter ambas partes hostiae, et collocat inter pollicem et indicem sinistrae manus, quibus patenam inter eumdem indicem et medium digitos supponit," ita ut duae partes rotundam figuram servent, "et eadem manu sinistra tenens partes hujusmodi super patenam inter pectus et calicem," ita ut sinistra manus quatuor fere digitis elevata sit a corporali nec brachium innitatur Altari, corpore versus medium Altaris mediocriter seu "parum inclinatus, dextra tribus vicibus percutit pectus suum, interim etiam tribus vicibus dicens voce aliquantulum elevata: *Domine, non sum dignus;* et secreto prosequitur: *ut intres*, etc."

2. "Quibus tertio dictis," usque ad *anima mea* incl., se erigit atque pollice et indice dextro partem hostiae dextram (a cornu Evangelii) superimponit sinistrae, et "ex sinistra accipit ambas partes praedictas hostiae inter pollicem et indicem dextrae manus, et cum illa super patenam signat seipsum signo Crucis, ita tamen, ut hostia non egrediatur limites patenae, dicens: *Corpus Domini nostri Jesu Christi,*" ducens cum hostia perpendiculariter lineam rectam, et ad verba *Jesu Christi* caput inclinans,[6] dein elevat hostiam et ducit lineam transversam, interim continuans: "*custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen:* et se inclinans, cubitis super Altare positis, reverenter easdem ambas partes sumit: quibus sumptis, deponit patenam super corporale," versus cornu Evangelii, "et erigens se, junctis indicibus et pollicibus, ambas quoque manus ante faciem jungit, et aliquantulum," i. e. per spatium unius fere *Pater*, "quiescit in meditatione sanctissimi Sacramenti." Si pars hostiae palato adhaereat nec lingua amoveri possit, simul cum Sanguine vel ablutione deglutiatur.[7]

[6] D. 2850. 1.

[7] "Caveat Sacerdos, ne indecenter dentibus comminuat sacrosanctam Hostiam."—GAVANT.

Quibus verbis Baldeschi haec (latine reddita) addit: "Nolumus improbare talem reverentiam; at si quis Hostiam brevi tempore deglutire non posset, nisi eam dentibus diminueret, faciat sine scrupulo, quia, sicut Certanus in libro de ritibus Missae privatae

64. "Deinde depositis manibus dicit secreto: *Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi?* et interim discooperit calicem, genuflectit, surgit, accipit patenam, inspicit corporale, colligit fragmenta cum patena, si quae sint in eo," ducendo patenam praesertim ubi hostia jacuit, ita ut fragmenta in unum corporalis locum colligat, et tunc illa in patenam recipit, dum manu sinistra corporale ibi paululum elevat. Deinde manu sinistra accipit patenam ex parte ubi nulla sunt fragmenta eamque transfert super calicem, et "patenam quoque diligenter cum pollice et indice dextrae manus" scil. cum summitatibus internis, cum quibus index et pollex sibi correspondent, circum undique et magna diligentia "super calicem extergit, et ipsos digitos, ne quid fragmentorum in eis remaneat." [8]

2. . . . "Post extersionem patenae junctis pollicibus et indicibus, calicem dextra manu infra nodum cuppae accipit, sinistra" super corporale deposita retinet "patenam, dicens: *Calicem salutaris,* etc." usque ad *salvus ero* inclusive; "et signans se signo Crucis cum calice," quem elevat, ut ejus summitas perveniat ad frontem, et dimittit usque ad pectus linea recta, et interim "dicit: *Sanguis Domini nostri,* etc." inclinans ad *Jesu Christi* (S. R. C.); deinde ducens Crucis lineam transversam ab humero sinistro ad dextrum dicit: *custodiat animam meam,* etc., tunc "et manu sinistra supponens patenam calici" fere ad mentum, "stans reverenter sumit totum Sanguinem cum particula in Calice posita," unico haustu,[9] vel duplici,[10] vel triplici haustu,[11] quin calicem interea omnino

optime observat, haec caro immortalis et impassibilis non timet aliquod damnum a dentibus nostris, qui rem frangere non possunt, sed tantum signum et accidentia."

8 "In collectione fragmentorum moraliter possibilis diligentia et advertentia requiritur, ne quid fragmentum super corporale aut patenam remaneat, et irreverentia committatur; sed multi, minus recte, nimiam et superfluam diligentiam adhibent, corporale et patenam fricant et perfricant, ut particulas, quae non sunt fragmenta sacrae hostiae, sed fila et fragmenta corporalis aut aliarum rerum colligant, et in hac collectione tempus ita conterunt, ut finis ejus vix exspectandus sit." —SCHOBER. Caer. M. priv., p. 98.

9 S. Lig. Quarti, De Herdt.

10 Merati, Cavalieri. Baldeschi ("vel ter"), Cerem. U. S. ("unico vel dupl.")

11 Durandus, Gavantus, Romsée, Bouvry.

removeat, nec cum aspiratione s. species attrahens, nec faciem nimis elevans versus coelum aut calicem lambens.

65. Tunc, si qui sunt communicandi, fit distributio communionis, de qua infra.[12] Qua distributione finita et ciborio reposito, guttulas Sanguinis e calice sumat.

2. "Quibus sumptis" sinistram cum patena deponit in corporali et "dicit secreto: *Quod ore sumpsimus*, etc. et" interim "super Altare," non extra, nisi minister aliter infundere nequeat, "porrigit calicem ministro in cornu Epistolae; quo vinum fundente"[13] Sacerdos illud in calice circumagit, ut species ei adhaerentes abstergantur, tum patenam mento supponit, et (ut praescribit S. Pius V.) per eamdem partem calicis, per quam S. Sanguinem sumpsit, "se purificat."

3. "Deinde" patenam et calicem super corporale deponit, indices et pollices utriusque manus cuppae imponit ac reliquis digitis complectitur cuppam[14] et vadit ad cornu Epistolae,[15] calicem intra mensam Altaris, ut supra,[16] sustinet et "vino et aqua [sit plus aquae[17]] abluit pollices et indices super calicem,"quem prope corporale collocat; tunc super eum excutit pollices et indices, "quos abstergit purificatorio, interim [intra ablutionem] dicens: *Corpus tuum Domine, quod sumpsi*, etc.;" et rediens ad medium Altaris;[18] ibi purificatorium inter pollicem et indicem sinistrae ita tenet, ut ab utraque parte super digitos pendeat (nec amplius pollices et indices junctos tenet); sinistram cum purificatorio extra corporale deponit et manu dextra calicem cum purificatione circumagit; tunc purificatorium manu sinistra mento supponens "Ablutionem sumit."

12 No. 286.

13 Postquam infudit.

14 V. n. 40, r.

15 Id est (uti probat Schober, pag. 116), in Missa privata versus cornu Epistolae, in Missa solemni remanens in medio, sive SS. Sacramentum sit expositum, necne.

16 S. Lig., Martinucci, De Herdt, etc.

17 Nam "communior est opinio, vel unicam guttam vini consecrati permixtam cum qualibet magna quantitate vini, saltem ejusdem speciei, non amittere consecrationem (secus si misceatur cum majori quantitate diversi liquoris); sic plus aquae quam vini sumendo vitatur periculum abstergendi species consecratas cum purificatorio." Tonellius, juxta Lugo, S. Lig. etc. apud Schober, loc. cit., p. 117.

18 Vid. n. 40, r.

[redacted]

4. Tunc calicem deponit "et extergit os et calicem purificatorio," quod pollice extra cuppam et reliquis digitis infra cuppam per fundum circumducit; dein alia parte purificatorii nondum madefacta calicem totaliter extergit.

5. "Quo facto purificatorium extendit super calicem, et desuper" cochlear parvum, si adsit, et manu sinistra "patenam, ac" simul manu dextra "super patenam parvam pallam:" tunc (vel juxta alios statim post sumptam ablutionem), calicem ponit ad cornu Evangelii (ne minister eum libro evertat; vel juxta alios ponit eum ad cornu Epistolae), plicat corporale, scil. prius partem anteriorem, dein posteriorem, tunc lateralem sinistram, i. e. a cornu Epistolae, et desuper partem dextram, ita ut pars illa quae Corpus Christi attigit, semper sit interior, et corporale in sequenti Missa eadem positione adhibeatur: "et plicato corporali, quod [dextra] reponit in bursam, cooperit calicem velo, et bursam desuper ponit" utraque manu, "et collocat in medio Altaris, ut in principio Missae." [19]

ART. XI.

DE COMMUNIONE ET ORATIONIBUS POST COMMUNIONEM DICENDIS.

66. "Celebrante purificato, dum calicem collocat in Altari, liber Missalis defertur per ministrum ad cornu Epistolae. . . Deinde Celebrans" [1] accedit ad librum, ubi "stans manibus junctis" alta voce "legit Antiphonam, quae dicitur Communio; qua lecta, junctis itidem manibus ante pectus vadit ad medium Altaris, et eo osculato, vertit se ad populum a manu sinistra ad dextram, et dicit: *Dominus vobiscum,* et per eamdem viam redit ad librum, dicit Orationes post Communionem, eisdem modo, numero et ordine, ut supra dictae sunt Collectae."

2. "Quibus finitis," cum suis conclusionibus et non antea, "claudit librum" ita, ut apertura ad medium Altaris sit versa; si vero aliud Evangelium e Missali sit legendum, relinquit illud apertum; ac, deficiente ministro, illud statim defert ut pro primo Evangelio; "et jungens manus ante pectus, revertitur

[19] Cf. n. 55, 4, adn. 3.

[1] V. n. 40, r.

ad medium Altaris, ubi eo osculato vertit se ad populum, et dicit ut supra: *Dominus vobiscum;* quo dicto, stans junctis manibus ante pectus versus populum, dicit, si dicendum est: *Ite Missa est,* et per eamdem viam revertitur ad Altare. Si vero non sit dicendum, dicto *Dominus vobiscum,* revertitur eodem modo per eamdem viam ad medium Altaris, ubi stans versus ad illud, junctis ante pectus manibus, dicit: *Benedicamus Domino."*

3. "In Quadragesima autem a Feria IV. Cinerum usque ad Feriam IV. majoris Hebdomadae in feriali Officio," non in Missis festivis vel votivis, "postquam Celebrans dixit Orationes post Communionem cum suis solitis conclusionibus, antequam dicat: *Dominus vobiscum,* stans in eodem loco ante librum dicit: *Oremus. Humiliate capita vestra Deo,* caput inclinans" [etiam ad *Humiliate,* etc.] "et extensis manibus, subjungit eadem voce Orationem super populum, ibidem positam, . . et alia ut supra."

ART. XII.

DE BENEDICTIONE IN FINE MISSAE, ET EVANGELIO S. JOANNIS.

67. "Dicto *Ite Missa est,* vel *Benedicamus Domino,* ut supra, Celebrans ante medium Altaris stans junctis manibus super eo, et capite inclinato, dicit secreto: *Placeat tibi sancta Trinitas,* etc. quo dicto, extensis manibus hinc inde super Altare positis, ipsum in medio osculatur: tum erigens se, adhuc stans versus illud," jungit manus,[1] "elevat ad coelum oculos et manus, quas extendit et jungit, caputque Cruci inclinans [ad *Deus*], dicit voce intelligibili, *Benedicat vos omnipotens Deus,* et junctis manibus, ac demissis ad terram oculis, vertens se ad populum a sinistro latere ad dextrum, extensa manu dextra," et usque ad frontem erecta "junctisque digitis, et manu sinistra infra pectus posita, semel benedicit populo dicens: *Pater, et Filius,* + *et Spiritus sanctus. R. Amen."*

[1] Quod a pluribus auctoribus recte concludi videtur; sequitur enim: "quas extendit."

[redacted]

2. "Et circulum perficiens accedit ad cornu Evangelii, ubi" oblique [2] stans "dicto *Dominus vobiscum, et R. Et cum spiritu tuo,* pollice dextro signans primum signo Crucis Altare, seu librum" vel tabellam "in principio Evangelii, deinde frontem, os et pectus, dicit: *Initium sancti Evangelii secundum Joannem,* vel: *Sequentia sancti Evangelii,* ut dictum est in Rubricis generalibus, et *R. Gloria tibi, Domine,* junctis manibus, legit Evangelium: *In principio,* vel aliud ut convenit. Cum dicit: *Et verbum caro factum est,* genuflectit versus cornu Evangelii, et surgens prosequitur [*et habitavit,* etc.] ut prius; quo finito" non osculatur Missale, si adsit, sed claudit illud, ita ut apertura versa sit ad medium Altaris, et "minister stans a parte Epistolae respondet: *Deo gratias.*"

68. "Quibus omnibus absolutis," non prius, reversus ad medium Altaris. [3] "Sacerdos accipit sinistra calicem, dextram ponens super bursam, ne aliquid cadat, descendit ante infimum gradum Altaris; et ibi in medio vertens se ad illud, caput" profunde "inclinat (vel, si in eo est tabernaculum SS. Sacramenti," in plano "genuflectit), et facta reverentia [ista], accipit biretum a ministro," vel caputio, si eo utatur, "caput cooperit, ac praecedente ministro, eo modo, quo venerat," i. e. oculis demissis et incessu gravi, "redit ad sacristiam, interim dicens Antiphonam *Trium Puerorum,* et Canticum *Benedicite.*"

2. In sacristia capite tecto inclinat Crucifixo vel imagini, deponit calicem, et exuit se vestibus inverso ordine, scil. casula, stola, manipulo, cingulo, alba, amictu; et detrahens albam prius e manica sinistra, tum e capite, ultimo e manica dextra; osculatur Crucem in paramentis ut ante Missam; detegit calicem eumque reponit; deinde, si consuetudo suadeat, manus lavat et ministro benedicit.

3. Tandem Sacerdos tenetur ex praecepto divino ad gratiarum actionem, sive oratione mentali sive vocali faciendam. Si quaeratur, quantum temporis spatium ad hoc sit impendendum, S. Franciscus Salesius vult, ut Sacerdos per horam *saltem* quadrantem immoretur. S. Alphonsus scribit: "Quaeso, o Sacerdos, ut per dimidiam horam orando per-

[2] D. 30. Aug. 1892, n. 3792. 5. [3] V. n. 40, r.

maneas, vel saltem per quadrantem, sed heu, hora quadrans est nimis brevis."[4] Praecipui affectus tunc eliciendi sunt, 1° gratiarum actio, 2° oblatio, 3° petitio, 4° propositum. Qui vero sine ulla fere gratiarum actione statim ab Ecclesia discedere solet,—in sui ruinam et fidelium scandalum,—a S. Patribus, e. g. a S. Chrysostomo, assimilatur Judae traditori, qui: "Cum accepisset buccellam, exivit continuo."[5]

APPENDIX.

De precibus post Missam privatam dicendis a Leone XIII. praescriptis.

69. Post unamquamque Missam privatam, etiam de Requie, recitanda sunt tria *Ave Maria, Salve Regina* cum V., Oratione ac Invocatione S. Michaëlis A.[6] Die Nativitatis Domini preces istae dicuntur tantum quando Sacerdos ab Altari discedit, sive post primam, sive post secundam, sive post tertiam Missam;[7] neque post secundam, si immediate sequatur tertia Missa solemnis.[8] Praedictae preces recitandae non sunt, "si Missa cum aliqua solemnitate celebratur,"[9] ex. gr. occasione primae communionis aut communionis generalis, sacrae confirmationis, vel ordinationis aut pro sponsis, vel si "Missam quin Celebrans ab altari recedat, immediate ac rite subsequatur aliqua sacra functio seu pium exercitium."[10]

2. Hae preces immediate expleto ultimo Evangelio recitandae sunt, ita ut S. Communionis distributio vel alia parva functio interponi nequeat. [11] Priusquam Celebrans descendit ad preces

[4] La Messa strapazzata, I. 3.

[5] Pro gratiarum actione, sicuti pro praeparatione ad Missam valde utiles sunt plures libelli in hunc finem specialiter editi, e. g. S. Alphonsi Sacerdos, P. Jos. Schneider, S. J., Manuale Sacerdotum, Jac. Schmitt, Manna quotidianum Sacerdotum, opus maxime commendandum, etc. Orationes in Missali vel Breviario positas Leo XIII. ditavit indulgentiis. Praeterea *En ego o bone et dulcissime Jesu* Indulg. plen. Pro recitatione Orationis *Obsecro te* Pius X. remissionem culparum in litando ex humana fragilitate contractarum concessit.

[6] Leo XIII. 6 Jan. 1884.

[7] D. 30. Apr. 1889, n. 3705; et 10. Maj. 1895, n. 3855. 7.

[8] D. 11. Dec. 1896, n. 3936. 1.

[9] Missa conventualis sine cantu aequiparatur solemni. D. 7. Dec. 1888, n. 3697. 7.

[10] D. 20. Jun. 1913. (A. A. S. V. 311.)

[11] D. 23. Nov. 1887, n. 3682.

[redacted]

persolvendas, inclinatio capitis ad Crucem altaris neque praescribitur neque prohibetur. In recitatione precum genuflectendum est pro lubitu sive in suppedaneo sive in infimo Altaris gradu.[12] Uti ad alias preces, Sacerdos manus junctas teneat; quapropter omnino decet, calicem in Altari relinquere, donec preces sint persolutae.

ART. XIII.

DE HIS, QUAE OMITTUNTUR IN MISSA PRO DEFUNCTIS.

70. "Ante confessionem non dicitur Ps. *Judica,* sed pronuntiata Antiphona: *Introibo ad Altare Dei,* et responso a ministro: *Ad Deum, qui laetificat,* etc. dicitur V. *Adjutorium nostrum* et *Confessio* cum reliquis."

2. "Cum Celebrans ad Altare incipit Introitum, non signat se, sed manu dextera extensa, facit signum Crucis super librum, quasi aliquem benedicens," sinistra super Altare posita.[1]

3. "Non dicitur *Gloria Patri,* nec *Gloria in excelsis,* nec *Alleluja,* nec *Jube Domine benedicere,* nec *Dominus sit in corde meo;* nec osculatur librum in fine," nec dicit *Per Evangelica dicta,* etc.[2] "Non dicitur *Credo,* non benedicitur aqua in calicem fundenda; dicitur tamen Oratio: *Deus, qui humanae substantiae,* etc. In fine Ps. *Lavabo* non dicitur *Gloria Patri.*"

4. "Ad *Agnus Dei* non dicitur: *miserere nobis,* cujus loco dicitur: *dona eis requiem;* nec tertio: *dona nobis pacem,* cujus loco dicitur: *dona eis requiem sempiternam;* neque percutitur pectus," sed manus tenentur junctae. "Non dicitur prima Oratio ante Communionem, nec datur pax."

5. "In fine non dicitur: *Ite Missa est,* nec *Benedicamus Domino,* sed *Requiescant in pace,*" semper in plurali, et facie versa ad Altare. "Et non datur benedictio: sed dicto *Placeat,* et osculato Altari, dicitur ut supra: *In principio erat Verbum,* etc."

Nihil unquam mutatur ratione festi vel temporis, e. g. paschalis, nec inclinatur ad nomen Sancti, de quo fit officium vel commemoratio in officio.

[12] D. 18. Jun. 1885, n. 3637. 8.

[1] D. 2572. 25.
[2] D. 2956. 10.

ART. XIV.

DE MODO PARTICULAS CONSECRANDI.

71. Particulae prius a fragmentis adhaerentibus sunt purificandae, sive cribro aliove instrumento, sive digitum circumducendo. Si paucae sint, circiter sex, Sacerdos eas super patenam ponere potest. Secus locat eas super corporale ante calicem, paululum ad cornu Evangelii, vel potius in pyxide seu ciborio vel in alio calice retro post calicem, vel ob angustiam lapidis paululum ad alterutrum latus,—nunquam vero in alio corporali complicato; et contegit vas illud palla vel patena aut cooperculo suo, sed absque velo suo. Hostia major pro ostensorio ponitur in patena, et post oblationem super corporale lateraliter ante calicem a sinistra Celebrantis e regione alterius hostiae majoris; vel si in lunula difficile aptari possit, consecrari potest in ipsa lunula, supradicto loco posita.

2. Ad Offertorium, antequam Sacerdos patenam recipiat, "calicem illum seu vas dextra discooperit, et intentionem suam etiam ad illas offerendas dirigens dicit: *Suscipe;*" postea, patena deposita, "illud cooperit."

3. Ad Consecrationem, antequam dicat: *Qui pridie,* ciborium paululum admovet versus dextram suam (saltem si obstet lectioni verborum Consecrationis), illudque manu dextra discooperit. Post elevationem hostiae, genuflexione facta, illud cooperit et reponit loco quo prius erat.

4. Quando hostiae consecratae reponuntur?

(*a*) Si super corporali consecratae sunt, nec Communio distribuenda nec pyxis pro novis hostiis purificanda sit, post sumptionem s. hostiae ponuntur in pyxide (vel major hostia in lunula); dein colliguntur fragmenta, et post sumptionem Sanguinis pyxis (vel ostensorium) in tabernaculum reponitur.[1]

[1] Cf. Rub. Miss. Tit. X. 5. Juxta quosdam auctores pyxis statim ante sumptionem Sanguinis in tabernaculum reponitur, juxta alios post primam ablutionem, vel in fine Missae (vix prob. nisi deficiente tabernaculo in ipso Altari).

[redacted]

(*b*) In reliquis casibus,—scil. quando hostiae in pyxide sint consecratae, vel super corporali, *et* pyxis sit purificanda vel Communio distribuenda, — reponuntur post sumptionem Sanguinis, resp. post distributionem Communionis, vel purificationem pyxidis.

In omni casu genuflexio facienda est, antequam s. hostiae tangantur aut post aperitionem tabernaculi vel pyxidis quae continent s. hostias; item genuflectitur post repositionem antequam tabernaculum claudatur; calix Missae stat coopertus super corporali ad latus Evangelii, dum hostiae in ciborium vel tabernaculum reponuntur aut Communio distribuitur.

ART. XV.

DE RENOVATIONE SPECIERUM ET PURIFICATIONE PYXIDIS.

72. "SS. Eucharistia saltem semel in hebdomada mutetur et renovetur."[1] "Hanc regulam, quam S. Rituum Congregatio nedum saepius confirmavit, verum *stricte et rigorose obligare* declaravit, Sacerdotibus omnibus fideliter servandam serio inculcamus."[2] Quare certe in America foederata consuetudo contraria tolerari nequit.

2. "In renovatione, quae quolibet octavo die fieri debet de SS. Eucharistiae Sacramento, consumi debet tum hostia major pro ostensorio, tum etiam particulae, quae existunt in tabernaculo, post sumptionem Sanguinis ante Purificationem."[3] Novae consecratae hostiae nunquam cum

[1] Caer. Ep. I. 6, 2.

[2] C. Plen. B. II. no. 268.— Bened. XIV. Const. *Etsi Pastoralis* § 6 n. 9 et Clemens VIII. *Sanctissimus* 31 Aug. 1591 pro Graecis approbant, ut octavo aut saltem *quinto decimo* quoque die renovatio fiat. Lehmkuhl, [11] II. n. 163.

[3] Potest etiam Sacerdos hostiam e monstrantia sumptam sumere una cum altera sacrificii. Peccaret graviter, si hostiam majorem in Missa consecratam reponeret in tabernaculo, et ejus loco sumeret hostiam, quae in eodem tabernaculo antea continebatur; ipse enim de suo sacrificio participare debet. Schober, C. Miss. priv. p. 99.

veteribus permisceri debent, sed in alia pyxide vel calice conservandae, vel primo distribuendae vel a Sacerdote in Missa sumendae sunt.[4]

"Particulae consecrandae sint recentes"[5] id est, juxta S. Carolum Bor. a viginti diebus ad summum confectae.

3. Toties pyxis seu ciborium est purificandum, quoties fieri debet specierum renovatio.

4. *Purificationis modus, quando una tantum pyxis habeatur:* Postquam Celebrans hostias veteres distribuit vel sumsit, indice dextro fragmenta residua e pyxide in calicem immittit; dein purificatio in hanc pyxidem infunditur et intus circumagitur, et indice tergente Sacerdos totam interiorem partem abluit et in calicem transfundit; (vel juxta Merati, etc. sine tersione digiti talis infusio et transfusio repetitur quotiescunque opus erit;) tandem purificatorio pyxidem extergit, et, genuflexione facta, particulas consecratas in eam immittit.

5. *Purificationis modus, quando duae pyxides habeantur,* ita ut nullae particulae in pyxidem purificatam immittantur: Celebrans fragmenta residua in calicem immittit; tunc purificatio prius in pyxidem et circumagendo in calicem infunditur et sumitur; eodem modo fit ad ablutionem digitorum. Tunc prius calix deinde pyxis purificatorio extergitur et extra corporale ponitur.—Plures censent, decere ut purificatorium tunc modo inverso plicetur nec amplius serviat donec lotum fuerit.

Nonnullis placet, pyxidem absque vini infusione purificare.[6]

[4] Cf. Rit. Rom. de SS. Euch. n. 7.

[5] Ibid.

[6] Martinucci, I. p. 346, nota; cf. Eph. Lit. X. p. 33.

[redacted]

ART. XVI.

DE MISSA PRIVATA CORAM SS. SACRAMENTO EXPOSITO.[1]

73. In conspectu Sanctissimi caput detegitur parumper consistendo, et biretum ministro porrigitur. In accessu et in recessu utroque genu in plano cum mediocri corporis inclinatione genuflectitur; intra Missam unico genu.[2] (Transeuntes vero, qui non sunt Ministri ad Altare, semper utrumque genu flectunt.)

2. Sacerdos genuflectit, quandocunque ad medium Altaris accedit, vel ab eo recedit, vel transit ante SS. Sacramentum; si inter accessum ad medium et inter recessum interponatur mora, bis genuflectit; si accedit ad medium statim dicturus *Dominus vobiscum* prius genuflectit, deinde osculatur Altare, et statim se retrahit ad latus Evangelii et stat semiconversus ad populum. Si jam sit in medio, prius osculatur Altare, deinde genuflectit. Ita fit ad *Orate fratres,* non perficiendo circulum.

3. Proinde genuflectit post ascensum ad Altare in suppedaneo, antequam corporale explicat, dein eo explicato antequam accedit ad Missale; iterum antequam descendit ad Missam inchoandam genuflectit et se aliquantulum retrahit ad cornu Evangelii et post descensum unum genu flectit in infimo gradu;[3] non genuflectit post confessionem sed post ascensum ante et post *Oramus te, Domine.*

Porro genuflectit ante et post *Dominus vobiscum, Munda cor meum, Orate fratres.*

4. Oculorum elevationes, capitis inclinationes profundae

[1] In Altari expositionis Missae privatae celebrandae non sunt, nisi alia Altaria desint, vel causa rationabilis urgeat, e. g. ne SS. Sacramentum sine adoratoribus relinquatur, vel ob consuetudinem immemorabilem, quae sine populi offensione et pietatis detrimento aboleri nequit.—Crux in Altari juxta consuetudinem loci poni aut non poni potest; ita Instructio "linquens quemlibet in sua praxi." (D. 2365. 1.)

[2] D. 2682. 49; 3426. 6; et 16. Feb. 1906, n. 4179.

[3] Juxta Martinucci in plano.

et genuflexiones etiam intra Evangelium fiunt versus SS. Sacramentum.[4]

5. Ad lotionem digitorum descendit in planum; vel lavat in secundo gradu laterali aut in suppedaneo; "servetur consuetudo: dummodo caveat, ne terga vertat Sacramento."[5]

6. Si Communio distribuenda sit, ad *Ecce Agnus Dei*, etc. *Domine non sum dignus*, etc. se retrahit ad cornu Evangelii.

Ablutionem digitorum sumit in cornu Epistolae, genuflectens antea et postea.[6]

7. Post verba *Benedicat vos omnipotens Deus*, genuflectit et semiversus benedicit populo; tunc non perficit circulum nec revertitur ad medium, sed statim super sinistram suam se vertit ad cornu Evangelii; ibi initio Evangelii signat librum vel tabellam, non vero Altare,[7] et se ipsum, aut se ipsum solum.

8. Finito Evangelio revertitur ad medium, genuflectit, accipit calicem, descendit ut antea, genuflectit in plano utroque genu cum mediocri corporis inclinatione, et quando e conspectu Sanctissimi venerit (vel juxta alios, statim, antequam surgat, tenens calicem), caput tegit.

9. Si detur Benedictio SS. Sacramenti, Sacerdos[8] ad sedem deponit casulam et manipulum et induit pluviale.

ART. XVII.

DE MISSA PRIVATA CORAM EPISCOPO IN SUA DIOECESI.[1]

74. Genuflexorium praeparetur pro Episcopo "ante medium Altaris, vel e regione in cornu Epistolae, nisi aliud situs loci suadeat."[2]

[4] D. 30. Nov. 1895, n. 3875. 4.
[5] D. 2682. 48.
[6] Cf. n. 65, 3.
[7] Cf. n. 96, 5.
[8] In plano utrumque genu flectit. D. 24. Nov. 1899, n. 4048. 5.

[1] Item coram Archiepiscopo in sua Provincia, coram Nuntio et Legato Sedis Apost. in locis suae Legationis, Cardinali in quocunque loco, modo non adsint incognito, seu sine habitu Praelatitio assistant. Coram Episcopo extra suam Dioecesim Missa consueto modo celebratur, decet tamen, ut Celebrans transiens ante illum in accessu et recessu capite tecto eidem inclinet.
[2] Caer. Ep. I. 30.

Celebrans accedat ad Altare paulo ante Episcopum, et calice aptato apertoque Missali descendit et expectat ante infimum gradum [anteriorem, non lateralem] ad cornu Evangelii. Advenienti Episcopo inclinat,[3] et faciens Altari reverentiam incipit Missam in eodem loco, semiconversus ad Altare. Si Episcopus Celebrantem praevenerit, hic transiens capite tecto illi inclinat et ascendit descenditque ita ut Episcopo terga non vertat etc. ut supra.[4]

2. Ad *Confiteor* dicit: *Tibi Pater* et *Te Pater,* se convertens ad Episcopum, vel *Vobis Patres,* etc., si plures Praelati aequales adsint.—Post *Oremus,* inclinat Episcopo, accedit ad medium Altaris ante infimum gradum et ascendit ut alias.

3. Post Evangelium non osculatur librum nec dicit: *Per Evangelica dicta,* sed Minister vel Capellanus Episcopi defert librum ad Episcopum, scil. digniorem, si plures adsint; si essent aequales, nullus librum osculatur, nec Celebrans. Ad Offertorium Episcopus non benedicit aquam.

4. Post primam Orationem ante Communionem Minister genuflexus Celebranti offert instrumentum *Pacis* (i. e. tabellam cum imagine Crucifixi vel B. M. V. vel Patroni Ecclesiae alteriusve Sancti, coopertam velo serico); Celebrans: *Pax tecum;* Minister: *Et cum spiritu tuo.* Hic illud affert Episcopo, dicens: *Pax tecum,* postea illud iterum contegit inclinatque Episcopo. (Quoad hoc quidem "servetur laudabilis locorum consuetudo."[5])

5. Post *Benedicat vos omnipotens Deus* Celebrans conversus ad populum inclinat Episcopo quasi licentiam benedicendi petens; dein benedicit adstantes a parte ubi Episcopus non adest, seu ad dextram suam, si Episcopus sit in medio vel in cornu Epistolae.

6. Finito Evangelio in fine Missae Celebrans convertit se ad Episcopum et profunde inclinat ibique expectat donec Episcopus discesserit; quodsi nondum discedat, ipse more

[3] "Stans ante infimum gradum expectat: dato signo [iterum] facit profundam reverentiam Praelato,"—at ex consuetudine post primam inclinationem statim incipit Missam. (Baldeschi, et Cerem. U. S.)

[4] Si Episcopus ad latus Altaris genuflectat ita ut Celebrans stans in medio ei terga non vertat, Missa loco consueto incipi potest. (De Herdt; econtra Gavantus.)

[5] Caer. Ep. I. 24, 12.

solito discedit, Episcopo in transitu caput coopertum inclinans.

7. **Compendiose:** Inclinatur Episcopo ante et post Missam, ante et post Ps. *Judica* cum Confessione, ante Benedictionem et post ultimum Evangelium. Confessio, etc., dicitur in cornu Evangelii,—*Tibi Pater,* etc.; Celebrans omittit osculum Evangelii et *Per Evangelica dicta;* datur *Pax* cum instrumento, nisi sit Missa de Requie, vel ex consuetudine regionis omittatur.

[redacted]

CAPUT VI.

DE RITU MINISTRANDI IN MISSA PRIVATA.

ART. I.

DE MINISTRO IN MISSA PRIVATA A SACERDOTE CELEBRATA.

75. Unus tantum minister pro Missa stricte privata admittitur, sed duo adhiberi possunt propter solemnitatem,—non vero propter dignitatem Sacerdotis,—pro Missa parochiali quae loco Missae cantatae celebratur.[1] Mulier urgente necessitate et a longe respondere potest, Sacerdote ipso librum transferente et sibi vinum et aquam ministrante,[2] ampullis super Altare vel potius super mensam proxime adstantem positis.

2. Minister superpelliceo sit indutus (Rubr.), saltem in Missa conventuali.[3] Praeparat ampullas vini et aquae, etc., accendit candelas incipiens a parte Epistolae.[4] Assistit Celebranti vestimenta induenti, stans ab ejus sinistris.[5]

3. Sacerdote vestito minister sumit Missale quod utraque manu in angulis inferioribus portat apertura ad suam sinistram versa, simul cum Celebrante Cruci vel imagini profundam reverentiam facit, ad portam sacristiae aquam benedictam indice dextro ei offert eaque se ipsum signat; campanulam, si ibi adsit, pulsat, atque praecedit Celebrantem

[1] D. 3059. 7.

[2] D. 2745. 8; et 18. Mar. 1899, n. 4015. 6.

[3] Decet ut pueri inservientes super vestes mundanas semper induant vestem talarem et superpelliceum; non vero alia indumenta liturgica, uti cingulum, mozettam, biretum, etc.

[4] D. 1. Feb. 1907, n. 4198. 9.

[5] Vide n. 49. 5.

duos vel tres passus. Si accedatur ad Altare ante cornu Epistolae, minister recedit, ut Celebranti aditum praebeat.

4. Ad Altare se sistit ad dextram Celebrantis, ejusque biretum accipit; genuflectit in plano, etiamsi SS. Sacramentum in Altari non asservetur[6] et transmisso ad brachium sinistrum Missali, manu dextra accipit biretum.

Missale clausum imponit legili, apertura ad medium Altare versa. Biretum loco apto extra Altare ponit, vel caputium, si eo Celebrans utatur, ejusque amictum componit.

5. Accedit ante gradus ad cornu Evangelii et ad sinistram Celebrantis paululum retro genuflectit.

Simul cum Celebrante se signat eique manibus junctis respondet. Ad *Misereatur tui* aliquantulum inclinat versus Celebrantem. Intra *Confiteor* suum (non vero Celebrantis,) profunde inclinat versus Altare, ad *tibi Pater* et *te Pater* paullum convertitur ad Celebrantem. Postquam respondit *Amen*, erigit caput. Ad *Indulgentiam* se signat, iterumque mediocriter inclinat ad *Deus tu conversus,* etc.

6. Post *Oremus* surgit pedibus et albam Celebrantis ex parte anteriori[7] sublevat; deinde genuflectit in infimo gradu, vel in plano, si praeter suppedaneum gradus non adsit.

Signat se eodem tempore quo Sacerdos, simulque inclinat ad *Oremus,* nomen *Jesus, Maria,* etc., ad *Adoramus te,* etc.

Quando ante Altaris Crucem transit, profunde semper genuflectit.

7. Post Epistolam (vel quamque Prophetiam, si plures sint, excepta 5ª Danielis et in feria VI. in Parasceve et Sabbato sancto) dicit: *Deo gratias,* atque post eam, vel post Sequentiam vel Tractum longum surgit; quando Sacerdos venit ad medium Altare, transit ad cornu Epistolae, et defert legile vel cussinum cum Missali, se vertens ad suam sinistram, illudque ad latus Evangelii oblique super Altare collocat. Descendit de suppedaneo ad latus Evangelii ibique stans respondet et se signat sicuti Sacerdos. Ad nomen *Jesus* (vel paulo post initium Evangelii) inclinat et transit ad latus Epistolae in planum ante Altare, ibique consistit paullum conversus ad Celebrantem. Quum in fine responderit

6 D. 16. Nov. 1906, n. 4193, 1.

7 Quod quidem alii omitti malunt.

[redacted]

Laus tibi Christe, genuflectit. Infra symbolum ad *Et incarnatus est* profunde inclinat.

8. Post *Oremus* ante Offertorium pergit, absque genuflexione, ad credentiam; sumit manutergium illudque extendit super Altare in cornu Epistolae; tunc (si opus fuerit) plicat calicis velum illudque prope corporale non longe a gradu candelabrorum ponit. Deinde ampullas simul cum pelvicula ad Altare defert et linteo superimponit. Dextra ampullam vini, sinistra ampullam aquae in ima parte accipit; stans in gradu suppedaneo propiori prius Sacerdoti ampullam vini porrigit; tunc dextra quoque manu ampullam aquae, recipiens sinistra ampullam vini; "osculatur ipsam ampullam" utramque tum in porrigendo tum in recipiendo, "non autem manum Celebrantis." (Oscula omittuntur in Missis de Requie et coram Sanctissimo exposito.) Ampullam aquae dextra receptam deponit super pelviculam, et ampullam vini seponit vel ad credentiam refert. Reversus ad Altare linteum paululum sublevat, ut facilius a Celebrante capi queat, et dextra ampullam aquae, sinistra pelviculam tenens, inclinat Celebranti accedenti et infundit aquam super extremitatem utriusque pollicis et indicis; iterat reverentiam, aquam pelviculae projicit in conchulam praeparatam supra vel prope credentiam, reponit pelviculam cum ampullis et recipit de Altari linteum, quod plicatum super credentia reponit.

9. Secum afferens campanulam redit ad anteriorem partem Epistolae ibique ut antea genuflectit. Respondet: *Suscipiat* erectus [8] quando Celebrans dicto *Orate fratres* se converterit ad Altare. Respondet ad Praefationem caput inclinans ad *Deo nostro.* Ad *Sanctus* "parvam campanulam pulsat" ter, non continuate sed duobus ictibus pro singulis ternis vicibus; campanula deposita ad *Benedictus* se signat simul cum Celebrante.

10. Sub finem *Memento* vivorum accendit intortitium seu candelam insistentem in cornucopio parieti affixo a cornu Epistolae,[9] "quod [intortitium] non extinguitur, nisi post-

[8] C. Rom.-Ser. n. 300.

[9] Martinucci I. 11, 18. Cf. Kunz, Ministrant. p. 36, not. 6.

quam Sacerdos Sanguinem sumpserit, vel alios communicaverit si erunt communicandi in Missa." [10]

76. Parum ante Consecrationem[11] accedit propius Celebrantem et genuflectit in gradu superiore suppedaneum proximo, et "manu sinistra elevat fimbrias posteriores planetae, ne ipsum celebrantem impediat in elevatione brachiorum, quod et facit in elevatione calicis, et manu dextra pulsat campanulam ter ad unamquamque elevationem," scilicet dum Sacerdos genuflectit, dum elevat, et dum reponit hostiam vel calicem; "vel continuate quousque Sacerdos deponat hostiam super corporale, et similiter postmodum ad elevationem calicis." Ante et post utramque elevationem profunde inclinat.

2. Tunc ad priorem locum recedit, ubi remanet genuflexus paene usque ad sumptionem Sanguinis, respondens, se signans pectusque percutiens, quum haec facit Sacerdos. [12]

3. Ad sumptionem s. hostiae minister inclinat. Quando Sacerdos detecto calice colligit fragmenta, minister surgit et assumit ampullas (nisi Communio sit distribuenda), accedit ad latus Epistolae et genuflectit in plano; dein se sistit in gradu superiori subtus suppedaneum, inclinans ad sumptionem Sanguinis.

Tunc ascendit super suppedaneum, et infundit manu dextra vinum in calicem porrectum a Celebrante super Altare. Hinc ad latus Epistolae recedit ibique expectat Celebrantem, cui super digitos vinum et aquam effundit.

4. Si Communio sit distribuenda, genuflectit super gradu in latere Epistolae dum Celebrans calicem sumit, et profunde inclinatus dicit *Confiteor*, etc. Communione distributa

[10] Rubr. Miss.

[11] Ex consuetudine multis in regionibus signo campanulae fideles de instanti Consecrationis momento praemonentur. "It is customary here to ring the bell at the *Hanc igitur.*" Cerem. U. S.

[12] In multis regionibus ("quasi generaliter extra Italiam," ait Schober, n. 74) etiam ad *Domine non sum dignus* ante sumptionem, et quoties administratur Communio fidelibus ad praedicta verba pulsatur campanula.

"When the priest says, *Domine non sum dignus*, the server inclines, and rings the bell moderately, that if there be persons to go to Communion, they may approach the holy table." Cerem. U. S.

[redacted]

sublevat extremitatem anteriorem vestium Celebranti, dum Altare ascendit.

5. Ampullis ad credentiam reportatis, "liber Missalis defertur per ministrum ad cornu Epistolae et collocatur ut in Introitu;" cereum quem in latere Epistolae pro elevatione accenderat, extinguit; et reversus ut antea ad latus Evangelii in infimo gradu vel in plano sub suppedaneo genuflectit. Ad *Dominus vobiscum,* etc. respondet. (Si propter aliud Evangelium ultimum Missale apertum super Altare relictum sit, statim post *Ite Missa est* illud tam tempestive ad latus Evangelii deportat, ut ad benedictionem sit ibi depositum.) Ad benedictionem Sacerdotis genuflexus se signat et respondet: *Amen.* Tunc erectus ad ultimum Evangelium respondet et se signat ut ad primum Evangelium. Transit ad latus Epistolae, ubi stat dum legitur Evangelium, genuflectit cum Celebrante et in fine respondet: *Deo gratias.* (Statim candelas extinguit, primum a cornu Evangelii deinde a latere Epistolae, ponitque arundinem cum extinctorio prope Altare.)[13]

6. Sumit Missale et biretum atque accedit ante infimum gradum ad dextram Celebrantis paulo post ipsum, genuflectit, etsi sanctissimum Sacramentum non adsit, et biretum ei porrigit.

Deinde procedit ad sacristiam modo quo egressus est.

Imagini principali sacristiae reverentiam facit et Sacerdotem in deponendis paramentis adjuvat. Tandem, si Celebrans velit manus lavare, aquam ministrat atque, ubi mos est, genuflexus benedictionem ab ipso recipit.

7. In *Missa coram Sanctissimo exposito,* "Minister debet genuflectere in accessu et recessu utroque genu, intra Missam unico genu."[14] Quum transfert Missale, unicam genuflexionem facit in plano ante medium Altaris. Quando ad offertorium et purificationem ascendit ad Altare et descendit, tunc ante ascensionem ad Altare, et post descensionem de eodem, in plano genuflectere debet.[15] Omittit oscula. Quando Celebrans ad *Lavabo* stat extra Altare facie ad populum conversa, minister aquam ministrat facie ad ipsum conversa.

[13] D. 1. Feb. 1907, n. 4198. 9.
[14] D. 3426. 6.
[15] D. 14. Jan. 1898, n. 3975. 1.

8. In *Missis de Requie* non dicitur Ps. *Judica;* omittuntur oscula. Ad *Requiescant in pace* respondetur *Amen.*

ART. II.

DE OFFICIO CAPELLANORUM IN MISSA PRIVATA AB EPISCOPO CELEBRATA.

A. De rebus praeparandis.

77. "Cum Episcopus celebrabit Missam, convenit, ut paramenta Missae non de sacristia, sed ex ipso Altari ordine disposita accipiat;"[1] quibus additur superpelliceum, si Episcopus sit regularis. Manipulus seorsim in cornu Evangelii vel in credentia ponitur, nisi Missa sit de Requiem. Super credentia calix, bugia, necnon duo intortitia pro elevatione "et alia necessaria prius per aliquem ejus Capellanum praeparabuntur. Ideo valde conveniens esset, ut duos saltem Capellanos cottis mundis indutos apud se ministrantes haberet" Episcopus. Capellanorum nomine intelliguntur Presbyteri; verum si deessent, clerici supplebunt. Stolam assumere non possunt,[2] etsi patena sub mento communicantium tenenda foret.[3]

2. Ante Altare ponitur genuflexorium cum strato et pulvinis, ac super genuflexorio canon pontificalis, et bugia cum candela accensa a sinistris. In Altari accenduntur quatuor candelae.

3. Si praeter Capellanos alii clerici adsint, permanent ac genuflectunt ad credentiam, praeterquam infra utrumque Evangelium, ampullas afferunt, campanulam pulsant, et cereos ad elevationem sustinent.[4] Alias cerei "poterunt super duobus candelabris magnis accendi, dum elevatur Corpus et Sanguis Domini," i. e. post *Sanctus* ante elevationem, "et post Communionem extingui."

[1] Caerem. Ep. I. 29, unde citationes quoque sequentes.
[2] D. 2741. 1; et 3367.
[3] De Conny, De Herdt.
[4] Caer. Ep.

B. De praeparatione et induitione Episcopi.

78. Capellani Episcopo ad portam Ecclesiae vel sacristiae obviam ire possunt, ac deficiente rectore Ecclesiae senior aspersorium ei sub consuetis osculis praesentat.

2. Episcopo ad genuflexorium preparationem facienti assistit primus Capellanus a sinistris tenens bugiam cum candela accensa, alter a dextris vertens folia canonis. Praeparatione finita primus bugiam ad dextram Missalis, alter in medio Altaris loco tabellarum ponit canonem apertum ad verba *Aufer a nobis.*

3. Episcopus stans ante infimum gradum adjuvantibus Capellanis Crucem pectoralem cum mozetta vel mantelleto demittit; Crucem primus Capellanus super Altare, mozettam alter super genuflexorium deponit; annulum idem (vel alter) consuetis osculis extrahit et super Altare vel pelvim quandam deponit et post lotionem manuum reponit. Deinde Episcopus capite tecto lavat manus, dum primus Capellanus porrigit mantile alter urceum cum pelvi; interim, si Presbyteri non sint, dextrum genu flectunt. Episcopus regularis antequam manus lavet, superpelliceum induit.

4. Secundus Capellanus paramenta porrigit alteri, qui ea (solus vel secundo adjuvante) induit Episcopo, ordine quo Sacerdos celebraturus ea induit, at Crucem pectoralem ante stolam; amictum, Crucem, stolam et manipulum (qui ad *Indulgentiam* accipitur) prius osculatur non in medio seu ad Crucem sed a latere seu juxta Crucem; in Missa de Requie manipulus post cingulum [5] ante Missam accipitur; Orationem pro manipulo praescriptam Episcopus in omni Missa dicit antequam incipiat Missam.[6]

[5] Si difficile foret e tunicellae manica manipulum educere, manipulus, induta dalmatica, sumi potest. Cf. Eph. Lit. XVIII. p. 103, Nota.

[6] Caer. Ep. II. 8, 9.

C. De Rebus intra Missam agendis.

TEXTUS.	PRIMUS CAPELLANUS.	SECUNDUS CAPELLANUS.	UNICUS CAPELLANUS.[7]
79. *In nomine Patris* etc.	Genuflectit a dextris Episcopi, paulum retro, et respondet.	Genuflectit a sinistris, paulum retro, tenens manipulum, et respondet.	Ut secundus Capellanus.
2. *Indulgentiam. peccatorum.*	Erectus genuflectit.	Erectus genuflectit. Surgit, manipulum in alterutra Cruce osculatur illumque Episcopo cum reverentia osculandum porrigit ejusque brachio imponit, simulque ejus manum osculatur deinde rursus genuflectit.	Ut secundus Capellanus.
3. *Aufer a nobis.*	Ad Altare ascendit dimidium fere passum post Episcopum subsequens, et aliquantulum anteriores vestium fimbrias attollens.	Ascendit ut primus, a sinistris Episcopi.	
4. Introitus.	Stat a dextris Episcopi et indicat digito Introitum, Orationes et reliqua, bugiam tenens,[9] et folia vertit.	Stat a sinistris Episcopi aliquantulum retro; et folia vertere potest.[8]	Ad librum assistit, ut primus C.
5. *Gloria.*	Stat a dextris Episcopi, non recitat.	Stat a sinistris, non recitat.	
6. Oratio, Epistola, etc.	Ut ad Introitum, Quando bugiam tenet, non genuflectit cum Episcopo. Defert bugiam, genuflectens ante medium Altare.	Ut ad Introitum. Quando Episcopus genuflectit, ipse pariter genuflectit. Defert Missale genuflectens in medio simul cum primo C.	Defert Missale et bugiam.

[7] *Minister inserviens,* si adsit, plerumque bugiam ad librum sustinet, ministrat ad triplicem lotionem manuum (ante Missam, ad *Lavabo* et post ablutionem) affert ampullas et campanulam pulsat.

[8] Juxta alios stat a dextris primi Capellani. Generatim "Capellani ibidem se sistere possunt, ubi magis convenit," cum per Rubricas eorum loca non determinentur. De Herdt, e. a.

[9] Si Episcopus ea uti velit, Bauldry, De Herdt.

TEXTUS.	PRIMUS CAPELLANUS.	SECUNDUS CAPELLANUS.	UNICUS CAPELLANUS.
7. Evangelium.	A sinistris Episcopi bugiam tenens indicat initium Evangelii.	Post *Sequentia*, etc. ad dextram Episcopi transit.	Ut primus.
Laus tibi Chr.	Bugiam super Altare deponit, initium Evangelii ostendit, Missale elevat ut Episcopus principium textus osculari possit.	Si non dicatur Symbolum, circa finem Evangelii ad credentiam vadit.	Ut primus C.
8. *Credo.*	A sinistris Episcopi.	A dextris Episcopi.	
Crucifixus		Per gradus laterales ad credentiam vadit et calicem cum omni ejus apparatu ad Altare affert et in latere Epistolae ponit. Extrahit corporale, bursam versus cornu Evangelii ponit, corporale extendit et velum plicatum ad cornu Epistolae collocat vel clerico super credentiam ponendum tradit.	Ut secundus.
9. Offertorium.	Indicat versum stans a sinistris Episcopi et tenens bugiam.		
10. *Suscipe s. P.*		Patenam Episcopo cum osculis porrigit; calicem extergit, infundit vinum, ampullam aquae offert Episcopo dicens: *Benedicite Pater Reverendissime,* infundit paucas guttas, extergit guttas intus adhaerentes, et calicem Episcopo cum osculis tradit.	Item ut secundus.
11. *Offerimus.*	Non recitat.	Non recitat nec calicis pedem sustinet. Calicem cooperit palla, et patenam purificatorio.	

TEXTUS.	PRIMUS CAPELLANUS.	SECUNDUS CAPELLANUS.	UNICUS CAPELLANUS.
12. *Veni sanctific.* 13. *Lavabo.*	Bugiam deponit, ad latus Epistolae accedit et Episcopo mantile porrigit.	Canonem de medio tollit et in latere Epistolae ponit (vel tenet apertum) ad Ps. *Lavabo.* Lotionem ministrat.	
14. *Suscipe s. Tr.*	A sinistris Episcopi bugiam tenet, indicat Secretas, etc. Bugiam deponit.	A dextris Episcopi canonem sustinet, quaerit Praefationem, accedit cum eo ad sinistram primi Capellani et canonem super legile collocat. Episcopo detrahit pileolum, quem in pelvicula depositum super credentiam collocat.	Infra Secretas, etc. ad librum assistit. Canonem pro Praefatione super legile collocat.
15. Praefatio.	A sinistris bugiam tenens respondet.	Stans a dextris respondet.	
16. *Sanctus.*	Mediocriter inclinat.	Mediocriter inclinat.[10]	Ut secundus.
17. *Memento. . et omnium.*	Bugiam deponit; paululum retrocedit. Ad locum suum redit, recipit bugiam et officium suum prosequitur.	Retrocedit cum primo. Ad locum suum redit.	
18. *Quam oblationem.*		Pyxidem, si adstet, discooperit.	
19. *Qui pridie.*	Bugiam super Altare deponit, et in superiore gradu seu in supremo suppedaneo genuflectit.	Simul cum primo in superiore gradu genuflectit.	Ad dextram Episcopi accedit, et peragit quae secundus.
20. Elevatio hostiae.	Profunde inclinat et planetam attollit.	Profunde inclinat et planetam attollit.[11] Calicem detegit et iterum genuflectit.	

10 Deficiente ministro campanulam pulsat et duo intortitia accendit, nisi duo clerici illa sustineant. "Si erunt tres Capellani, poterunt duo ex his," i. e. secundus et tertius, "dum elevatur SS. Sacramentum, post Episcopum celebrantem, genuflexi a lateribus sustinere duos cereos majores accensos, tertius vero," i. e. ordine primus, "Episcopo assistere; et cum opus erit, tintinnabulum tangere."

11 Tintinnabulum tangit, si opus sit.

[redacted]

TEXTUS.	PRIMUS CAPELLANUS.	SECUNDUS CAPELLANUS.	UNICUS CAPELLANUS.
21. Elevatio calicis.	Inclinat, attollit planetam, surgit cum secundo, genuflectit simul cum Episcopo, bugiam reassumit, assistit ad librum.	Inclinat, attollit planetam, surgit, calicem cooperit, genuflectit simul cum Episcopo.	Ad sinistram accedit et ad librum assistit ut primus.
22. *Memento.*	Ut ad Memento vivorum. Genuflexiones simul cum Episcopo facit.	Ut ad Memento vivorum. Discooperit et tegit calicem suo tempore, genuflexiones cum Episcopo facit,[12] in fine *Pater noster* extergit patenam quam Episcopo cum osculis porrigit.	In fine *Pater noster* ad dexteram accedit, genuflectens in utroque latere, etc. ut secundus.
23. *Domine non. s. d.* Sumptio Hostiæ et Sanguinis.	Inclinat et percutit pectus. Inclinat profunde.	Inclinat et percutit pectus. Inclinat profunde.	
24. Distributio Communionis.	Deponit bugiam et genuflectit in superiore gradu a latere Evangelii, donec Episcopus dixerit: *Misereatur et Indulgentiam.*	Cooperit calicem (aperit tabernaculum),[13] genuflectit et descendit in superiorem gradum a latere Epistolae, ubi genuflexus *Confiteor* recitat, et respondet.	
	Dum Episcopus SS. Sacramentum accipit, sumit patenam (absque stola), iterum genuflectit, et verbis *Domine non sum dignus* tertio repetitis, accedit ad ejus dextram, patenam mento communicantium supponens.		Ut primus.

[12] Suo tempore affert instrumentum pacis, ubi mos viget.

[13] Capellanus pyxidem potest a tabernaculo extrahere, eam aperire, etc. at tunc interim stolam adhibere debet.

TEXTUS.	PRIMUS CAPELLANUS.	SECUNDUS CAPELLANUS.	UNICUS CAPELLANUS.
25. Purificatio et ablutio.	Canonem in medio Altari, et Missale in legili reponit et transfert in cornu Epistolae simul cum bugia, genuflectens in plano ante medium Altare.	Pileolum in capite Episcopi reponit. Purificationem et ablutionem ministrat. Duo intortitia extinguenda curat.	Ut secundus. Missale super legile repositum et bugiam transfert.
26. Lotio manuum.	Quando Episcopus in latere Epistolae manus lavat, detrahit annulum, porrigit mantile et reponit annulum.	Aquam administrat, nisi per tertium Capellanum vel familiarem Episcopi fiat.	Ministrat aquam, etc.
27. Communio, etc.	Assistit ad librum tenens bugiam et indicat Communionem et Orationes.	Ad Altare accedit, extergit calicem, complicat corporale, et calicem contectum cum omni apparatu ad credentiam refert, et ad sinistram Episcopi redit.	Ut secundus. Deinde ad librum assistit, et reliqua ut primus peragit.
28. Benedictio.	Genuflectit in supremo suppedaneo.	Genuflectit in supremo suppedaneo.	
29. Evangelium.	Bugiam a dextra Episcopi tenet.	Canonem a sinistra Episcopi sustinet.	Canonem et bugiam tenet.
Et verbum c. f.	Non genuflectit.	Non genuflectit.	
30.	Cum Episcopo descendit et in plano genuflectit. Exuit Episcopum eique mozettam imponit et Crucem pectoralem porrigit.[14] Assistit Episcopo ut ante Missam (v. 78, 2) eumque ad portam Ecclesiae vel sacristiae comitatur.	Cum Episcopo descendit et in plano genuflectit. Adjuvat in exuendis paramentis Episcopi eaque super Altare deponit. Ut primus Capellanus.	Ut primus.

[14] Episcopus non lavat manus, quia eas lavit post digitorum ablutionem.

[redacted]

CAPUT VII.

DE ASPERSIONE AQUAE BENEDICTAE IN UNAQUAQUE DOMINICA.

ART. I.

DE BENEDICTIONE AQUAE.

80. "Aqua benedicta singulis saltem hebdomadis renovetur."[1] Rubrica Missalis pro aquae benedictae *aspersione* strictum praeceptum non habet;[2] "Die Dominica, in sacristia praeparato sale," quod semel benedictum in hunc usum asservari potest,[3] et aqua benedicenda Sacerdos celebraturus Missam, vel alius ad id deputatus, alba vel superpelliceo indutus cum stola circa collum dicat," etc. Sacerdos celebraturus utitur alba et stola coloris Missae, alius vero vel alio tempore benedicens utitur superpelliceo et stola violacea.[4]

Benedictio, non vero aspersio aquae, omittitur duabus tantum Dominicis, scil. "in die sancto Paschae et Pentecostes, ubi est fons Baptismalis, fit aspersio cum aqua pridie benedicta in fonte Baptismi, et ante infusionem Olei et Chrismatis accepta."

2. Omittitur aspersio ante Missam solemnem ab Episcopo celebratam.[5] In Dominica Palmarum et 2. Februarii, si in Dominica occurrat, fieri debet ante benedictionem palmarum vel candelarum. In festis extra Dominicam omittitur.

[1] Caer. Ep. I. 6. 2.
[2] Cfr. D. 15 Dec. 1899, n. 4051. 1.
[3] D. 2218. 3.
[4] Rit. Rom.
[5] Ante istam Episcopus Ecclesiam ingrediens facit aquae aspersionem, quae sufficit. (Caer. Ep. et S. C. R.) Si SS. Sacramentum sit expositum, omittitur tantum aspersio Altaris. D. 18. Jul. 1885, n. 3639. 2.

ART. II.

DE RITU ASPERSIONIS.

81. "Sacerdos celebraturus," minime vero alius,[1] indutus amictu, alba, cingulo, stola et pluviali coloris Missae, vel absque pluviali, si non habeatur, "accedit ad Altare" more solito, medius inter Diaconum et Subdiaconum, qui induti dalmaticis absque tamen manipulis, fimbrias pluvialis sustinent.[2] Praecedunt thuriferarius vel alius acolythus cum vase aquae benedictae et duo ceroferarii candelabra ferentes. Ad januam aquam benedictam non accipiunt. Ceroferarii candelabra super credentiam deponunt.

2. Capite detecto, in infimo gradu Altaris "cum ministris genuflexus, etiam tempore paschali, accipit a Diacono aspersorium," et "incipiens Antiphonam *Asperges me,*" vel tempore paschali, i. e. usque ad Pentecosten incl., *Vidi aquam*, statim "ter aspergit Altare" seu ejus scabellum, in medio, versus cornu Evangelii, tum Epistolae; "deinde se, et erectus ministros" genuflexos. Dat aspersorium Diacono, et facta reverentia Altari, omnibus etiam in choro surgentibus,[3] medius inter sacros ministros,[4] praecedente thuriferario a dextris Diaconi, progreditur capite aperto ad chorum.[5]

3. Quum pervenerint ad medium chori,[6] salutant utrinque chorales, Celebrans accepto aspersorio prius partem digniorem aspergit, non singulos, nisi sint pauci, sed plures simul quasi in gyrum.[7] Idem praestat in aspersione alterius partis chori facta in transitu Altari reverentia. Choro

[1] D. 2684. 11; 3039. 5; et 3055.

[2] Deficiente pluvali s. M. dalmaticis non utuntur.

[3] Cf. Martinucci II. p. 87. 17.

[4] Ad Episcopum, si assistat, Celebrans solus cum Caeremoniario et ministro aquae benedictae accedit eique aspersorium offert.

[5] Si chorus situs fuerit post Altare, Celebrans cum s. Ministris transibit ad illum e latere Epistolae, redibit ad Altare per latus Evangelii.

[6] Vel "ad latus ubi sedet dignior." Martinucci.

[7] Canonici in sua Ecclesia singuli asperguntur cum incl. ante et post.

[redacted]

asperso repetitur inclinatio ut ab initio. Deinde asperguntur clerici apud Altare vel credentiam stantes.

4. Ultimo progreditur usque ad cancellos presbyterii[8] seu ad scamnum Communionis, ubi stans in medio, (vel si SS. Sacramentum sit expositum, in parte Evangelii,) populum ter aspergit in medio, a sinistris et dextris suis, absque inclinatione;[9] vel si sit Ecclesiae consuetudo, "graditur per Ecclesiam, incipiens a parte Epistolae, et rediens per partem Evangelii, interim aspergens populum."[10]

5. "Interim Celebrans dicit submissa voce cum ministris Psalmum *Miserere,*" alternatim integrum psalmum vel quoadusque perdurat aspersio. Convenit, ut tempore paschali Ps. *Confitemini* sub aspersione recitet, si memoriter sciat. *Gloria Patri* in fine psalmi omittitur in Dominica Passionis et Palmarum.

6. Aspersione populi peracta Sacerdos aspersorium Diacono, Diaconus thuriferario reddit, et ad Altare reversus debitam reverentiam facit. Repetita antiphona per chorum et Celebrantem,[11] Celebrans "stans ante gradus Altaris junctis manibus dicat" cum cantu *V. Ostende nobis,* etc. ut in Missali, s. Ministris librum vel tabellum ante eum sustinentibus.

7. Oratione finita et facta Altari reverentia, ad scamnum procedunt, vel ad sacristiam pro consuetudine Ecclesiae.[12] Celebrans deponit pluviale et a Caeremoniario induitur manipulo et planeta; item s. Ministri imponunt manipulum ab acolythis praesentatum. Interim Clerus sedet. Post haec omnes surgunt, et Celebrans cum Ministris facta ad Clerum reverentia accedit ad Altare.

8. Si Missa absque s. Ministris celebretur, thuriferarius et alter acolythus ipsorum vices gerit.

8 D. 12. Sept. 1884, n. 3621. 4.

9 Schober; cum. incl. ante et post.

10 "In casu servandam consuetudinem." D. 3114. 2.

11 "Antiphona *Asperges me* vel *Vidi aquam* a Celebrante et cantoribus repetenda est." D. 3402. 5 et 6.

12 D. 3108. 16. Celebrans etiam ante gradus in medio altaris pluviale exuere et casulam manipulumque sumere potest, dummodo planetam non accipiat de altari (D. 2027. 3.) nec adsit Episcopus (D. 3110. 4) nec SS. Sacramentum sit expositum.

Auctores hucusque communiter putarunt convenire, ut, si Missa conventualis vel principalis celebretur sine cantu, aspersio aquae non omittatur, sed legantur, quae alias cantantur.[13]

9. Singulis Dominicis fit aquae benedictio et aspersio, "tum ob mysterium, videlicet, ad renovandum singulis Dominicis memoriam Sacramenti Baptismi, quod olim in Dominica tantum Resurrectionis et Pentecostes conferri solebat; tum ut ipsa aqua benedicta purior servetur."[14]

Asperguntur fideles, ut per applicationem orationum in aquae benedictione dictarum, purificati et a daemonis insidiis liberati, Sacrificio attente et devote intersint. Convenit Ps. *Miserere*. *Vidi aquam*, ex Ezech. 47, hic intelligi potest de aqua baptismi vel ejus effectu, aut de aqua quae fluxit de latere Christi, cujus passionis meritis omnes salvi fiunt.

[13] Ita fere omnes. "Absque culpa haec benedictio et populi aspersio omitti nequeunt, cum quasi pertineant ad Missae principalis substantiam, uti benedictio cereorum in die Purificationis, Cinerum et Palmarum suis respective diebus." Romsée, Bouvry, etc.

Huic vero communi opinioni, ut bene dicit Schober (l. c. pag. 197) jam contrarius est textus Caerem. Epis. lib. II. 31, 3: "in omnibus Dominicis per annum *solet fieri* aspersio aquae benedictae;" etiam Missale, ut jam dictum, strictum praeceptum non habet et nuperrime S. Rit. C. declaravit, quod "aspersio aquae benedictae de praecepto sit praemittenda Missae Conventuali quae canitur in Dominicis, sive cum sive absque sacris Ministris. In Ecclesiis non Collegialibus eadem aspersio praefatis diebus *fieri* saltem *potest*" D. 15 Dec. 1899, n. 4051.

[14] Quarti.

CAPUT VIII.

DE MISSA SOLEMNI.

ART. I.

DE OFFICIO CELEBRANTIS.

82. Celebrans s. paramentis indutus cooperit caput; signo dato caput detegit, inclinat Cruci vel imagini sacristiae, sacros ministros resalutat et caput cooperit.[1] Ad januam capite detecto aquam benedictam accipit, nisi ante Missam fiat aspersio aquae benedictae.

2. Ante Altare deponit biretum, vel deprimit caputium, si eo utatur,[2] et genuflectit in plano, vel si Sanctissimum in tabernaculo non asservetur, profunde inclinat, et, in Dominicis facta aspersione aquae, Sacrum exorditur.

Ad *vobis fratres* et *vos fratres* se paullum convertet ad Diaconum et Subdiaconum.

3. Post *Oramus te* fit incensatio Altaris: Ter thus imponit in thuribulum dicens; *Ab illo benedicaris, in cujus honore cremaberis. Amen.* Dein reddito cochleari signum Crucis format super incensum,[3] sinistra super Altare posita. Accepto thuribulo genuflectit, sinistra super Altare posita, vel Cruci inclinat, si SS. Sacramentum in tabernaculo non asservetur, et tribus ductibus (simplicibus, non duplicando) Crucem incensat; dein Altare incensat recta linea (non per modum semicirculi) ut infra ad Offertorium, nihil dicens, et ipse incensatur.

[1] Non imponit incensum.

[2] Si Clerus in presbyterio jam adsit, detecto prius capite chorum salutat, inclinans versus Evangelii et Epistolae cornu.

[3] D. 2515. 10.

4. Dicit Introitum et *Kyrie* in cornu Epistolae. Dum cantatur *Kyrie* potest sedere: inclinat Cruci, descendit per gradus laterales et sedet ac capiti biretum imponit; revertens ad medium Altaris chorum salutat primo in latere Epistolae, deinde Evangelii.

5. Intonat *Gloria*,[4] et post ejus recitationem genuflectit (resp. inclinat), et per viam breviorem ad scamnum procedit etc. ut ad *Kyrie*. Ad verba *Adoramus te; Gratias agimus*, etc. caput detegit. Redit per viam longiorem, ut supra.

6. Epistolam, Graduale, etc. legit submissa seu media voce. Imponit manum osculandam in Epistolario, dein Subdiaconum benedicit nil dicens. Legit Evangelium, sed in fine librum non osculatur nec dicit *Per evangelica dicta*, etc. In medio Altaris imponit incensum illudque benedicit, ut supra.

(Si Sequentia vel Tractus sit longior, benedicit Subdiacono, postquam Sequentiam vel Tractum legit; infra ejus cantum potest sedere.)

7. Diacono benedictionem dat: *Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis: ut digne et competenter annunties Evangelium suum: In nomine Patris, et Filii, ✠ et Spiritus Sancti. Amen;* dexteramque osculandam imponit Evangeliario. Recedit in cornu Epistolae, ubi manet ad Altare conversus.

Simul ac Diaconus incipit Evangelium canere, se vertit versus librum Diaconi, se signat, et ad nomen *Jesu* inclinat versus Crucem. In fine osculatur librum dicens: *Per evangelica dicta* etc. et ter incensatur.

8. Intonat *Credo* et reliqua peragit ut ad *Gloria*. Ad *Et incarnatus* capite detecto inclinat; si non sedeat, flectit utroque genu in extremitate suppedanei. Ad *simul adoratur* capite detecto inclinat.

83. Ad Offertorium etc. calicem nec cooperit nec detegit; officium enim Diaconi est. Post *Veni Sanctificator* ibidem paullum faciem convertit ad latus Epistolae, et manu sinistra pectori admota, imponit incensum in thuribulum dicens: *Per intercessionem beati Michaelis Archangeli, stantis a dextris al-*

[4] *Gloria et Ite missa est* intonantur in tono B. M. V. quando Praefatio Nativitatis dicitur. D. 3421.

[redacted]

taris incensi, et omnium electorum suorum, incensum istud dignetur Dominus bene+dicere, et in odorem suavitatis accipere. Per Christum Dominum nostrum. Amen. Incenso imposito, illud benedicit ad verbum *benedicere,* manu sinistra super Altare posita.[5] Tunc nullam faciens reverentiam incensat oblata ter ducens thuribulum super calicem et hostiam simul in modum Crucis, dicens: (a) *Incensum + istud,* (b) *a te + benedictum,* (c) *ascendat + ad te Domine;* dein circumacto thuribulo tres circulos circum hostiam et calicem ducit, bis a dextra ad sinistram (i. e. a latere Epistolae ad latus Evangelii per partem posteriorem calicis), et tertia vice a sinistra ad dexteram, dicens: (a) *Et descendat super nos* (b) *misericordia* (c) *tua.*

2. Genuflectit (vel inclinat si SS. Sacramentum non adsit) et Crucem tribus ductibus simplicibus incensat dicens: (a) *Dirigatur* (b) *Domine* (c) *oratio mea;* genuflectit (vel incl.). Tunc reliquias in latere Evangelii, si adsint, duobus ductibus incensat, genuflectit et reliquias in latere Epistolae duobus ductibus incensat; nec genuflectionem repetit.

3. Progrediendo incensat Altare ad latus Epistolae tribus ductibus versus partem ubi sunt aut supponuntur tria candelabra dicens: (a) *sicut* (b) *incensum* (c) *in conspectu tuo.* In angulo Epistolae incensat unico ductu partem lateralem inferiorem Altaris et altero ductu partem superiorem lateralem, dicens: (a) *Elevatio* (b) *manuum.*

4. Progrediendo incensat mensam Altaris tribus ductibus (non in modum circuli) dicens: (a) *mearum* (b) *sacrificium* (c) *vespertinum.*


Genuflectit et progrediendo incensat posteriorem partem Altaris in latere Evangelii tribus ductibus, dicens: (a) *Pone* (b) *Domine* (c) *custodiam.*

In angulo Evangelii incensat sicut in angulo Epistolae, dicens: (a) *ori* (b) *meo.* Stans in eodem angulo mensam Altaris tribus ductibus usque ad Altaris medium incensat dicens: (a) *et ostium* (b) *circumstantiae* (c) *labiis meis.*

5. Progrediendo ad medium tribus ductibus partem anteriorem Altaris ubi est antipendium incensat dicens: (a) *ut non declinet* (b) *cor meum* (c) *in verba malitiae.*

[5] Cfr. Rubr. Ritus celebr. M. tit. III. n. 5.

[redacted]






MODUS INCENSANDI OBLATA.

N. B. Cruces et circuli fieri debent in eadem linea, quamvis in figuris inter se distantes appareant.

[redacted]



ORDO INCENSANDI ALTARE.

N. B. Si non adsint Reliquiae incensandae (*ut indicatur n.* 4, 5, 6, 7), *statim incensatur Altare ad latus Epistolae.*

Genuflectit in medio et procedens versus latus Epistolae tribus ductibus incensat reliquam frontem Altaris, dicens: (a) *ad excusandas* (b) *excusationes* (c) *in peccatis.*[6]

6. Thuribulum Diacono reddit dicens: *Accendat in nobis Dominus ignem sui amoris et flammam aeternae charitatis. Amen.* A Diacono ter[7] incensatur. Lavat manus integras.

84. Post incensationem consueto modo Missam prosequitur. Prima Oratione post *Agnus Dei* recitata osculatur Altare et Diacono dat pacem, nulla genuflexione vel inclinatione facta.

Ablutionem digitorum sumit persistens in medio Altaris. Diacono cantante *Ite Missa est,* Celebrans conversus ad populum manet nil dicens. Si autem cantandum sit *Benedicamus Domino,* conversus ad Altare ipse idem submissa voce dicit.[8]

2. Post Missam genuflectit in plano (vel inclinat Cruci), caput cooperit et ultimus revertitur. Si Clerus in choro remaneat, post genuflexionem inclinat Clero, et recedens cooperit caput.

Sacristiam ingressus detecto capite salutat Clerum, si adsit; dein inclinat Cruci, et salutationi Diaconi et Subdiaconi respondet.

[6] Ita pro incensatione Crucis et Altaris communiter juxta auctores, quamvis Rubricae non praescribant, quomodo verba hujus Psalmi 140 distribuenda sint.

[7] Si Episcopus Ordinarius assistat, Celebrans duobus ductibus incensatur.

[8] Item *Requiescant* etc. in Requie solemni etiam a Celebrante submissa voce dici debet. D. 2572. 22.

ART. II.

DE OFFICIO S. MINISTRORUM ET CAEREMONIARII IN MISSA SOLEMNI.

85. Praeparanda. *In sacristia* paramenta pro sacris Ministris et superpellicea pro Caeremoniario, etc.

In credentia, quae "lineo mantili usque ad terram circumcirca pendenti" [1] sit contecta: calix cum omni apparatu, Missale pro s. Ministris, ampullae vini et aquae cum pelvicula et manutergio; super omnia (at convenientius infra bursam [2]) velum humerale pro Subdiacono coloris paramentorum.

Super Altare: Missale apertum; sex candelabra, (pro Missa Pontificali Episcopi Ordinarii septem candelabra).

[1] Caer. Ep. I. 12, 19. [2] Falise, De Carpo.

[redacted]

ABBREVIATIONES pro sequenti tabella: C.=Celebrans; C^{is}=Celebrantis; D.=Diaconus; Sd.=Subdiaconus; T.=Thuriferarius; I et II=Acolythi; gfl.=genuflectit vel genuflectens; incl. =inclinat vel inclinans.

TEXTUS.	DIACONUS.
	1. Lavat manus, induit amictum, albam, cingulum, stolam super humerum sinistrum, dalmaticam et postremo manipulum.[3]
	Capite cooperto consistet a dextris C^{is}.
	2. Capite discooperto incl. Cruci, dein C^{i}.
	Capite tecto sequitur Sd^{um}. Ad fores sacristiae aquam benedictam dat C^{i}, et se signat capite detecto.[4]
	3. Ante Altare stans a dextris C^{is} deponit biretum vel deprimit caputium si eo utatur, accipit biretum C^{is} cum osculis,[5] gfl. in plano.[6]
[*Asperges me.* T. P. *Vidi aquam.*	[4. Gfl. in infimo gradu.[7] Porrigit C^{i} aspersorium cum osculis.
	Aspersus a C^{e} incl. et se signat. Aspersorium recipit, quod tradit thuriferario.
	Surgit et facta gfl^{ne} comitatur C^{em} elevans pluviale; tradit C^{i} aspersorium ad aspergendum chorum ex utraque parte, deinde populum in aditu presbyterii; recipit cum osculis aspersorium, quod tradit thuriferario. Revertitur ad Altare, ubi gfl.

[3] Manipulus ad *Asperges* vel processiones non induitur, sed super scamnum ponitur. Ministri sacri Celebrantem adjuvare debent, dum sacras vestes pro Missa solemni induit, nisi consuetudo contraria vigeat. (D. 9. Jul. 1895, n. 3866. 1.) Clericus saltem sacra tonsura initiatus ob rationabilem causam absque manipulo munus Subdiaconi obire potest, hisce exceptis: a) aquam ante Offertorium in calicem non infundat quod in casu Diaconus praestabit; b) calicem infra actionem nunquam tangat, nec pallam ab eodem removeat aut super eum reponat; c) post ablutionem calicem non abstergat (abstergente ipso Celebrante) sed tantummodo illum componat more solito et ad mensam deferat. D. 14. Mart. 1906, n. 4181.

Quum nullae quidem pro s. ministris sint praescriptae preces, in induendo vestes decet, Ministros uti orationibus pro Celebr. praescriptis; ad dalmaticam vero dicere potest Diaconus: *Indue me Domine indumento salutis et vestimento laetitiae, et dalmatica justitiae circumda me semper.* Et

ABBREVIATIONES pro sequenti tabella: C.=Celebrans; C[is]=Celebrantis; D.=Diaconus; Sd.=Subdiaconus; T.=Thuriferarius; I et II=Acolythi; gfl.=genuflectit vel genuflectens; incl. =inclinat vel inclinans.

SUBDIACONUS.	CAEREMONIARIUS.
1. Lavat manus, induit amictum, albam, cingulum, tunicellam et manipulum.[3]	Induit superpelliceum; adjuvat Celebrantem, dum s. vestes induit.
Capite cooperto consistit a sinistris C[is].	
2. Capite discooperte incl Cruci, dein C[i].	Dat signum exeundi, incl.
Capite tecto praecedit D[um]. Aquam benedictam sumit capite detecto.[4]	Praecedit Sd[um], capite (semper) aperto. Aquam benedictam D° et Sd° porrigit [4]
3. Ante Altare stans a sinistris C[is] detegit caput, gfl. in plano.	Ante Altare accipit bireta a D° et Sd°, gfl. et imponit tria bireta super scamnum.
[4. Gfl. in infimo gradu.[7]	[Gfl. in latere Epistolae facie ad latus Evang. versa.[8]
Aspersus a C[e] incl. et se signat.	Aspersus stando incl. et se signat.
Surgit et facta gfl[ne], elevans pluviale comitatur C[em] aspergentem chorum et populum.	In aspersione Cleri et populi potest praecedere cum thuriferario vel remanere ad Altare.

Subdiaconus ad tunicellam: *Tunica jucunditatis et indumento laetitiae induat me Dominus.*

[4] Omittitur, si aspersio aquae fiat ante Missam.—Si sacristia sit retro post Altare, egrediendum est a parte Evangelii, et regrediendum est ad illam a parte Epistolae. D. 3029. 12.—In presbyterio, si Clerus jam adsit, detecto capite, chorum salutant inclinando in latere Evangelii et Epistolae. Cfr. n. 98, adn. 5.


[5] Accipiens rem osculatur prius manum C[is], deinde rem; porrigens vero prius rem deinde manum C[is] osculatur. Omittuntur oscula in Missis de *Requie.* "Diaconus [quamvis sit Canonicus] porrigendo cochlear, patenam etc. tenetur osculari manum Celebrantis." D. 2578. 5.

[6] Si SS. Sacramentum in tabernaculo non asservetur, reverentia per Celebrantem ad Crucem facienda est inclinatio, per s. Ministros genuflexio.

[7] In accessu pro aspersione aquae s. Ministri a lateribus Celebrantis fimbrias pluvialis sustinent, si locus permittat.

[8] Vel in loco convenienti.


TEXTUS.	DIACONUS.
[*Ostende* etc.	5. Stando sustinet librum. Gfl. pergit ad scamnum; ubi manipulum sibi imponit. Accedit ad Altare, incl. Choro versus cornu Epistolae, dein Evangelii; gfl. ante Altare.]
86. *In nomine Patris* etc.	Se signat et respondet, stans a dextris C^{is}.
Misereatur tui..	Modice incl. versus C^{em}.
Confiteor	Profunde incl.
tibi Pater, te. P.	Se vertit versus C^{em}.
Indulgentiam.	Se erigit et signat.
Deus tu conv.	Mediocriter incl.
Aufer a nobis.	2. Ascendit, fimbriam anteriorem vestium C^{is} paululum sublevans; non gfl. in suppedaneo.
	3. Paululum se retrahens praebet locum thuriferario inter se et Altare. Naviculam accipit et C^{i} cochlear cum osculis tradit, et parum inclinatus versus C^{em} dicit: *Benedicite, Pater Reverende,* et naviculam tenet juxta thuribulum. Immisso incenso, cum osculis recipit cochlear, quod in navicula inclusum reddit thuriferario vel Caeremoniario. Tunc thuribulum cum osculis tradit C^{i}.
	4. Comitatur C^{em} incensantem, sustollens partem posteriorem casulae, gfl. quando C. gfl. vel. incl., altera manu ad pectus posita.
	5. Accipit thuribulum cum osculis, descendit in planum lateris Epistolae, et C^{em} tribus ductibus incensat, profunde incl. ante et post thurificationem.



1 Judica
2 Impositio thuris


[redacted]

SUBDIACONUS.	CAEREMONIARIUS.
5. Stando sustinet librum. Gfl. pergit ad scamnum ubi manipulum sibi imponit. Accedit ad Altare, incl. Choro, gfl. ante Altare.]	Ad scamnum C^{i} deponit pluviale eumque manipulo et casula induit.]
Se signat et respondet, stans a sinistris C^{is}. Modice incl. versus C^{em}. Ut D. Ut D. Ut D. Ut D.	Gfl. in latere Epistolae, facie ad latus Evang. versa; respondet etc. ut Ministri. Profunde incl. etc., ut D.
2. Ascendit etc. ut D. non gfl. in suppedaneo.	Surgit. Ascendit cum thuriferario per gradus laterales et naviculam D° tradit;
3. Stat manibus junctis, ad sinistrum fere latus C^{is} et tantillum ad Altare conversus.	thure benedicto descendit in planum versus cornu Epistolae. Removet Missale, dum C. hoc latus incensat.
4. Comitatur C^{em} incensantem, sustollens posteriorem partem casulae, gfl. quando C. gfl. vel incl., altera manu ad pectus posita. 5. Descendit cum D° et ad sinistram ejus profunde incl. C^{i}.	Stat retro post D., a dextris thuriferarii, incl. cum s. Ministris.



3 Incensatio Altaris
4 Incensatio Cis

TEXTUS.	DIACONUS.
Introitus et Kyrie.	6. Adstabit C^{i} a dextris in gradu superiori post supped; respondet ad *Kyrie.*
	Dum a choro ultimum *Kyrie* cantatur, per eundem gradum simul cum C^{e} ad Altaris medium accedit.
	7. Quando sedendum sit, incl. Cruci, descendit ad sedes per viam breviorem, revertitur per longiorem, etc. ut ad *Gloria.*
Gloria in exc.	8. Stat a tergo C^{is} in gradu superiori infra suppedaneum.
Deo.	Incl. et simul cum Sd° ascendit ad dextram C^{is} et recitat hymnum voce non alta, incl. cum C^{e}.
Cum s. Spiritu.	9. Se signat, gfl. manibus junctis, descendit per gradus laterales ad sedem,[1] C^{i} cum osculis porrigit biretum, suumque biretum accipit, incl. C^{i}[2] et sedet a dextris C^{is} capite tecto.
Cant. *Adoramus te, Gratias agimus t. Jesu. C. Suscipe depr. n.*	Incl. (Si tunc descendatur ad sedem, sistit et incl. versus Altare.)
Cum s. Spiritu..	Surgit, accedit ad Altare per viam longiorem, incl. Choro ad latus Epistolae, dein Evang.[4] gfl. in infimo gradu, sustollit fimbrias anteriores vestium C^{is}.




5 Introitus, Kyrie — 6 Gloria


[1] Quando sedendum est, D. et Sd. sublevent casulam C^{is} ne sedeat super ea. Similiter cavendum pro dalmaticis per acolythos vel per ipsos s. Ministros. Caput bireto tegunt quando jam sedent, ambasque manus extensas prope genua ponunt. Ad inclinationes caput prius detegunt, ponentes biretum prope genu dexterum. Quando surgendum est, prius caput detegitur. D. porrigit vel accipit biretum C^{is} cum osculis.

[redacted]

SUBDIACONUS.	CAEREMONIARIUS.
6. Stat in gradu infimo vel in plano, a dextris D^{i}, ita ut C. D. et Sd. quasi semicirculum componant. Respondet ad *Kyrie*. Simul cum C^{e} et D^{o} per planum ad Altaris medium accedit.	Stat prope angulum Altaris posterius conversus ad C^{em}, cui Introitum indicat.
7. Quando fit sessio, incl. Cruci et descendit cum D. vel a dextris C^{is} etc. ut ad *Gloria*.	Signum dat sedendi, si totus fuerit cantatus Introitus et cantus *Kyrie* sit protrahendus. Ad ult. *Kyrie* dat sign. surg.
8. Stat ante gradum infimum a tergo D^{i}.	Stat ad latus Epistolae.
Incl. ascendit ad sinistram C^{is} et recitat hymnum concomitanter, incl. cum C^{e}.	Dat signum Ministris ascendendi.
9. Se signat, gfl., descendit ad sedes, biretum suum accipit, incl. ut D. et sedet a sinistris C^{is} capite tecto.	Se signat, dat signum sedendi. Stat manibus junctis a dextris D^{i}.[3]
Incl. etc. ut D.	Dat signum incl., ipse incl.
Surgit, accedit ad Altare per viam longiorem, incl. Choro ad latus Epistolae, dein Evang. gfl. in inf. gradu, sustollit fimbrias anteriores vestium C^{is}.	Dat signum surgendi, reducit C^{em} et M. ad Altare.



7 Ad [illegible]




8 Reditus ad Altare

[2] S. Ministri inclinationem ad invicem tantum faciunt. Martinucci.

[3] Magister caeremoniarum stare debet dum munus actualiter exercet; secus sedere potest. D. 2578, 8.

[4] Quando duo vel tres chorum etc. salutant, ita gradum unus alterve accelerare vel retardare debet, ut salutantes in eadem linea recta se contineant.

TEXTUS.	DIACONUS.
Dominus vob.	10. Stat in gradu superiori infra suppedaneum post C^{em}, quem sequitur in eodem gradu.
Oremus. *Ultima Oratio.*	Stat in linea recta retro post C^{em}.
Per D. N. Jesum..	Incedit in eodem gradu ad dextram C^{is}.
Epistola.	11. A dextris C^{is}, ubi remanet donec C. incipit Evang.
	Ad Sd. se convertit.




9 Dominus vobiscum — 10 Orationes, Epistola

[5] Remanens in plano usque ad finem tractus vel sequentiae, si dicatur.

[6] Planeta plicata (ante pectus) a Sd° deponitur ante Epistolam et resumitur post Epist.;

[redacted]

SUBDIACONUS.	CAEREMONIARIUS.
10. Stat ante inf. gradum post D^{um}, quem sequitur in plano.	Stat in latere Epistolae et accedit ad librum.
Stat retro post D^{um}.	Assistit ad Missale.
Accipit librum Epist. ad inferiores angulos et parte superiore quiescente supra pectus apertura ad sinistram versa; recipiens incl.	De credentia Epistolarium Sd° tradit, incl. ante et post.
Accedit ad medium Alt., gfl. in inf. gradu, salutat Chorum lateris Evang. et Epist.	Comitatur Sd^{um} a sinistris paululum retro, gfl. salutat Chorum.
11. Cantat Epist. in loco quo primum stetit. Clauso libro gfl. in medio, salutat Chorum ut antea, accedit per planum ad angulum Epist.[5]	Assistit Sd° a sinistr., quem comitatur ad medium et cornu Epist.
Gflexus in superiori gradu C^{is} manum osculatur et benedicitur.[6]	Accipit librum a Sd°. Si cantetur *Adjuva nos,* aut *Veni sancte Spiritus,* dat signum genuflectendi. Ad Sequentiam vel Tractum cant. omnes sedere possunt.




11 Benedictio S p. Epistolam

12 Translatio libri

a D° deponitur, dum C. legit Evang. et resumitur post S. Communionem Missali ad cornu Epist.

relato; interim D. stola latiori super stolam diaconalem posita indutus est. Cfr. n. 97.

TEXTUS.	DIACONUS.
Munda cor. *Laus tibi, Christe.*	12. In cornu Epistolae adhuc consistit. Descendit in planum ad latus Epistolae, accipit librum Evang., cujus apertura ad sui sinistram sit; progreditur ad medium Alt. incl. Choro versus cornu Epist. dein Evangelii, gfl. in infimo gradu et ponit librum in medio Altari.
Dominus sit in corde tuo.	13. Incensum C^{i} ministrat, (ut supra n. 3.) Genuflexus in extremo suppedaneo incl. dicit: *Munda cor m.* Sumpto libro gfl. in suppedaneo versus C^{em}, dextrorsum habens Altare, dicit: *Jube, Domne, benedicere;* post benedictionem osculatur manum C^{is}, surgit, incl. C^{i}, descendit.
Sequentia S. E. Cant. *Jesus*	14. Gfl. in infimo gradu, incl. Choro versus cornu Epist., dein Evang., vadit ad latus Evangelii, latere dextro ad Altare verso. Ibi Sdo tradit librum apertum. Signat librum et se ipsum, incensat librum in medio, a sinistris et dextris suis, incl. ante et post. Incl. libro.
Laus tibi C.	15. Ostendit Sd° initium Evang. Incensat C^{em} triplici ductu, incl. ante et post. ("Si autem sit praedicandum, Concionator, finito Evangelio, praedicet."[8]) Ascendit ad secundum gradum, ubi gfl.




18 D affert librum Ev. | 14 Impositio thuris


7 "Si ad Evangelium canendum adhibebitur legile, Subd. stabit post legile, et ad extremitates superiores libri manus ap-

[redacted]

SUBDIACONUS.	CAEREMONIARIUS.
12. Missale cum legili defert ad latus Evang., gfl. in medio, assistit C^{i} in cornu Evangelii, in fine Ev. respondet *Laus tibi, Christe,* ac admovet Missale prope medium Altare.	Tradit librum Evang. D°, incl.
13. Consistit ut ante Introitum, (n. 3.) Descendit in planum.	Ascendit cum thurif. per gradus laterales, porrigit D° naviculam; incenso benedicto descendit in planum ad latus Epistolae. Adducit thurif. et ceroferarios ante medium Altaris.
14. Gfl. a sinistris D^{i}, incl. Choro, vadit ad latus Evang. ante D.	Gfl. a dextris D^{i}, incl. Choro et comitatur D. a dextris ejus, ad locum ubi Evang. cantatur.
Ibi convertens tergum parietem versus, tenet librum fronti vel pectori innixum.[7]	Se signat; D° thuribulum tradit. Incl. Altari.
15. Librum defert ad C^{em} (non incl. vel gfl.) cui ostendit initium Evang. osculandum. Clauso libro, incl. C^{i}, descendit de Altari ex parte anteriori lateris Epistolae et Caerem° tradit librum. Ad medium redit, gfl. cum D°.	Transit ad latus Epist. gfl. fere ante medium Altaris. Accipit librum, incl. Sd°, librum ad credentiam refert.



15 Benedictio D.




16 Evangelium

ponet. In fine accipiet a D° librum'' Martinucci, I. 12. 41.

[8] Rit. cel. Miss. VI. 6.

[redacted]

TEXTUS.	DIACONUS.
Credo in unum Deum.	16. Stans retro post C^{em}.
	Incl. etc. ut ad *Gloria.*
Et incarnatus est.	Gfl., manus Altari non applicans. Finito Symbolo fit sessio etc. ut ad *Gloria.*
Et incarnatus. cant.	17. Incl.[9]
Crucifixus.	Surgit, bursam sumit, quam elevatam ad altitudinem vultus defert, apertura ad se ipsum conversa. Incl. C^{i}, et choro ad cornu Epist. dein Evang. gfl. in infimo gradu; expandit corporale super Altare. Gfl., redit via breviori, incl. C^{i}, sedet.
Et vitam venturi.	Surgit etc. ut ad *Gloria.*
87. *Oremus.*	1. Ascendit ad dexteram C^{is}.
Suscipe.	Calicem detegit, patenam C^{i} tradit cum osculo prius patenae, dein manus C^{is}. (Pyxidem detegit et paululum elevatam dextra tenet, dein coopertam post calicem vel e latere ponit.)
	2. Infundit vinum.
Deus, qui h.	
Offerimus.	Abstergit guttas cuppae adhaerentes, porrigit calicem C^{i} osculans pedem calicis et manum C^{is}. Calicem C^{i} dat, et dextram sub pedem calicis ponens, sinistra pectori applicita vel infra brachium C^{is}, oculisque ad Crucem elevatis cum C^{e} dicit: *Offerimus tibi,* etc.




17 Incensatio C^{is} — 18 Credo, Sessio

[9] Si non sedeant, flectunt utroque genu in ora suppedanei et incl. In festis Nativitatis Domini et Annuntiationis (vel in die translationis) surgunt de sede et gfl.


[redacted]

SUBDIACONUS.	CAEREMONIARIUS.
16. Stans in plano retro post D^{um}. Incl. etc. ut ad *Gloria*. Gfl. etc. ut D.	Incl. Gfl.
17. Incl.[9] Surgit.	Incl. dein gfl. Surgit, D° dat signum et bursam de credentia porrigit.
Sedere potest.	
Surgit, incl. et sedet.	
Surgit etc. ut ad *Gloria*.	Dat signum surgendi.
1. Gfl., ad credentiam velum humerale ei imponitur, deponit velum calicis, eumque sinistra sumit et parte dextra veli humeralis contegit et, manu dextra insuper posita, ad Altare defert (simul cum bursa, si non dicatur *Credo*). Extergit calicem purificatorio et utrumque tradit D°.	Signum dat Sd°. Imponit velum in humeros Sd[i] eumque comitatur ad Altare.
2. Ampullam aquae ostendens C[l] dicit incl.: *Benedicite Pater Reverende.* Infundit paucas guttas aquae.	



19 Offertorium
20 Oblationes

TEXTUS.	DIACONUS.
	3. Cooperit calicem palla, patenam ponit in dextra manu Sdi., purificatorium prope corporale ponit.
Per intercessionem B. Incensum istud. *Dirigatur . .*	Incensationi assistit ut ante Introitum. Pedem calicis manu dextra tenet, sinistra casulam sustollens. Amovet calicem ad partem Epist., gfl. eumque incensata Cruce reponit, gfl. comitatur C^{em}, ut ad incens. ante Introitum.
Accendat. Orate fratres.	Sumpto thuribulo incensat C^{em}, ut supra, deinde chorum.[2]
	Ultimo Sd^{um} duplici ductu incensat ante gradum infimum in angulo lateris Epistolae, incl. ante et post.
	Reddito thuribulo ascendit in secundum gradum post C^{em}, gfl. et conversus ad latus Epist. a thuriferario incensatur.




21 Impositio thuris
22 Incensatio Altaris

[1] D. 9. Jun. 1899, n. 4027. 2.

[2] Incensatio Chori: Imposito per thuriferarium incenso, si opus sit, Diaconus genuflectit in eodem loco, si chorus sit post Altare, vel in medio si chorus sit in fronte Altaris, et procedit (per latus Epistolae si chorus sit post Altare). Subsistens in limine vel in medio chori salutat utrinque chorales, qui erecti resalutant. Primo incensat digniores: Praelatos, vel Canonicos in sua Ecclesia vel Sacerdotes paratos (pluviali) si adsint, singulos binis ductibus inclinans singulis ante et post. Deinde, incipiendo, a parte Evangelii seu ubi est dignior, incensat singulos singulis ductibus; aut si sint plures ut omnes singillatim incensando nequeat ad Altare reverti sub Praefationis exitum, incensat eos in communi. "Seminarii Episcopalis Alumni choro assistentes cotta induti incensandi sunt per modum unius." D. 2791. 4. (Ecclesiastici soli habitu chorali induti incensantur. D. 1650. 5.) Transiens ante Altare

[redacted]

SUBDIACONUS.	CAEREMONIARIUS.
3. Dextra sumit patenam ac tum manum tum patenam veli extremitate dextra cooperit, et descendit in planum retro post C^em^, ubi gfl.[1] consistit sustinens patenam elevatam. Demittit patenam ad pectus, quando incedit, vel gfl., incensatur, incl. aut respondet.	Ascendit pro incenso imponendo ut ad incens. ante Intr.
Respondet.	Transit ad cornu Evang. gfl. in medio, removet Missale, descendit in planum; postea reponit Missale. Remanet a sinistris C^is^.
Se convertens ad D^um^ incensatur, incl. ante et post.	
	Incensatur a thuriferario.




23 Incens. C^is^, Lavabo, Incens. S!
24 Incensatio D^i^, Or, I et II, populi

genuflectit. Incensatum chorum salutat ut ante incensationem; et si chorus sit post Altare revertitur per latus Epistolae.

Si in choro sint plures subselliorum ordines, nec Praesules, vel Canonici adsunt, D^us^, facta omnibus communi reverentia, simplici ductu incensat singulos qui in stallis superioribus lateris dignioris sunt et iterabit reverentiam communem. Deinde pergit ad alteram chori partem et superiorem chori partem thurificat eadem ratione. Deinde ad partem inferiorem chori pergit, genuflectens ad Altare, si ante illud transeat, inclinat ad hanc chori partem et singulos singulis ductibus incensat, et iterat communem reverentiam et ita porro, si plures subselliorum ordines in choro sint.

S. C. R.: "In Missa, vel etiam in Vesperis, quando Hebdomadarius non sedet in choro, salutationes, thurificatio, etc. debet incipere ab ea parte, in qua sedet dignior ex praesentibus." D. 3059. 25.

TEXTUS.	DIACONUS.
Supplici confess. d. *Sanctus.* *Benedictus.*	4. Ascendit ad dextram C[is]. Dicit cum C[e] inclinatus. Se signat, erectus.
88. *Te igitur.*	1. Accedit ad librum, gfl. in medio, vertit folia.*
Quam oblationem.	Ad dextram C[is] transiens gfl. in medio (Pyxidem detegit). Gfl. in suppedaneo.
Elevatur hostia.	2. Incl., sinistra fimbrias planetae elevat. Surgit cum C[e] (cooperit ciborium) detegit calicem, gfl., fimbrias planetae elevat.
Calix demittitur.	Surgit, calicem tegit, gfl. cum C[e]. Transit ad Missale, ubi gfl.
Per quem haec o.	3. Gfl., accedit ad dextram C[is], discooperit calicem et cum C[e] gfl.[1] Similiter cooperit et gfl. cum C[e].
. . audemus dicere *Et dimitte n.*	4. Gfl., descendit retro post C[em], non gfl. Gfl. vadit ad dextram C[is], patenam purificatorio abstergit et tradit C[i] cum osculis. Detegit calicem et gfl. cum C[e].




25 Usque ad Sanctus
26 Sanctus
29 Usque ad Nobis quoque —P.q.h.o.
30 Usque ad Pater Noster

*Si adsit presbyter ass. D. stat ad dexteram aliquantulum post C.

[1] S. C. R.: "Rubrica Missalis, tit. 8, n. 11, praescribit ut Subdiaconus ad *Sanctus* accedere debeat cum Diacono ad Altare ad dicendum *Sanctus*, etc. An tolerandus usus earum Ecclesiarum, in quibus Subdiaconus non

[redacted]

SUBDIACONUS.	CAEREMONIARIUS.
4. Ascendit ad sinistram C^{is}.[2] Dicit cum C^{e} inclinatus. Erectus.	Dat signum s. Ministris. Locum praebet Sd° ascendenti.
1. Descendit, non genuflectens.	Transit ad planum in cornu Epistolae.
Gfl. in infimo gradu. 2. Incl.	Imponit thus et flectit utroque genu; pulsat campanulam ad elevationes; incl. ante et post elevationes.
Surgit.	Surgit. Ad *Nobis quoque p.* transit ad latus Evang. gfl. in medio.
3. Non gfl.	Accedit ad Missale. Gfl. simul cum D°. Gfl. simul cum C^{e}.
4. Gfl., ascendit ad dextram D^{i}, cui tradit patenam. Detracto velo gfl. descendit, non gfl.	Dat signum D°. Dat signum s. Ministris. Gfl. cum C^{e}.




27 Canon
28 Elevatio
31 Usque ad Et dimitte
32 Agnus Dei

accedit. Resp. Servetur cujuscunque loci consuetudo.'' D. 2682. 30.

[2] Quando Celebr cum Hostia super calic. signa cruc. facit dicens *Per ipsum,* etc., *Diaconus* retinet ''duobus digitis dext. man. pedem Calicis,'' sinistra sup. pectus admota. Caer. Episc. I. 9, 5.

TEXTUS.	DIACONUS.
Pax Domini. *Agnus Dei.* *D. J. C. qui.*	5. Recitat, percutiens pectus ad *Miserere* etc.[1] Flectit utroque genu. Oratione finita surgit, osculatur Altare manibus junctis, a Ce accipit pacem, gfl. descendit, stans in infimo gradu Sd° dat pacem,[2] accedit ad librum, gfl.
89. *Domine non sum.* *Corpus D. n* *Quid retribuam.* *Sanguis Dni.* [Communio cleri.	1. Mediocr. se incl. Profunde incl. Gfl. cum Ce. 2. Profunde incl. Gfl. transit ad dextram Cis, gfl. detegit pyxidem, gfl.[4] Descendit in planum Epist., ubi stans vers.
Confiteor. *Misereatur.* *Indulgentiam.*	Cem, prof. incl. cantat (vel dicit) *Confiteor.* Inclinatus adhuc. Erectus se signat. Dein transit ad cornu Evangelii, gfl. cum Ce. Assumpta patena, cum Ce convertitur ad populum. (Si ipse
Ecce Agnus, etc.	cummunicat gfl. in extremitate suppedanei ante Cem.) Comitatur Cem a dextris, supponendo patenam mento communicantium. Redit ad Altare ad cornu Epistolae, gfl., reponit pyxidem in tabernaculo, gfl., et illud claudit, vadit ad cornu Evang., gfl. in medio.]




33 Pax
84 Dom. n.s. dignus. Ablut.

[1] D. 3535. 3.

[2] Dans *pacem* imponit manus super humeros ejus qui recipit pacem. Recipiens supponit manus cubitis ejus qui dat pacem, et eorum sinistrae genae paululum invicem appropinquant; quo in actu qui dat pacem dicit: *Pax tecum* qui accipit respondet: *Et cum spiritu tuo.* Dans pacem incl. post datam pacem (excepto Ce), accipiens incl. ante et post,

SUBDIACONUS.	CAEREMONIARIUS.
Gfl. ascendit ad sinistr. C^is, quocum gfl.	Dat signum Sd°, cui locum praebet. Gfl. cum Ce; post *Agnus Dei* descendit in planum.
5. Recitat, percutit pectus,[1] gfl. descendit in planum, non gfl.	
Accipit pacem a D°,[2] gfl., pergit ad partem chori digniorem et dat pacem primo cujusque ordinis (si plures sedilium ordines adsint); transiens medium Altaris gfl. Reversus ad medium Alt. gfl. in infimo gradu, dat pacem Caeremoniario et ascendit ad dextram C^is, gfl.	Gfl. comitatur Sdum, a sinistris ejus incedens.[3] Reversus ad medium Altare gfl. in plano et accipit pacem quam dat thuriferario vel primo acolytho.
1. Ut Diac.	Ut Diac.
Profunde incl.	Profunde incl.
Discooperit calicem, gfl. cum Ce.	Gfl. cum Ce.
2. Profunde incl.	Profunde incl.
Cooperit calicem, gfl. transit ad sinistram C^is, gfl. cum D°. Stat in gradu superiori facie ad Dum versa, et profunde inclinat, dum D. dicit *Confiteor* et C. *Misereatur.*	
Se signat. Dein transit ad cornu Epistolae gfl. in medio cum Ce dum transit. (Si ipse communicat gfl. a sinistris Di.)	Se signat.
Comitatur Cem a sinistris.	
Redit ad Altare ad cornu Evang., gfl. cum Ce, commutat locum cum D° gfl. in medio. Detegit calicem.]	




pacem datam. Dans pacem Episcopo manus cubitis ejus supponit. Primus cujusque ordinis dat pacem secundo, secundus tertio, etc. Si chorus situs sit post Altare, Sd. accedit per latus Epistolae, revertitur per latus Evangelii Salutat ab utraque parte Clerum initio et fine.

[3] Cfr. Schober l. c. 116. ann. 40.

[4] Si pyxis non sit super Altare,

[redacted]

TEXTUS.	DIACONUS.
Quod ore s. *Corpus tuum.*	3. Consistit a sinistris C[is].
	4. Missale defert ad cornu Epist. gfl. in medio super gradu superiori.[6]
Communio legitur.	Ostendit Ant. Communionis, statim vadit retro post C[em], quem sequitur.
Postcommunio.	Stat retro post C[em].
Ite Missa est. (*Benedicamus D.*) *Benedicat vos.*	5. Cantat conversus ad populum. Cantat facie ad Altare versa.[7]
	6. In extremo suppedaneo gfl., incl. se signat.[8]
Ultimum Evang. *Et verbum.*	Surgit eodemque loco remanet. Gfl.
	7. Accedit ad dextram C[is9] incl., descendit facie ad Evangelii cornu versa. Gfl. in plano cum C[e],[7] cui biretum tradit cum osculis, capite cooperto Sd[m] subsequitur, ut in accessu.
	In sacristia a dextris C[is] capite detecto incl. Clero, si aderit ordinatus, dein incl. Cruci et C[i].



37 Orationes
38 Ite missa est

aperit tabernaculum, gfl.; extrahit pyxidem eamque detegit, gfl.


[5] Cerem. U. S.

[6] Si planeta plicata utatur, ad credentiam stolam latiorem deponit et planetam plicatam resumit.

[7] Etiam C. dicit *Benedicamus Domino.*

[redacted]

SUBDIACONUS.	CAEREMONIARIUS.
3. Infundit vinum.	Ministrat ablutioni.[5]
Infundit vinum et aquam, purificatorium super digitos C^{is} imponit.	
4. Vadit ad cornu Evang. manibus junctis gfl. ante medium in infimo gradu, extergit calicem, imponit purificatorium, patenam, pallam, plicat corporale ponitque in bursa, dein velum et bursam imponit calici, quem ipse defert ad credentiam, dextra super bursam posita, gfl. in medio; redit post C^{em}.	Assistit ad librum.
5. Defert Missale, si opus sit.	Claudit Missale; si ultimum Evang. ex eo legendum sit, Sd^{o} tradit.
6. Gfl. a sinistris D^{i}, incl. se signat.[8]	Gfl., incl. se signat.
Accedit ad sinistram C^{is} tenetque tabellam. Non gfl.	Surgit. Gfl. Affert bireta.
7. Accedit ad sinistram C^{is} in suppedaneum[9] incl., descendit. Gfl. in plano cum C^{e} [10] et capite cooperto ad sacristiam revertitur, ut in accessu.	Gfl.,[10] porrigit bireta. Praecedens Sd^{um} reducit omnes ad sacristiam.
Ibi a sinistris C^{is} capite detecto incl. Clero, si aderit ordinatus, dein incl. Cruci et C^{i}.	Incl. Clero, Cruci et C^{i}. Assistit C^{i} deponenti paramenta.



[8] Canonici in sua Ecclesia absque genuflexione incl. se signant.

[9] Si Clerus de choro discedit, C. et s. Ministri remanent in Altari et ad nutum Caeremoniarii descendunt.

[10] Clerum, si in choro remaneat, salutant ab utraque parte.

ART. III.

SUMMARIUM OFFICII DIACONI ET SUBDIACONI.

A. Regulae communes pro utroque.

90. Vadunt et sedent a latere Celebrantis, Diaconus a dexteris, Subdiaconus a sinistris, vel ob defectum loci vadunt ante Celebrantem, scil. Subdiaconus a sinistris Diaconi vel ante eum.

2. In accessu ad Missam, et in recessu post ipsam genuflectunt (ad Sanctissimum vel ad Crucem, quamvis SS. in tabernaculo non asservetur) in plano, alias infra Missam in infimo gradu.[1] Si transeant a latere ad latus Altaris "Diaconus et Subdiaconus, Sacramento non extante super Altari, semper genuflectunt et tantum in medio; Sacramento vero extante super Altari, semper et tantum genuflectere debent in utroque latere." Si ab uno latere pergant ad medium vel e medio ascendant ad Altare aut viceversa "Diaconus et Subdiaconus, Sacramento extante super Altari, semper et tantum genuflectunt in loco e quo recedunt; excepto Subdiacono, qui reversus ab incensatione Sacramenti ad Elevationem in Missa solemni de Requie, genuflectere debet in medio tantum; Sacramento non extante super Altari, numquam genuflectunt, praeter Subdiaconum quando, accepta patena, vadit post Celebrantem ante medium Altaris."[2]

B. Regulae pro Diacono.

3. *Functiones particulares:*

(*a*) Assistit ad triplicem incensi impositionem et ad duas Altaris incensationes; ter Celebrantem, semel Chorum et Subdiaconum incensat.

[1] Ministri inferiores semper in plano genuflectunt.

[2] D. 9. Jun. 1899, n. 4027, 1. 2. 3.

Quaesitum est: "An Ministri parati, dum canitur Missa solemnis conventualis, privatim recitare valeant Horas canonicas?" ad quod S. R. C. rescripsit: "Non est interloquendum." D. 3201. 9; eo minus librum vel rosarium in manibus tenere licet, sed s. Ministri semper manus ante pectus conjunctas habent, nisi aliter occupentur.

[redacted]

(*b*) Cantat Evangelium et *Ite Missa est* vel *Benedicamus Domino* vel *Requiescant in pace.*

(*c*) Corporale in bursa ad Altare adfert (ad cant. *Crucifixus*).

(*d*) Assistat ad Offertorium, infundens vinum, etc.

(*e*) Tegit vel detegit calicem, praeterquam ad Communionem.

Recitat cum Celebrante eadem quae Subdiaconus (infra n. 4), praeterea *Offerimus.*

Ministrat ad librum:[3]

(*a*) Ad Introitum;

(*b*) Ad Epistolam, Graduale, etc.;

(*c*) Per Canonem usque ad *Quam oblationem* ante *Pater noster* (quasi excepto tempore Consecrationis);

(*d*) Post Pacem acceptam usque ad Postcommunionem excl.

Stat retro post Celebrantem in 2° gradu, quando non aliter est occupatus, specialiter quando Celebrans aliquid cantat (exc. Praeamb. ad *Pater noster* et *Pax Domini*).

C. Regulae pro Subdiacono.

4. *Functiones particulares:*

(*a*) Incensationi ad Introitum (in Missa de Requie ad Oblationem) assistit;

(*b*) Epistolam cantat;

(*c*) Missale ad cornu Evangelii defert, etiam ad ultimum Evangelium, si sit particulare;

(*d*) Librum Evangelii tenet dum a Diacono cantatur;

(*e*) Calicem ad Altare adfert eumque extergit et infundit aquam.

(*f*) Patenam tenet ab oblatione calicis usque ad finem *Pater noster;*

(*g*) Pacem ad Chorum adfert;

(*h*) Calicem pro sumptione Sanguinis detegit et ablutiones infundit;

(*i*) Calicem extergit, tegit et ad credentiam refert.

[3] Pro foliis vertendis ad alterum latus Celebrantis accedere non debet.

Recitat cum Celebrante: (*a*) Ps. *Judica,* etc. (*b*) *Kyrie* (stans ad dexteram Diaconi); (*c*) *Gloria,* (*d*) *Credo,* (*e*) *Sanctus,* (*f*) *Agnus Dei.*

Stat in plano retro post Celebrantem quando aliter non est occupatus; (ad Introitum a dextris Diaconi.) Dum librum tenet ad Evangelium et dum sustinet patenam non genuflectit, nisi in primo accessu ad locum et toto tempore Consecrationis.

ART. IV.

DE OFFICIO ACOLYTHORUM SEU CEROFERARIORUM.

91. Generatim acolythorum statio per totam Missam est prope credentiam (abăcum), exceptis duabus vicibus, nempe:

(*a*) Ad Evangelium cant. a lateribus Subdiaconi consistunt.

(*b*) A *Sanctus* usque ad elevationem finitam ante Altare in medio presbyterio genuflectunt; si vero aliqui sint communicandi, et in diebus jejunii[1] necnon in Missis de Requie a *Sanctus* usque ad Communionem ibidem genuflectunt.

2. **Specialius.** Acolythi "statura, quantum fieri potest, aequales,"[2] superpelliceo induti candelas accendunt, prius a cornu Epistolae incipiendo a candela quae Cruci proxima est; deinde a cornu Evangelii eodem ordine. (Extinguuntur ordine inverso.) S. Ministros in vestimentis induendis adjuvant.

Tenentes candelabra in sacristia ad signum Caeremoniarii Cruci inclinant, et sequentes thuriferarium procedunt ad Altare,[3] atque subsistunt in lateribus Altaris facie unius ad

[1] Exceptiones vid. infra n. 93, 5.

[2] Caer. Ep. I. 2, 9.

[3] Quando celebrans et s. Ministri choro inclinant, primus acolythus a latere Diaconi et secundus a latere Subdiaconi inclinat. Omnes inclinationes et genuflectiones acolythorum simul faciendae ex aequo et eodem tempore fiant, stando linea recta. Progredientes candelabra teneant manu extima ad nodum, primus acolythus manu dextra, secundus manu sinistra nodum, et manu intima candelabrum inferius sustinet. Cfr. Caer. Ep. I. 2, 8.

[4] Assistunt Diacono et Subdi-

[redacted]

faciem alterius versa, dum Clerus in chorum progreditur; si vero locus sit angustior, retro post s. Ministros; dein simul cum s. Ministris conversi ad Altare genuflectunt et accedunt ad credentiam, in cujus angulos anteriores candelabra deponunt.

3. Genuflectunt tempore confessionis et respondent. Surgunt cum reliquis.

Quando Diaconus et Subdiaconus sedent, posteriorem partem dalmaticae et tunicellae super dorsualia scamni extendunt, et inclinant quando ante Celebrantem procedunt.[4]

4. Imposito incenso post Evangelium a Celebrante lectum, sequentes thuriferarium, accedunt ante Altare pluribus passibus ab eo subsistentes absque genuflexione. Dein simul cum Diacono et Subdiacono genuflectunt, inclinant ad chorum lateris Epistolae et Evangelii, petunt locum solitum Evangelii et se sistunt primus a dextris, secundus a sinistris Subdiaconi, tergo ad parietem verso, non inclinantes nec genuflectentes intra Evangelium.

5. Finito Evangelio redeunt ante medium Altare, tribus quatuorve passibus ab infimo gradu genuflectunt (non inclinantes choro) et accedunt ad credentiam. Genuflectunt ad *Et incarnatus.*

6. Ad Offertorium secundus acolythus plicat velum calicis, primus ampullas vini et aquae post Subdiaconum ad Altare affert, postea refert. Ad *Lavabo* Celebranti ministrant, primus manutergium, secundus aquam.

Respondent inclinationi thuriferarii ante et post incensationem.

7. Post *Gratias agamus* pergunt ad sacristiam, si intortitia pro Elevatione inde efferenda vel accendenda sint.

Ad *Sanctus* procedunt deferentes intortitia (vel, ex frequenti consuetudine, candelabra), genuflectunt in medio presbyterio, salutant chorum et se invicem, et sejungentes flectunt utroque genu. (Campanulam ad Trisagium et Elevationem alter ipsorum pulsat, nisi quis alius hoc praestat.)

8. Post Elevationem (vel Communionem,—vide supra, n.

acono quando casulas plicatas deponunt vel resumunt. Deficiente Caeremoniario primus acolythus Subdiacono et Diacono librum porrigit, Subdiaconumque ad Epistolam comitatur.

91, b) surgunt, flectunt unicum genu et (sine inclinatione ad chorum) revertuntur ad credentiam. Sub finem *Pater noster* primus acolythus (vel thuriferarius) velum humerale ab humeris Subdiaconi deponit super credentiam. Si Celebrans Communionem distribuat, eum cum candelabris comitari possunt. Pro ablutionibus primus Subdiacono ampullas affert, (nisi fiat per Caeremoniarium,) prius genuflectens ad SS. Sacramentum. Secundus acolythus Subdiacono velum calicis ad cornu Evangelii affert.

9. Versus finem ultimi Evangelii cum candelabris ad medium presbyterium accedunt; genuflectunt ad *Et verbum caro factum est.*

10. Ad nutum Caeremoniarii genuflectunt, (si Clerus in choro remaneat, eum cum s. Ministris salutant,) et ad sacristiam revertuntur, ubi Cruci et Celebranti inclinant. Assistunt s. Ministris vestimenta deponentibus; et candelas extinguunt.

ART. V.

DE OFFICIO THURIFERARII.

92. Quater per Missam cum thuribulo ministrat:

I. Ante Introitum pro incensatione Altaris et Celebrantis.

II. Ad Evangelium cant. pro incensatione libri et C^{is}.

III. Ad Offertorium pro incensatione Altaris, Celebrantis, chori et populi.

IV. Ad Elevationem pro incensatione SS. Sacramenti.

2. *Ad I.* Thuriferarius e sacristia ante omnes egreditur, ad januam aqua benedicta se signat, nisi aspersio sequatur (tunc vas aquae benedictae portat, quod facta aspersione ad sacristiam refert), ante Altare medius inter acolythos simul cum ipsis genuflectit et accedit ad locum suum apud credentiam.

3. Infra *Confiteor* thuribulum affert (nisi ab initio secum portaverit). Deinde simul cum s. Ministris ad Altare a latere Epistolae ascendit, et stat a dextris Diaconi propius

Altare et ante Celebrantem; naviculam Caeremoniario et, imposito et benedicto incenso, thuribulum occlusum Diacono porrigit. Recipit naviculam et descendit. Postea stat a sinistris Diaconi incensantis Celebrantem, paululum retro, inclinat cum eo et thuribulum refert. Transiens ante medium Altare genuflectit et inclinat choro (quod semper observandum). Remanet in sacristia, vel potius locum suum tenet inter acolythos ad credentiam.

4. *Ad II.* Finito Evangelio per Celebrantem ascendit ad Altare ut ante Introitum, sed retinet thuribulum cum incenso benedicto. Stat ante Altare inter acolythos (vel a sinistris secundi Caeremoniarii ante acolythos); cum s. Ministris genuflectit et inclinat choro atque accedit primus ad locum ubi Evangelium cantari solet et se sistit prope sinistram Diaconi. Ad *Sequentia s. E.* thuribulum Caeremoniario porrigit, postea recipit illudque inter Evang. cant. non agitat.

5. Post Evangelium Diacono thuribulum porrigit, inclinat cum eo ad Celebrantem, et post incensationem genuflectit et redit ad locum suum, vel refert thuribulum ad sacristiam. Si vero statim *Credo* intonetur, remanens in medio presbyterio inclinat ad *Deum*, deinde genuflectit et abscedit.

6. *Ad III.* Cantato Symbolo revertitur cum thuribulo et post oblationem calicis ad Altare ascendit ut ante Introitum. Post incensationem Celebrantis comitatur Diaconum a sinistris paululum retro inclinans et genuflectens simul cum ipso. Post incensationem Subdiaconi recipit thuribulum et incensat duobus ductibus Diaconum, deinde singulis ductibus Caeremoniarium et acolythos. Ultimo ad ostium cancellorum tribus ductibus, i. e. in medio, sinistris et dextris suis populum incensat, inclinans ante et post incensationes. Revertitur ad sacristiam.

7. *Ad IV.* Tempore *Memento* vivorum recipiet thuribulum cum navicula, genuflectit et inclinat ad chorum et se sistit ad cornu Epistolae. Imposito incenso genuflectit in plano ad dextram Caeremoniarii. Ad elevationem hostiae et calicis SS. Sacramentum tribus ductibus incensat, inclinans ante et post. Deinde genuflectit in medio et, sine inclinatione ad chorum, thuribulum refert et ad credentiam vel chorum revertitur. Accipit *pacem,* quam primo acolytho praebere potest.

[redacted]

8. Saepius per Missam vices Caeremoniarii vel acolythorum impeditorum supplere potest; ita s. Ministris vestimenta imponentibus vel deponentibus assistit; ad incensationes Missale removet; accipit velum humerale a Subdiacono, eundem comitatur pro pace danda; affert ampullas pro ablutionibus; pro communione Cleri tenet mappulam genuflectens in superiori gradu lateris Evangelii; affert velum calicis Subdiacono.

Missa finita ad nutum Caeremoniarii primus ad sacristiam revertitur.

9. Duplici modo fertur thuribulum, quorum prior dicitur ferre illud *in caeremonia,* alter *non in caeremonia.* Fertur autem *in caeremonia* manu dextra, apertum et leviter agitatum, quando incensum in eo impositum est. Fertur *non in caeremonia* manu sinistra, quando nondum ingestum est incensum a Celebrante benedicendum; altera manu fertur navicula.

ART. VI.

DE ORDINE A CLERO IN CHORO OBSERVANDO.[1]

93. Clerici e sacristia bini procedunt, utraque manu biretum infra pectus gestantes; ad januam is, qui conchae proximus est, sumit aquam benedictam porrigitque etiam socio.

2. Ante Altare bini genuflectunt, eodem praecise tempore et concinne, et se invicem mediocri reverentia salutant. Tum suum quisque locum petit, alter dextrorsum alter sinistrorsum chori ibique stant.

3. Uniformitas in stando, genuflectendo et sedendo omnino observetur. Non geneflectitur ad elevationem Missae quae forsan in alio Altari celebratur.

4. *Infra Missam solemnem* a choro sequens ordo sedendi, standi et genuflectendi observatur:

[1] "Serventur Rubricae quoad tempus standi, sedendi et genuflectendi in Choro." D. 2687. 1.

[redacted]

Ad initium Missae chorus	genuflectit.[2]
Quando Celebrans ascendit	surgit.[3]
Quando C. sedet, choro cantante *Gloria* . . .	sedet.
Quando C. surgit ad finem *Gloria* cant. . . .	surgit.
Ad Epistolam	sedet.
Ad Evangelii cantum	stat.
Quando C. sedet ad Symbolum a choro cant. . .	sedet.[4]
Quando C. surgit ad finem Symboli	surgit.
Post *Oremus*	sedet.
Quando Diaconus, incensaturus chorum, genuflectit	surgit.
Post *Sanctus*	genuflectit.
Elevatione calicis absoluta	surgit.
Post sumptionem SS. Sacramenti	sedet.
Ad *Dominus vobiscum* et Postcommuniones . .	stat.
Ad Benedictionem	genuflectit.[5]
Ad ultimum Evangelium	stat.

5. Chorus manet genibus flexis ad Orationes ante Epistolam, a *Sanctus* excl. usque ad totum *Pax Domini* et ad Postcommuniones: in Missis de Requie et in Missis ferialibus dierum jejunii (exceptis Missis solemnibus in vigiliis Nativitatis Domini, Paschatis et Pentecostes, in Coena Domini et in quatuor temporibus Pentecostes, quia hae Missae sunt festivae).

6. Clerici, qui S. Eucharistiam sumpturi sunt, genuflectunt ad *Confiteor* a Diacono faciendum.

7. Chorus praeterea genuflectit,[6] quando Diaconus cantat *Flectamus genua,* quando in Epistola vel Evangelio verba

[2] Praesules et Canonici in suis Ecclesiis stant.

[3] Si Celebrans sedet ad *Kyrie* etc. chorus sedet. Sedet capite cooperto. Sed caput quisque detegit, quando verba cantantur, quae reverentiam requirunt, quando ab aliis salutatur et antequam surgat.

[4] Quando *Et incarnatus est* cantatur, omnes, qui sedent caput profunde inclinant; qui vero stant utrumque genu flectunt. D. 1594. 2; et 15. Jun. 1895. "In nocte vero et die Nativit. D. N. J. C. ac die Annuntiationis B. M. V. [etiam translato] Episcopus cum Mitra apud suam sedem et Canonici, ac omnes alii in suis locis genuflectunt." Caer. Ep. II. 8, 53.

[5] Praesules et Canonici in sua Ecclesia stantes inclinant.

[6] Quando genuflectendum est cum aliqua mora, flectitur utroque genu; quando statim surgitur, unico genu flectitur, excepta genuflexione coram Sanctissimo exposito.

cantantur, ad quae genuflexio praescribitur, ad verba *Adjuva nos,* etc. ad versum *Veni sancte Spiritus,* quando *Et incarnatus est* in Symbolo a Celebrante recitatur.[7]

8. Chorus caput inclinat ad *Gloria Patri,* ad nomina *Jesus, Maria,* et Sancti cujus festum celebratur vel de quo fit commemoratio, ad nomen Summi Pontificis, quando in *Gloria* et *Credo* inclinatio praescribitur, ad *Sanctus,* etc.

Si quis per presbyterium progrediatur, quando talia verba cantantur, quae inclinationem vel genuflexionem requirunt, interim sistere debet cum debita reverentia.

9. Populus seu "circumstantes" in Missis solemnibus vel cantatis eundem ordinem laudabiliter observare possunt, (ut supra ad n. 4,) addita aliquando[8] ob hodiernam consuetudinem exceptione, quod potius genuflexi manent a *Sanctus* usque ad Communionem inclusive.

"Circumstantes autem in Missis privatis semper genuflectunt, etiam tempore paschali, praeterquam dum legitur Evangelium." [9]

APPENDIX.

DE OFFICIO PRESBYTERI ASSISTENTIS IN MISSA SOLEMNI.

94. Presbyter assistens in Missa solemni non permittitur nisi Neopresbyteris in Primitiis solemnibus (cf. n. 293. 2), Praelatis Episcopo inferioribus, Canonicis et Dignitatibus Ecclesiae cathedralis ex privilegio speciali vel antiquissima consuetudine.[1]

2. Presbyter assistens amictum super cotta, et super eo pluviale induit, absque stola. Procedit ad Altare ad sinistram Celebrantis [2] vel ob loci angustiam ante illum. (Quando Assistens reverentias facere aut caput tegere vel detegere

[7] D. 3399. 2.

[8] e. g. ut in D. Cincinnat. statut.

[9] Rubr. Miss. XVII. 2.

[1] D. 1. Dec. 1882, n. 3564. 1. 2; et 30 Junii, 1883, n. 3580. 1.

[redacted]

debeat etc. facile ex officio s. Ministrorum, ut supra, concluditur.)

Ad Altare ante gradus Presbyter assistens ad dextram,[2] Diaconus et Subdiaconus vero ad sinistram Celebrantis consistunt.

3. Post confessionem Assistens ascendit ad Altare, Celebranti anteriorem vestis fimbriam paullum elevans, et mox Diacono cedit locum se retrahens versus librum.

Dum incensum imponitur, faciem tantisper vertit ad Celebrantem. Incenso imposito cum Celebrante genuflectit, Missale cum legili amovet illudque sustinens stat in plano a latere Epistolae facie parumper ad Altare conversa, donec mensa Altaris in isto cornu incensata fuerit. Reposito Missali iterum stat in plano, et dum Celebrans incensatur, ipse stat a dextris Diaconi.

4. Tunc Celebranti Introitum indicat stans in secundo gradu inter Celebrantem et Diaconum stantem tunc in infimo gradu.

Respondet cum s. Ministris ad *Kyrie,* etc., recitat cum Celebrante *Gloria, Credo, Sanctus,* et *Agnus Dei.*

5. Dum recitatur *Gloria,* stat in suppedaneo ad Missale. Si fiat sessio, facta genuflexione sequitur Diaconum ad suam sedem ita positam a dextris Diaconi, ut sedens faciem tantillum habeat versus Celebrantem.[3] Infra hymnum inclinat ut alii.

6. Hymno finito revertitur ad Altare et genuflectit a dextris Diaconi in infimo gradu, ascendit et ad librum se sistit.

Ad Orationes, Epistolam, Graduale, etc. assistit ut prius ad Introitum. (Necesse non est ut pro foliis vertendis ad alterum latus Celebrantis accedat.) Diaconus remanet retro post Celebrantem.

7. Assistens defert Missale ad cornu Evangelii, transiens ante Diaconum et genuflectens in medio. Dum Celebrans legit Evangelium, assistit ab ejus sinistris; Subdiaconus autem ibidem consistit quasi medius inter Celebrantem et Assistentem paululum retro. Lecto Evangelio aptat Missale prope medium Altaris.

[2] D. 15. April, 1899, n. 4018. ad. 2.

[3] Vel ad sinistram Subdiaconi, sed in scabello separato. Ib. ad 3.

8. Sub thuris impositione stat a sinistris Subdiaconi facie aliquantulum ad Celebrantem conversa. Thure imposito descendit in planum a latere Evangelii, et simul cum Celebrante se vertit ad Diaconum Evangelium cantantem.[4]

9. Post Evangelium incensato Celebrante suppedaneum ascendit, et *Credo* (si dicendum sit) Celebranti ostendit; deinde se parum retrahens ad cornu Evangelii locum cedit Subdiacono. (Idem praestat ad *Sanctus* et *Agnus Dei* recitandum.) Postea sedet ut supra. Dum Diaconus bursam defert, non assurgit.[5] Cantato Symbolo alios praecedendo ad Altare redit et ibi a sinistris Subdiaconi facta genuflexione accedit ad librum.

10. Tunc non amplius recedit a libro usque ad *Agnus Dei;* sed post oblata incensata removet Missale se retrahendo extra cornu Evangelii, et illo cornu incensato, librum reponit. Ipse ante Subdiaconum duplici ductu a Diacono incensatur[6] paululum ad ipsum conversus.

Per totam consecrationem (a verbis *Qui pridie*) flectit utrumque genu; item genuflectit, quoties Celebrans genuflectit.

11. Dicto *Agnus Dei* et facta genuflexione cum s. Ministris (qui recedunt retro post Celebrantem), ipse accedit ad dextram Celebrantis, ubi, cum Oratio *Domine Jesu Christe* plerumque sit absoluta, genuflectit et continuo surgit ac simul cum Celebrante Altare junctis manibus osculatur et pacem accipit more solito.[7] Repetita genuflexione, in secundo gradu Diacono dat pacem; et genuflexione in infimo gradu facta Assistens comitante Caeremoniario pacem in choro distribuit ut Subdiaconus, (supra n. 88, 5); postea revertitur ad Missale.

Interim Diaconus accepta pace ab Assistente genuflectit, descendit in planum et dat pacem Subdiacono, qui ascendit ad dextram Celebrantis; Diaconus interim ad librum assistit, donec Assistens redeat.

Si non adsint clerici ad quos pax feratur, Presbyter

4 Vel potest se transferre una cum Celebrante ad cornu Epistolae, ibique stare a sinistris ipsius Celebrantis versus Diaconum, dum hic Evangelium cantat. D. 15. April. 1899, n. 4018. ad 4.

5 Ib. ad 5.

6 Ib. ad 6. 1°.

7 Ib. ad 6. 2°.

[redacted]

assistens, data pace Diacono, accedit ad Missale, Diaconus dat pacem Subdiacono, Subdiaconus Caeremoniario et thuriferario.

12. Si S. Communio sit distribuenda, Assistens se retrahit ad cornu Evangelii extra saltem supremum gradum, et ibi manet donec omnes communicati fuerint.

13. Facta digitorum ablutione transfert Missale ad cornu Epistolae ubi assistit. Post Orationes claudit librum et ibi manet facie ad Altare conversa; post *Ite Missa est* transit ad cornu Evangelii, ubi ad benedictionem genuflectit; (juxta plures genuflectit medius inter Diaconum et Subdiaconum;) et ad ultimum Evangelium assistit ut alias Subdiaconus. Si vero aliud Evangelium quam S. Joannis legendum sit, prius Missale transfert. Subdiaconus consistit ut ad primum Evangelium.

14. Evangelio finito Presbyter assistens accedit ad dextram Celebrantis, Diaconus vero ad sinistram. Descendunt et revertuntur ad sacristiam uti venerant.

ART. VII.

DE MISSA SOLEMNI DEFUNCTORUM.

95. Nulla fit incensatio ad Introitum et Evangelium, sed tantum ad Offertorium et Elevationem. Dicta Confessione Diaconus et Subdiaconus cum Celebrante ascendunt, deinde vadunt ad cornu Epistolae; ad Introitum se sistunt ut in aliis Missis solemnibus.[1]

2. Omittuntur oscula manus Celebrantis et rei porrectae,[2] sed fiunt inclinationes ad Celebrantem et ad chorum. Subdiaconus post Epistolam cant. non accedit ad Celebrantem.

3. Postquam Celebrans legit *Dies Irae,* sessio fieri potest; absque reverentia per gradus laterales descendunt ad scamnum, et revertuntur per viam longiorem. Surgunt circiter ad stropham *Inter oves.*

[1] Cfr. Schober, l. c. p. 178, adn. 2.

[2] D. 16. Nov. 1906, n. 4193. 3.

4. Diaconus, postquam dixit *Munda cor meum,* non petit benedictionem; Celebrans non osculatur librum Evangelii.

5. Subdiaconus ad Offertorium calicem affert; postea patenam non tenet, sed ad calicis oblationem transit ad sinistram Celebrantis, quem incensantem comitatur, attollens partem posteriorem casulae. Diaconus incensat Celebrantem solum et non alios. Ad *Lavabo* Subdiaconus Celebranti aquam ministrat, Diaconus linteum; tunc Diaconus in secundo gradu, Subdiaconus in plano simul pergent ad medium Altare.[3]

6. Ante Consecrationem ad *Quam oblationem* incensum per Caeremoniarium vel alium clericum (non per Subdiaconum) imponitur; Subdiaconus genuflexus in infimo vel secundo gradu lateris Epistolae ter incensat SS. Sacr. in utraque elevatione.

7. Diaconus et Subdiaconus dicunt *Agnus Dei,* stantes a latere Celebrantis, pectus non percutientes. Dein Diaconus ad sinistram Celebrantis, Subdiaconus ad dextram transit. Non datur pax.

8. Diaconus, conversus ad Altare cantat *Requiescant in pace,*[4] quod simul a Celebrante submissa voce dicitur.[5]

9. *Acolythi* initio Missae accedunt cum candelabris accensis ordine solito; (secundum alios procedunt manibus junctis sine luminaribus, quae super credentiam parata sunt). Ad medium fere *Dies Irae* cantatum candelas pro choro distribuunt, si ad hoc delegati sint. Ad Evangelium cant. stant a lateribus Subdiaconi manibus junctis sine candelabris. Remanent genuflexi ante Altare cum candelabris accensis a *Sanctus* usque ad Calicis sumptionem peractam.

10. **Chorus** genuflectit ad Orationes et Postcommuniones, a *Sanctus* usque ad *Pax Domini* inclusive.

Candelae accensae tenentur:

(*a*) Dum Evangelium cantatur;

(*b*) A *Sanctus* usque ad sumptionem calicis peractam;

(*c*) Ad Absolutionem post Missam.

11. **Oratio funebris** post Missam ante Absolutionem habetur,

[3] Cfr. Caer. Rom.-Seraph. n. 434.

[4] Si pro uno defuncto vel defuncta Missa celebretur, numerus vel genus, extra Orationes, non mutatur.

[5] D. 2572. 22.

sine superpelliceo et stola, in veste talari, si sit Sacerdos saecularis, in habitu Religionis suae, si sit Regularis. Si Episcopus praesens sit, benedictio ab ipso non petitur.

Reliqua hic non expressa perficiuntur ut in aliis Missis.

Altare vero paratur sex candelabris, absque floribus, Reliquiis aliove ornatu. Antipendium Altaris est nigrum, si vero SS. Sacram. asservatur in eodem Altari, et pallium nigri coloris adhiberi nequit et "sacri Tabernaculi saltem Conopaeum esse debet violacei coloris." [6]

ART. VIII.

DE MISSA SOLEMNI CORAM SS. SACRAMENTO EXPOSITO.[1]

96. Antipendium debet esse albi coloris. Reliquiae aut statuae vel imagines Sanctorum inter candelabra removendae sunt. Crux Altaris adest, si sit loci consuetudo.[2]

2. **Officium Celebrantis.** Ubi in conspectum Sanctissimi venerit, caput detegit. Omittit reverentias ad chorum.

In accessu ad Altare et in recessu ab ipso post Missam flectit utrumque genu in plano et mediocriter inclinat; infra Missam autem discedens aut veniens ad medium Altare, vel transiens ante SS. Sacramentum, semper unum genu flectit, sine capitis inclinatione.

3. Se convertens ad populum, ut cantet *Dominus vobiscum*, prius osculatur Altare, dein genuflectit et se vertit ad latus Evangelii; reversus iterum genuflectit. Idem facit ad *Orate fratres*, quin circulum perficiat.

4. Incensum impositurus pro Introitu, pro Evangelio et ad Offertorium formulam usitatam recitat illudque benedicit. [Ad SS. Sacramentum *solum* incensandum omittitur benedictio incensi.] Impositurus incensum ad Introitum et Offertorium non genuflectit [3] antequam se retrahat versus cornu Evangelii. Incensum pro Evangelio cant. imponit remanens in latere Evangelii. Crucem non incensat, sed SS. Sacramen-

[6] D. 3201. 10; et 1 Dec. 1882, n. 3562.

[1] Cfr. Missa privata, n. 73.

[2] Saltem duodecim cerei ardeant. Bened. XIV. Instit. 30, n. 17.

[3] D. 23. Nov. 1906, n. 4194.

tum, genuflexus in extremitate suppedanei, mediocriter inclinans ante et post. Ad Offertorium vero prius oblata thurificat Incensatur a Diacono extra suppedaneum, in gradu secundo vel in plano, facie ad populum versa. Quod ipsum facit, quum manus lavat. Descendit ita ut tergum non vertat versus SS. Sacramentum.

5. Sessio in scamno fieri potest, sed capite aperto.

Ad *Benedicat vos,* etc. loco inclinationis genuflectit, et data benedictione nec circulum perficit nec genuflexionem iterat, sed statim convertitur ad latus Evangelii; non signat Altare,[4] sed vel librum, vel tabellam, vel seipsum solum.

Ad *Verbum caro f.* genuflectit versus SS. Sacramentum.

6. **Officium Diaconi et Subdiaconi.** Observanda sunt quae de inclinationibus et genuflexionibus supra pro Celebrante no. 2 statuta sunt.

Praeterea s. Ministri genuflectunt, priusquam ascendant Altare post intonationem *Gloria, Credo* et ad *Sanctus.*

Omnes reverentias ad chorum etc. omittunt; excipe Diaconum incensantem chorum; illa enim reverentia veluti invitatio ad incensationem existimanda est.

7. Omittuntur oscula. Excipe Subdiaconum post Epistolam cantatam, et Diaconum, quando petit benedictionem ante Evangelium, et quando Celebranti tradit patenam et calicem ad Offertorium, et patenam post *Pater noster.* Ad omnes incensationes genuflectunt simul cum Celebrante.

Diaconus cantat *Ite Missa est* se convertens ad populum eodem modo ac Celebrans.

8. **Acolythi** in accessu utrumque genu flectunt, et facie versa ad Altare consistunt. Quando ampullas vel velum calicis ad Altare afferunt, antequam ascendunt, unicum genu flectunt, et postquam descendunt iterant genuflexionem. Omittunt omnes reverentias ad chorum etc.

Thuriferarius easdem regulas quas acolythi observat.

Concio si habeatur, capite aperto fiat, etsi SS. Sacramentum velo serico obductum sit.[5]

4 "Ratio hujus omissionis datur, quia praesente super Altare SS. Sacramento, quod est realitas, consultius videtur haud signare Altare, quod est symbolum." Van der Stappen, Sacra Lit. III. pag. 416.

5 D. 2769. 2.

ART. IX.

DE MISSA SOLEMNI FERIALI.

97. "In diebus jejuniorum (praeterquam in vigiliis Sanctorum,[1]) et in Dominicis et feriis Adventus et Quadragesimae ac in vigilia Pentecostes ante Missam (exceptis Dominica *Gaudete* et *Laetare,* Vigilia Nativitatis Domini, Sabbato Sancto in benedictione cerei et in Missa, ac quatuor temporibus Pentecostes), item in benedictione candelarum et processione in die Purificationis B. Mariae, et in benedictione Cinerum ac benedictione Palmarum et processione, in Cathedralibus et praecipuis Ecclesiis utuntur *Planetis plicatis* ante pectus," [2] i. e. introrsum usque ad pectus plicatis.

2. Praecipuae Ecclesiae sunt Collegiatae, Paroeciales et eae in quibus officium peragit numerosa Communitas religiosa.[3]

3. "In minoribus autem Ecclesiis alba tantum induti ministrant: Subdiaconus cum manipulo, Diaconus etiam cum stola ab humero sinistro pendente sub dextrum." [4]

4. In Missa Subdiaconus ad ultimam Orationem ante Epistolam planetam prope credentiam vel scamnum deponit, et post Epistolam assumit. Diaconus, dum Celebrans legit Evangelium, deponit planetam, induit stolam latiorem; post Communionem, delato Missali ad cornu Epistolae, assumit planetam, deposita stola latiori.

5. V. *Flectamus genua* ante Orationem cantatur a Diacono omnesque genuflectunt excepto Celebrante; Subdiaconus cantat *Levate* omnesque surgunt.

6. Ad Orationem *super populum,* ubi cecinerit Celebrans *Oremus,* Diaconus per sinistram suam[5] se vertit ad populum et cantat *Humiliate capita vestra Deo.*

1 In quibus S. Ministri utuntur dalmatica et tunicella violacea.

2 Rubr. Miss. XIX. 6.

3 Martinucci, II. 6, 7.

4 Rubr. Miss.

5 i. e. tergum versus cornu Epistolae.

[redacted]

CAPUT IX.

DE MISSA CANTATA SINE S. MINISTRIS, ET DE CANTU ECCLESIASTICO.

ART. I.

DE MISSA CANTATA.[1]

98. *Praeparanda.* Sex, vel saltem quatuor candelae ex cera super Altari accenduntur.[2]

Duo acolythi inservientes superpelliceo super talari induti, si sint clerici ordinati, possunt calicem cum omni apparatu praeparare et super corporale in Altari ponere, et pyxidem, si opus sit, post calicem; item Missale apertum super legile. In sacristia et credentia fit ut in Missa privata.

2. Celebrans cantat *Gloria* (quatuor verba), ***Dominus vobiscum,*** Collectas, (Epistola a primo acolytho clerico cantatur,) Evangelium, *Credo* (quatuor verba), *Dominus vobiscum, Oremus,* Praefationem et *Pater noster* (semper integra), ***Per omnia saecula,*** etc. cum *Pax Domini,* etc., ***Dominus vobiscum*** et Post-communiones, *Dominus vobiscum* et *Ite Missa est,* vel *Benedicamus Domino* aut *Requiescant in pace.* "Alia quae in Missa privata dicuntur clara voce, in Missa cantata a Celebrante dicuntur submissa voce," i. e. tali ut ministri respondere valeant. Benedictio tamen in fine Missae voce clara dari debet.[3]

[1] Plures Missae eadem die de eodem Officio cantari possunt. D. 12. Jul. 1901. n. 4077. 12.

[2] Cfr. no. 91, 2. Sex tantum candelae, nec plures, pro Missa cantata accendendae sunt; ita multo probabilius juxta probatissimos auctores. Soli Episcopo Dioecesano pontificaliter Missam (non de Requie) celebranti septem candelae competunt. Plures coram SS. Sacramento exposito accenduntur.

[3] Rit. Miss. XII. 7.

[redacted]

3. Absque speciali indulto Apostolico "in Missa quae cum cantu, sed sine Ministris celebratur, incensationes omnes omittendae sunt."[4]

Celebrans potest sedere ut in Missa solemni ad *Kyrie, Gloria,* etc., descendendo per gradus laterales et revertendo per viam longiorem, salutans clerum si adsit.

Kyrie dicitur vel in cornu Epistolae[5] vel in medio Altari.

4. Duo acolythi inservientes (quibus plures adjungi possunt), exequuntur quae pro ministro Missae privatae exposita sunt; quibus sequentia addunt.

Ex sacristia ante Celebrantem (sine candelabris, sed) manibus junctis ad Altare procedunt, inclinantes ad chorum si jam adsit, et ante Altare in plano genuflectunt.

5. Initio Missae ante gradus paulo post Celebrantem genua flectunt. Finita confessione paulo ante *Oremus* surgunt et dum Celebrans ascendit partem anteriorem vestis et albae sustollunt.[6] Deinde in infimo gradu genua flectunt; ita per totam Missam, praeter tempus duorum Evangeliorum, acolythi regulariter genuflectunt in gradu infimo anteriori, primus ad cornu Epistolae, secundus ad cornu Evangelii. Si unus tantum acolythus inserviat, se sistit a parte Missali opposita.

Quandocunque discedant ad credentiam, vel scamnum, prius ante medium Altare in plano simul genuflectunt; et reversi eandem genuflexionem iterant. Respondent saltem ea, quae chorus non cantat.

6. Si Celebrans ad *Kyrie* vel *Gloria* sedere velit, ad scamnum primus ab ejus dextris, alter a sinistris subsistit et planetam super posttergale scamni ponunt, et primus ei biretum cum osculis porrigit. Ibi stant fere conversi alter ad alterum.[7]

4 D. 3328. 1.—Tali indulto nonnullae dioeceses gaudent. Archidioecesi Sti. Ludovici in perpetuum concessa est facultas adhibendi thurificationem in Missis, quae ob defectum sacrorum Ministrorum in festis duplicibus 1ae et 2ae cl. absque Diacono et Subdiacono celebrantur. Synod. Dioec. Sti. Lud. IV. p. 22. —P.P. Capucinis S. R. C. tales incensationes permisit "in Missis aliqua majori solemnitate celebrari solitis." 7 Dec. 1888, 3697. 3.

5 Caer. Rom.-Seraph. n. 411.

6 Quod aliis auctoribus non placet.

7 Vel possunt sedere, at non in eodem scamno, nec in eadem linea ac Celebrans, sed super duo scabella paulo ante ipsum posita,

Primus Celebranti dat signum inclinandi vel surgendi, ut Caeremoniarius in Missa solemni. Revertuntur ad Altare a lateribus Celebrantis, inclinando ad chorum, genuflectunt, etc. ut supra post confessionem.

7. Initio ultimae Orationis primus clericus Missale de credentia sumit, et "Epistolam cantat in loco consueto," ut Subdiaconus in Missa solemni, sed "in fine non osculatur manum Celebrantis." Si vero nullus adsit clericus inserviens qui superpelliceo indutus Epistolam decantet, satius erit quod ipsa Epistola legatur sine cantu ab ipso Celebrante.[8] Secundus acolythus Missale transfert ad cornu Evangelii, genuflectens in medio, et ad locum suum reversus genuflectit. Ad Evangelium stant.

8. Ad *Oremus* ante Offertorium, facta genuflexione, vadunt ad credentiam; primus acolythus ampullas vini et aquae Celebranti cum osculis ministrat ut in Missa privata, secundus stat ad credentiam, et ad *Lavabo* aquam ministrat, dum primus ad ejus dextram manutergium porrigit, inclinantes ante et postea.

9. Ad *Sanctus* primus campanulam pulsat.[9] Ad elevationem, facta in plano genuflexione, in ora suppedanei genuflectunt, et infra elevationem casulam elevant, dum primus simul campanulam pulsat. Postea cum solita genuflexione ad loca sua redeunt.

10. Post sumptionem hostiae, si communio sit distribuenda, primus acolythus tobaleam vel linteum album affert, et ambo in plano ante medium Altare genuflectentes simul recitant *Confiteor* profunde inclinati, ad *Indulgentiam* erigunt se, et post *Amen* consurgunt, et facta simul cum Celebrante genuflexione genua submittunt in suppedaneo. Accepta Communione per secundum gradum incedentes retrahunt se hinc

ita tamen, ut terga nec Celebranti, nec SS. Sacramento vertant. Falise e. a.

[8] D. 3350.

[9] Possunt afferri funalia seu intortitia, quae post elevationem referuntur, nisi adsint communicandi vel nisi in diebus jejuniorum vel in Missis de Requie, in quibus tenentur accensa usque ad Communionem. (D. 3059. 8. VIII.) Si duo tantum adsint acolythi, ad *Memento* vivorum accendere possunt duo funalia vel cereos super candelabra in presbyterio ante Altare posita; et post Communionem extinguere.

inde ad latera Altaris et ibidem in ora suppedanei genuflexi facie sibi invicem versa, tobaleam ante communicandos ad quatuor angulos sustinet. Communione peracta in plano ante medium Altaris simul genuflectunt, et primus acolythus tobaleam in credentia deponit.

11. Communione distributa, (resp. post sumptionem hostiae) primus acolythus ad purificationem et ablutionem ministrat; deinde ante medium Altaris simul cum altero acolytho genuflectit; secundus Missale ad cornu Epistolae transfert.[10] Reversi ad loca sua genuflectunt usque ad ultimum Evangelium.

12. Finito Evangelio primus acolythus biretum affert, et facta cum Celebrante genuflexione in plano biretum ei cum osculis tradit, et revertuntur uti venerant.[11] Primus celebrantem adjuvat in deponendis vestimentis, secundus candelas extinguit et res in Missa adhibitas refert.

13. "Celebrans Missam cum cantu sine [sacris] Ministris adhibere potest ministrum [in sacris constitutum et superpelliceo indutum], qui folia vertat et calicem discooperiat ipsumque mundet, vinum et aquam infundat, eumdemque calicem infra actionem palla cooperiat et discooperiat juxta opportunitatem necnon ipsum tergat post communionem, suisque ornamentis instruat."[12]

ART. II.

DE CANTU ECCLESIASTICO.

99. Missa eo modo cantari debet quo in Missali Romano ponitur. "In virtute sanctae obedientiae praecipientes, ut Missam juxta ritum, modum ac normam, quae per Missale hoc a nobis nunc traditur, *decantent* ac legant."[1] S. R. Congregatio declaravit, in cantandis Missis "adhiberi debere

[10] Deinde acolythi a latere uterque suo cereos super candelabra pro elevatione accensos extinguunt (Martinucci). Vide notam praeced.

[11] V. n. 85, adn. 4.

[12] D. 3377. 1.

[1] S. Pius V., Bulla initio Missalis.

[redacted]

Editiones a Sacra Rituum Congregatione adprobatas, vel Exemplaria quae authentico testimonio Ordinariorum cum illis cohaerent."[2]

2. A choro cantantur Introitus, *Kyrie eleison, Gloria,* Graduale, *Alleluja,* Tractus, Sequentia, *Credo,* Offertorium, *Sanctus, Agnus Dei,* Communio, et quaecumque Celebranti sunt respondenda.[3] Si organum pulsetur, Offertorium et Communio submissa voce dici possunt, sed non omitti.[4] Quod quidem S. R. Congr. specialiter declaravit etiam pro Missis de *Requie:* "Vel non celebrandas Missas Defunctorum, vel canenda esse omnia, quae precationem suffragii respici-

[2] Die 21 Aprilis, 1873, n. 3292. Exposuerat nempe Archiep. Guadalaxaren. in Mexicana Republica, usum invaluisse in omnibus Reipublicae Dioecesibus, ut Sacerdotes in Missae celebratione, ad cantum Missalis non attendentes, quamdam cantilenam traditionalem nullibi adnotatam, ideoque ad arbitrium uniuscujusque variabilem usurparent.

S. R. C. Decretum Urbis et Orbis: "Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, *Motu Proprio* diei 22 Novembris 1903, sub forma *Instructionis de musica sacra* venerabilem Cantum Gregorianum iuxta codicum fidem ad pristinum Ecclesiarum usum feliciter restituit, simulque praecipuas praescriptiones, ad sacrorum concentuum sanctitatem et dignitatem in templis vel promovendam vel restituendam, in unum corpus collegit, cui, tamquam *Codici iuridico musicae sacrae,* ex plenitudine Apostolicae Suae Potestatis, vim legis pro universa Ecclesia habere voluit. Quare idem Sanctissimus Dominus Noster per hanc Sacrorum Rituum Congregationem mandat et praecipit, ut *Instructio* praedicta ab omnibus accipiatur Ecclesiis sanctissimeque servetur, non obstantibus privilegiis atque exemptionibus quibuscumque, etiam speciali nomine dignis, ut sunt privilegia et exemptiones ab Apostolica Sede maioribus Urbis Basilicis, praesertim vero Sacrosanctae Ecclesiae Lateranensi concessa. Revocatis pariter sive privilegiis sive commendationibus, quibus aliae quaecumque cantus liturgici recentiores formae pro rerum ac temporum circumstantiis ab Apostolica Sede et ab hac Sacra Congregatione inducebantur, eadem Sanctitas Sua benigne concedere dignata est, ut praedictae cantus liturgici recentiores formae, in iis Ecclesiis ubi iam invectae sunt, licite retineri et cantari queant, donec quamprimum fieri poterit venerabilis Cantus Gregorianus iuxta codicum fidem in eorum locum sufficiatur. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

De hisce omnibus Sanctissimus Dominus Noster PIUS Papa X. huic Sacrorum Rituum Congregationi praesens Decretum expediri iussit." Die 8 Ianuarii 1904—Vid. App. infra.

[3] D. 3365. 7.

[4] D. 2994. 2.

[redacted]

ant."[5] Iterum declaravit, "verba illa *precatio Suffragii* includere Sequentiam *Dies irae,* et Offertorium."[6]

3. In Missa in qua chorus symbolum cantare tenetur "non est alternandum cum organo, sed illud integrum per chorum cantu intelligibili proferatur."[7] Nec Sacerdos interim prosequens submissa voce dicere potest *Dominus vobiscum* et *Oremus* ante Offertorium; haec enim juxta Rubricas cantare debet.[8]

4. *Kyrie, Gloria,* Tractus, Sequentia, *Sanctus, Agnus Dei* alternatim per organum suppleri possunt; ubicumque autem organum adhibetur, initium et finis, et ea quae inclinationem et genuflexionem exigunt, semper cantanda sunt.[9] (Idem valet pro hymno *Te Deum,* et in Vesperis ad *Magnificat.* In Vesperis organum pulsari potest loco antiphonae in fine psalmorum, sed non post *Magnificat,* quae antiphona cantanda est. "Quandocumque per organum figuratur aliquid cantari, ab aliquo de choro intelligibili voce pronuntietur id quod ob sonitum organi non cantatur. . . Et laudabile esset, ut aliquis cantor conjunctim cum organo voce clara idem cantaret."[10]

5. Introitum cantores incipere non debent, antequam Celebrans ad Altare perveniat.[11] Dum SS. Sacramentum, sive sub una sive sub altera specie elevatur, cantoribus est omnino silendum, iuxta Rubricas, iisdemque Sacramentum cum ceteris adorandum. Quod si peracta ultima elevatione, quam iuxta Rubricas statim *Benedictus* subsequi debet, ad Orationem dominicam usque, aliquid modulari libeat, S. R. C. id permittit, dummodo de iis, quae ex Liturgia canenda sunt, nihil praetermittatur, Celebrans a Missa continuanda haud impediatur, et quod concinitur ad Sacramentum pertineat.[12] Ad elevationem SS. Sacramenti pulsari potest organum "graviori et dulciori sono."[13] Communio inchoari non potest nisi postquam Sacerdos SS. Sanguinem sumpserit.

6. Prohibitum est cantare lingua vulgari inter Missarum

[5] D. 2959. 2.

[6] D. 3051. 1.

[7] Caer. Ep. I. 28, 10, editio 1902; et D. 3108. 15; et 22. Mai. 1894, n. 3827. 2.

[8] De Herdt, I. 111. Cfr. C. Prov. Neo-Ebor. III. 3.

[9] Caer. Ep. I. 28, 6–9.

[10] Caerem. Ep. ibid. 6 et 8; et D. 22. Mai. 1894, n. 3827. 2.

[11] D. 2424. 7.

[12] D. 22. Mai. 1894, n. 3827. 3.

[13] Caer. Ep. I. 28, 9.

solemnia,[14] i. e. in M. cum cantu celebratis; etiam dum sacra communio distribuitur per notabile tempus.[15] "Cantica in vernaculo idiomate in functionibus et Officiis liturgicis non sunt toleranda, sed omnino prohibenda; extra functiones liturgicas servetur consuetudo."[16] Ita "toleratur usus, carmina vulgari sermone cantandi coram SS. Sacr. exposito et in ejusdem processionibus."[17]

7. Quivis cantus inhibetur, in quo verba vel minima ex parte omissa sint vel sensu distracta aut nimium repetita.[18]

100. "In omnibus Dominicis, et omnibus festis per annum occurrentibus, in quibus populi a servilibus operibus abstinere solent, potest in Ecclesia organum, et musicorum cantus adhiberi. Inter eas non connumerantur Dominicae Adventus et Quadragesimae excepta Dominica tertia Adventus . . (*Gaudete*), et quarta Quadragesimae (*Laetare*), sed in Missa tantum; item exceptis festis et feriis infra Adventum aut Quadragesimam occurrentibus, quae cum solemnitate ab Ecclesia celebrantur."[19]

"In officiis Defunctorum organa non pulsantur; in Missis autem, si musica adhibeatur, silent organa, cum silet cantus; quod etiam tempore Adventus et Quadragesimae in ferialibus diebus convenit adhiberi." [20]

Ad dubium: An in cantu Praefationis et Orationis Dominicalis, quoties Missae decantantur, organa pulsari queant, S. R. C. respondendum censuit: Obstat Caer. Episcoporum.[21]

2. "Cavendum est, ne sonus organi sit lascivus, aut impurus, et ne cum eo proferantur cantus, qui ad officium, quod agitur, non spectent, nedum profani aut ludicri; nec alia instrumenta musicalia addantur, nisi de consensu Episcopi. Idem quoque cantores et musici observent, ne vocum harmonia, quae ad pietatem augendam ordinata est, aliquid levitatis aut lasciviae

[14] D. 22. Mai. 1894, n. 3827. 1; 31. Jan. 1896, n. 3880; et 25. Jun. 1898, n. 3994. 1.

[15] D. 14. Jan. 1898, n. 3975. 5. 1.

[16] D. 3496. 1.

[17] D. 3124. 7.

[18] D. 7. Jul. 1894, n. 3830.

[19] Caer. Ep. I. 28, I. — Sed etiam in utrisque Vesperis Dom. III. Adventus et IV. Quadragesimae organa pulsanda sunt. D. 2245.

[20] Caer. Ep. I. 28, 13.

[21] 27 Jan. 1899, n. 4009.

[redacted]

prae se ferat, ac potius audientium animos a rei divinae contemplatione avocet; sed sit devota, distincta, et intelligibilis.[22] Cavendum, ut musica nihil profanum, nihil mundanum aut theatrale resonet.[23]

APPENDIX.

Epitome Instructionis Pii X. De Musica Sacra.

101. *Principia generalia.* Musica sacra liturgiae finem generalem participat, qui gloria Dei est, sanctificatio exemplumque fidelium. Ad sacrarum caeremoniarum splendorem augendum concurrit quum aptis concentibus liturgicum textum exornet.

Itaque musica sacra proprias liturgiae qualitates possideat, in primis *sanctitatem* ac *bonitatem formae,* unde alia nota suapte exoritur, *universitas.*

2. *Musicae sacrae genera.* Qualitates hae in Gregorianis concentibus inveniuntur; igitur cantus Ecclesiae Romanae proprius est, ut jure lex generalis enuntiari queat: *eo magis musicum opus Ecclesiae inserviens sacrum esse atque liturgicum, quo magis ratione sua, afflatu, sapore ad melos Gregorianum accedat; contra eo minus templo dignum esse, quo magis ab exemplo illo recedat.* Itaque vetus Gregorianus cantus restituendus est, quum omnes pro certo habeant divinam rem nihil magnificentiae amittere, licet unice cum hoc musico genere consocietur. Nominatim in populi usum restituendus [est], quo ad divinas laudes mysteriaque celebranda magis agentium partem fideles conferant.

Memoratas notas possidet quoque classica polyphonia Romanae scholae praesertim, cujus Praenestinus extitit perfector. Quare et ipsa late in sacris restituenda erit, praesertim apud cathedrales, seminaria aliaque ecclesiastica collegia.

Recentissimum musicae genus et ipsum probatur, quippe quod opera excellentiae, sapientiae, gravitatis plena exhibeat, sacris non indigna. In hoc erit collocanda cura, ne opera hodierno stylo accommodata quidquam profani afferant, neve theatralia argumenta redoleant, neu ad exemplum profani cantus effingantur.

Theatralis stylus ad divinas res minus idoneus, supremae legi s. musices opponitur. *Conventionalismus* male respondet iis, quae cantus vere liturgicus postulat.

3. *De textu liturgico.* In solemnibus sacris liturgicis prohibentur omnino cantus vulgari eloquio editi.

In sacris liturgicis non licet ordinem subvertere neque praescriptos textus ad nutum mutare neque ex integro vel in parte omittere, nisi

22 Caer. Ep. I. 28, 11–12.

23 Bened. XIV. const. *Annus* 19. Febr. 1749.

rubricae concedant aliquot versus, dum recitantur, suppleri organo. Conceditur post solemnis Missae V. *Benedictus* canticulum S. Eucharistiae et post cantatum Offertorium reliquum tempus dare canticulo super verba approbata.

Textus liturgicus canendus est nullo verbo corrupto, nullo postposito, indebitis iterationibus et syllabarum abruptionibus prorsus amotis.

4. *De forma externa s. musicae operum.* Singulae tum Missae tum Officii partes, musice quoque sensum formamque servare debent, qualem traditio ecclesiastica invexit.

a. Kyrie, Gloria, Credo, etc. in Missa unitatem praeseferant sui cuiusque textus propriam.

b. In Vesperarum sacris standum communiter normis *Caer. Ep.* cantum Gregorianum in psalmodia jubentis et musicam figuratam permittentis in *Gloria Patri* et Hymno. Licebit in solemnioribus alternis psallere Gregorianum cantum et concentus, qui *falsibordoni* nuncupantur; interdum etiam, ut psalmi ex integro musice proponantur, dummodo psalmodiae forma servetur. Psalmi symphoniaci (*di concerto*) excluduntur.

c. In hymnis forma tradita servetur. Non licet cantico e. g. *Tantum ergo* eos modos aptare, qui in stropha priore flebiles formas exhibeant (*adagio*), in altera vero festivum genus (*allegro*).

d. Antiphonae Gregorianis modis generatim proponantur. Nunquam iis erit symphonicus modus, neque canticuli amplitudo.

5. *De cantoribus.* Exceptis modis, qui sacerdotis administrorumque proprii semper ex Gregoriano cantu nullaque organi modulatione constabunt, reliquus cantus liturgicus chori est. Non tamen unius vocis melos prorsus arcetur; ea vero ne ita praevaleat ut maxima textus pars hoc ritu perficiatur.

Quum cantoribus munus liturgicum sit, consequitur mulieres ad chori partem agendam, aut ullo modo in musicum chorum admitti non posse. Si acutae voces adhiberi velint, id pueri praestabunt.

Ne quis in chorum inducatur, nisi constiterit de eius pietate atque integritate vitae.—Conveniet, cantores vestibus ecclesiasticis ac superpellicio indui; si in suggestu locum habeant, clathris abscondi.

6. *De musicis instrumentis.* Licet musicam organo moderari. Servatis servandis alia instrumenta adhiberi poterunt, nunquam vero sine speciali venia Ordinarii. Organum aliaque instrumenta cantum adjuvent, nunquam opprimant. Non licet cantui instrumentis late praeludere neque moram facere. Organi sonus qualitatum, quibus musica vere sacra pollet, particeps esto.

In templis *pianoforte*, tympanorum, crotalium, tintinnabulorum et similium usus vetatur. Severe prohibetur symphoniacorum catervis in templis psallere. Speciali ratione ex venia Ordinarii licebit admitti eorum manipulum delectum, numero circumscriptum, catum, loco congruentem, qui spiritalibus instrumentis ludant, dummodo et musicum opus et collata ad tibias vox gravem stylum redoleant, omnino similem vocis organi propriae.

In pompis extra templum ab Ordinario permitti potest symphoniacorum catervae participatio, dummodo ne quovis modo profanos psallat cantus. Optandum est, ut spirituale aliquod canticum moderentur.

7. *Liturgicae musicae amplitudo.* Minime licet, cantus sive sonus causa, sacerdotem ad altare ultra tempus immorari. V. *Sanctus* ante "elevationem" absolvendus est; quamquam sacerdos cantorum rationem habere debet. *Gloria* et *Credo* ad Gregorianae traditionis normam breviora sunto. Nonnisi pars liturgiae musica sit, humilisque ejus ancilla.

8. *Modi ad rem exequendam praecipui.* Episcopi in suis dioecesibus coetum virorum instituant musicam sacram callentium, quibus munus committant inquirendi in musica opera, quae canantur, et ut cantorum virtuti respondeant atque optime exhibeantur.

In seminariis atque ecclesiasticis collegiis cum diligentia colatur Gregorianus cantus. Inter clericos *Scholae Cantorum* institutio provehatur ad sacram polyphoniam bonamque musicam liturgicam optime exequendam.

In ordinariis praeceptionibus liturgiae, moralis, juris canonici, ea ne omittantur, quae ad principia legesque musicae sacrae accedant; ne clerici e seminariis dimittantur harum cognitionum ignari.

Apud templa praecipua *Scholae Cantorum* restituantur. Haud tamen studioso clero difficile erit scholas has in templis minoribus condere.

Superiores musicae sacrae scholae sustineantur atque evehantur; ubi non sint, ad eas constituendas opus conferatur. Maximi enim momenti est, Ecclesiam ipsam ad suorum magistrorum, organicorum et cantorum institutionem incumbere juxta vera artis sacrae praecepta.

PIUS PP. X.

22 Nov. 1903.

CAPUT X.

DE MISSA SOLEMNI PONTIFICALI AB EPISCOPO DIOECESANO CELEBRATA.

BREVIS CONSPECTUS.[1]

ART. I.

DE IIS, QUAE MISSAE PONTIFICALI PRAECEDUNT.

102. "Candelabra septem super Altari ponantur," ita ut Crux Altaris sit posita ante septimum candelabrum; in Missis vero defunctorum et in Vesperis Pontif. sex tantum adhibentur.

Ponentur omnia paramenta Pontificalia in medio Altaris ordine retrogrado, sc. primum planeta, deinde dalmatica, etc. (in Secretario seu sacello, in quo cantabitur Hora tertia; alias in Ecclesia).

2. **Paramenta super Altari posita:**[2] (10) Mitra[3] et (8) chirothecae ad latus Evang. (4) Crux pect. et (11) annulus ad latus Epist. (12) Baculus pastoralis prope Altare.

In medio Altari:

(9) Planeta.
(7) Dalmatica.
(6) Tunica.
(Pluviale.)
(5) Stola.
(3) Cingulum.
(2) Alba.
(1) Amictus.

Super Credentia:

(*a*) Duo candelabra.
(*b*) Calix paratus.
(*c*) Missale cum manipulo super legili.
(*d*) Liber Epist. et Evang.
(*e*) Ampullae vini et aquae.
(*f*) Velum Subdiac. super calice.

[1] Expositio omnino plena limites compendii excederet. Notitia ritus Missae solemnis ordinariae in hoc conspectu compendioso praesupponitur.

[2] Numeri indicant ordinem, quo Episcopus paramenta assumit.

[3] Quando duae mitrae adhibentur, "Mitra pretiosa," ponitur in latere Evangelii, "auriphrygiata" in latere Epistolae.

[redacted]

Acolythi seu ministri:
(1) Min. de libro.
(2) " candela.
(3) " baculo.
(4) " mitra.
(5) " thuribulo.
(6,7) " candelabris.
(8) " gremiali.

(*g*) Urceus cum pelvi, et linteolo.
(*h*) Gremiale.
(*i*) Caligae et sandalia.
(*k*) Bugia (candela).
(Manipuli Diaconi ministrantis et Subdiaconi in scamno ponuntur.)

3. *Presbyter assistens* "debet esse dignior ex Presbyteris," et induit "amictum super rocchetto aut cotta (superpelliceo), et super eo pluviale, tempori congruum;" *Diaconi assistentes* "dalmaticam supra rocchettum, si ejus usum habeant, sin minus, super cottam et amictum;" ex usu hujus regionis alba pro superpelliceo utuntur, at sine manipulo et stola.[4]

4. Quando *processionali* modo ad Altare progrediuntur,[5] imposito thure hic ordo servatur:

(1) Thuriferarius cum thuribulo fumigante.
(2) Crucifer inter duos ceroferarios.
(3) Clerus, incipiendo a junioribus.
(4) Subdiaconus portans Missale cum manipulo incluso.
(5) Presbyter assistens et Diaconus ministrans.
(6) Episcopus inter Diaconos assistentes.
Prope Episc. Caudatarius. Ministri de mitra et baculo.
Ministri de libro et candela.

5. *In Ecclesia* si Episcopus induatur, ad thronum paramenta sumit, medius inter Diaconum ministrantem et Subdiaconum. Prius ei caligae et sandalia a Subdiacono cum Caeremoniario secundo imponuntur; deinde Episcopus deponit cappam, lavat manus,[6] et paramentis induitur per Diaconum adjuvante Subdiacono et ministrantibus Caeremoniariis et acolythis; Presbyter assistens detrahit et imponit annulum, et porrigit naviculam incensi. S. Ministri assumunt

[4] Cerem. U. S. — Si desint Diac. ass., D. et Sd. m. supplere licet. D. 3114. 3.

[5] E. g. si Episcopus in Secretario seu Sacello indutus sit.


[6] Lotiones manuum: 1° ante Missam; 2° post v. Offertor.; 3° ad *Lavabo;* 4° post ablutiones. Presb. assist. cum osculis extrahit et postea reponit annulum, porrigit mappulam; item pro incenso porrigit naviculam; etiam transfert Missale.

manipulos. Incensum non imponitur.[7] **Ministri soli** Episcopum ad altare comitantur.


ART. II.

AB INITIO MISSAE USQUE AD OFFERTORIUM.

103. Missa ipsa hoc ordine persolvitur:
I. Ab initio usque ad Introitum excl.: ad Altare.
II. Ab Introitu usque ad Oblationem hostiae: ad thronum.
III. Ab Oblatione usque ad finem: ad Altare.
2. Positio ante gradus Altaris *infra Confessionem:*



3. Post *Indulgentiam* Subdiaconus Episcopo manipulum imponit. Ascendente Episcopo ad Altare, Presbyter assistens ad sinistram, Diaconus m. ad dextram transit. Ad Altare Subdiaconus Episcopo librum porrigit osculandum, Presbytero assistente initium Evangelii monstrante.
4. Positio *intra incensationem* Altaris:




Incensato Altari Episcopus in cornu Epistolae incensatur, deinde accipit baculum pastoralem et transit ad thronum medius inter Diaconos assistentes; Diaconus ministrans et Subdiaconus ac II Caeremoniarius ad scamnum vadunt.

[7] D. 2776. 2. —Cfr. Schober, Miss. Pont., p. 253. adn. 20.

[1] Ante gradus in plano et Presbyter assist. medius inter ipsos.

[redacted]

5. Positio *in throno* ad latus Evangelii:



Presbyter assistens librum tenet, quando Episcopus cantat, M. de libro autem quando legit.

6. Subdiaconus Epistolam cantat loco consueto conversus ad Episcopum.

Diaconus suo tempore Evangeliarium Altari imponit, deinde osculatur manum Episcopi, dicit *Munda cor meum* in infimo gradu Altaris (interea ab Episcopo incensum imponitur), petit Episcopi benedictionem, et Evangelium cantat positione consueta, ita ut Subdiaconus sinistram suam habeat versus Altare et sedem episcopalem.[2] Episcopus in fine per Presb. assist. incensatur. "Ante incensationem debet reddere baculum." [3]

Ad *Credo* Diac. m. et Subd. consistunt ad scamnum.

ART. III.

DE CONCIONE POST EVANGELIUM, ET DE INDULGENTIA PUBLICANDA.

104. "Concionator, si de Clero regulari fuerit, retinebit habitum ordinis sui, at Fratres mendicantes advertant ut dimittant mantellum; sin erit e Clero saeculari, debet uti superpelliceo.

. . Extra Urbem mos est, ut concionator si Presbyter sit, stolam induat e collo pendentem, si Diaconus, utatur ipsa posita in humero sinistro et in latere dextro firmata." [1]

[2] Merati.
[3] D. 3368. 4.

[1] Martinucci, V. 10.—Vid. n. 11, adn. 11.

[redacted]

2. Incensatione peracta Concionator genuflexus (si Canonicus, inclinatus), osculatur Episcopi dextram et dicit: *Jube Domne benedicere.* Episcopus: ***Dominus sit in corde tuo et** in labiis tuis, ut digne et fructuose annunties verba sancta sua. In nomine Patris+et Filii+et Spiritus+Sancti. Amen.* Deinde Concionator poscet Episcopum indulgentias dicens: *Indulgentias, Pater Reverendissime.* Episcopus respondebit: *consuetas* vel quinquaginta *dierum.* In pulpito Concionator reverentiam ad Altare deinceps ad Episcopum conficiet. Finito sermone geniculabit conversus ad Altare.

3. Diaconus ministrans genuflectit ante Altare, deinde ante infimum gradum throni conversus ad Episcopum stantem cum mitra,[2] cantabit *Confiteor* junctis manibus et capite inclinato, et dum dicet *tibi Pater,* et *te Pater,* profunde se inclinabit.[3] Finita confessione Episcopus sedebit, stantibus ceteris omnibus. Concionator surget et clara voce leget:

"Reverendissimus in Christo Pater et Dominus, Dominus N. *Dei, et Apostolicae Sedis gratia hujus sanctae* N. *Ecclesiae Episcopus* (vel *Archiepiscopus*) *dat, et concedit omnibus hic praesentibus quinquaginta dies de vera Indulgentia in forma Ecclesiae consueta. Rogate Deum pro felici statu Sanctissimi Domini Nostri* N. *divina Providentia Papae* N., *Dominationis suae Reverendissimae, et Sanctae Matris Ecclesiae."*[4]

Tunc Episcopus deposita mitra surget et leget versus populum:

"Precibus et meritis beatae Mariae semper Virginis, beati

[2] Vel bireto, si non paratus assistat.

[3] Cerem. U. S. pag. 323.

[4] The Right Reverend (Most Rev.) N., by the grace of God and the favor of the Apostolic See Bishop (Archbishop) of this holy Church of N. grants to all the faithful here present an indulgence of fifty days in the usual form of the Church. You will, therefore, pray to God for the welfare of our most holy Father N. (——) by divine Providence Pope, for his Lordship (his Grace) the Right Reverend Bishop (Most Rev. Archbishop), and for our holy Mother the Church." (Haec publicatio vernacula, quamvis non de praecepto, tamen est consulenda.)

Cardinales in suis Titulis ac Dioecesibus *bis centum,* Archiepisc. *centum,* atque Episcopi *quinquaginta* dierum Indulgentiarum elargiri valent, juxta novum decretum S. C. I., 28 Aug. 1903, Urb. et Orb.

[redacted]

Michaelis Archangeli, beati Joannis Baptistae, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et omnium Sanctorum, misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis peccatis vestris, perducat vos ad vitam aeternam. R. *Amen.*

Indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens, et misericors Dominus. R. *Amen.*

Deinde reassumpta mitra (Archiepiscopus vero detecto capite), et elevans oculos et manus, sinistra baculum pastoralem accipit,[5] et benedicit populo dicens:

Et benedictio Dei omnipotentis, Pa+tris, et Fi+lii, et Spiritus+sancti descendat super vos, et maneat semper. R. *Amen.*


Interim omnes genuflectunt, exceptis Praelatis, Canonicis (et Celebrante, si Episcopus assistat).

ART. IV.

AB OFFERTORIO USQUE AD FINEM.

105. *Offertorio* lecto Episcopus, depositis chirothecis, lavat manus, accedit ad Altare, ubi fit oblatio, incensatio oblatorum, Altaris etc. Diaconus incensat Episcopum,[1] Presbyterum assist., Diaconos assist., chorum, Subdiaconum.

2. Positio ad Altare post *Orate fratres:*



[5] At sine baculo, si in cappa tantum assistat.

[1] Et Episcopos assistentes si adsint.

Diaconus stat in gradu infra suppedaneum, vel ad *Sanctus*, et dum dicitur Canon (aliquantulum retro) a dextris Episcopi; Diac. assist. in secundo gradu,[2] vel in eodem ut Diac. m. vel in plano.[3] Subdiaconus nec ad *Sanctus* nec ad recitandum cum Pontifice *Agnus Dei* nec ad aquam infundendam, dum Pontifex se purificat post Communionem, altare ascendere tenetur.[4] Pileolum Episcopo exuit Caeremoniarius initio Praefationis, iterumque imponit post sumptionem Sanguinis.

3. *Pacem* ab Episcopo accipit Presb. assist. et ipse affert ad chorum Caeremoniario comitante; interim Diac. m. supplet ad librum, Subdiaconus a dextris servit. Diaconi assist. atque Diaconus m. et Subdiaconus pacem immediate ab Episcopo accipient non osculantes Altare.

Reverso Presbytero assistente Diaconus m. servit a dextris Episcopi, ministratque vinum et aquam. Subd. absterg. et repon. calicem.

4. Ad benedictionem Episcopi omnes, exceptis Canonicis genuflectunt, Presbyter assist. in suppedaneo ad cornu Epist.

Benedictione data Presbyter assist. ibidem ad populum versus *Indulgentiarum* formulam legit, nisi post concionem publicatae fuerint.

5. Finita Missa Episcopus exuit paramenta adjuvantibus Diacono et Subdiacono, qui prius deponunt manipulos. Subdiaconus adjuvante Caeremoniario detrahit caligas et sandalia.

ART. V.

DE USU MITRAE, GREMIALIS ET BACULI PASTORALIS.

106. Mitra utitur Episcopus, quandocunque accedit ad Altare vel recedit, quando legit Epistolam et Evangelium, quando sedet intra cantum chori et Subdiaconi, incensatur vel lavat manus, quando Episcopus (non Archiepiscopus) dat

[2] Cerem. U. S. etc.

[3] Cf. Martinucci, De Herdt.

[4] D. 3769. 4. 5.

benedictionem.—Plerumque mitra imponitur per Diac. assist. I. (*abbrev.* D. I.) vel Diaconum m., deponitur per Diac. assist. II. (*abbrev.* D. II.)

2. Proinde sequens ordo servandus est per Diaconos assistentes et Diaconum ministrantem:

Mitram Episcopo imponit:	*Mitram deponit:*
1° Post planetam impositam D. m.	Ante Altaris gradus D. m.
2° Antequam Ep. incensatur D. I.	Ad Introitum legendum D. II.
3° Sedenti ad *Kyrie* cant. D. I.	Surgenti post *Kyrie* D. II.
4° Post recitat. *Gloria* D. I.	Post *Gloria* a choro cant. D. II.
5° Absolutis collectis D. I.	Postquam benedixit Diacono D. II.
6° Recitato Symbolo D. I.	Absoluto Symboli cantu D. II.
7° Dicto Offertorio D. I.	Ante infimum Altaris gr. D. m.
8° Antequam E. incensatur D. I.[1]	Ad *Lavabo* ante *Gloria P.* D. I.[1]
9° Post ablutiones D. m.	Post lotionem manuum D. m.
10° Ad benedict. (*Sit nomen D.*) D. m.	Post benedictionem D. m.
11° Regressuro ab Altari D. m.	Post regressum ad thronum D. m.

NOTA.—Mitra pretiosa Episcopus utitur initio usque ad Introitum; deinde mitra auriphrygiata usque ad finem cant. Symboli; tunc lecto Offertorio mitra pretiosa usque ad finem Missae.

3. *Gremiale* imponitur per Diaconum assistentem I. super genua Episcopi sedentis infra *Kyrie, Gloria, Credo* et lotionem manuum post Offertorium; aufertur per Diaconum assist. II.

4. *Baculum pastoralem* Episcopus sinistra tenet, quandocumque accedit ad Altare vel recedit, quando Evangelium cantatur, (postquam Ep. se signavit usque ad osculum libri excl.), ad benedictionem in fine, antequam dicat *Pater,* etc.

[1] Vel Caeremoniarius deficiente Diacono assist.

ART. VI.

DE MISSA PONTIFICALI AD FALDISTORIUM SEU AB EPISCOPO EXTRANEO CELEBRATA.

107. Episcopus Dioecesanus ad faldistorium celebrat praesente Cardinali, Legato aut Metropolitano. Episcopus autem extraneus semper utitur faldistorio, nec utitur baculo pastorali, nisi Episcopus loci ei Thronum suum cederet,[1] vel usum Baculi ei permitteret.[2] Non adhibentur Diaconi assistentes, quorum officium Diaconus et Subdiaconus supplent.

2. Ante gradus anteriores Altaris in latere Epistolae ponitur faldistorium instructum veste concolore paramentis; quod si nimis in imo esset, supponitur ei tabulatum sive modicum suppedaneum, quod aequet gradum infimum Altaris et contegatur tapeto convenienti.

In latere Epistolae statuitur parvum scamnum, quo utuntur Ministri sacri.

Super medium Altaris ponuntur paramenta pontificalia (ut supra n. 102, 2), quae velo decente cooperiuntur. Septimum candelabrum non apponitur.

3. Episcopus in sacristia dicit preces praeparatorias (Ant. *Ne reminiscaris,* etc.) et accipit caligas cum sandaliis.[3] Tunc accedit ad Altare, et peracta brevi oratione in infimo gradu, sedet in faldistorio facie ad populum conversa. Induitur paramentis, ut supra n. 102, 5. Clerici inservientes, postquam paramenta tradiderint, redeunt ad locum suum apud credentiam. Incensum non imponitur.

4. Episcopus cum Ministris, salutato choro, accedit ad Altare et Missam inchoat, ut supra pro Missa pontificali

[1] D. 12. Jun. 1899, n. 4023: "An Episc. Dioec. gaudeat jure cedendi Thronum suum alteri Episcopo cum Rev. Canonicorum assistentia sibi debita?—Affirmative; dummodo Episcopus invitatus non sit ipsius Dioecesani Coadjutor, aut Auxiliaris, aut Vicarius Generalis, aut etiam Dignitas seu Canonicus in illius Ecclesiis. . . Praesules Cardinales . . decet ut suum Thronum nonnisi aliis eadem Cardinalitia Dignitate ornatis cedant."

[2] Caer. Ep. I. 11. 12.

[3] Si cappa magna sit indutus, ad faldistorium hoc fieri potest.

n. 102 notatur.[4] Incensatione peracta Episcopus inclinat ad Crucem et conversus super sinistram suam descendit ad faldistorium ibique sedet.

5. Mitra deposita Episcopus super sinistram suam se vertit ad Altare, legit Introitum, dicit *Kyrie eleison,* et (si cantus sit finitus) intonat *Gloria.* Interim Presbyter assistens stat a dextris Episcopi monstrans quae legenda sunt; Diaconus consistit a dextris, Subdiaconus a sinistris Episcopi sed paululum retro.[5] Minister de libro stat ante Episcopum (post faldistorium), et alter cum candela ad hujus sinistram.

6. Ad cantum hymni *Gloria* Episcopus conversus super sinistram suam sedet. Tres Ministri stant ante ipsum, Diaconus in medio, Presbyter assistens a dextris et Subdiaconus a sinistris Diaconi. Diaconus imponit mitram et gremiale, et facta reverentia tres sedent in scamno suo, Pr. assistens propius Episcopo, Diaconus in medio. Clerici inservientes, facta genuflexione ad Crucem, possunt sedere gradibus Altaris in latere Epistolae post faldistorium.

7. Cantu finito Episcopus stans versus populum cantat *Pax vobis* (vel *Dom. vob.*), et versus Altare Orationes. Deinde accepta mitra et gremiali sedet, et Subdiaconus, factis reverentiis cum secundo Caeremoniario, stans ante Episcopum in conveniente distantia cantat Epistolam. Deinde accepta benedictione tenet Missale ex quo Episcopus legit Epistolam et reliqua usque ad Evangelium incl. Assistunt Pr. assistens et Diaconus a dextris et sinistris.

Ad lectionem Evangelii Diaconus Evangeliarium ponit in medio Altari, ministrat incensum, genuflexus in infimo gradu (vel in media extremitate suppedanei) dicit *Munda cor meum,* etc., petit benedictionem et cantat Evangelium, et reliqua fiunt ut in Missa solemni.

8. Episcopus, postquam incensatus est, per dexteram suam convertitur ad Altare et intonat *Credo*, et reliqua fiunt, ut ad *Gloria.* Diaconus suo tempore bursam ad Altare affert.

[4] Ex Missa ista pontificali supple, quae hic non notantur.

[5] Supplent enim loco Diaconorum assistentium (Caer. Ep. I, 8, 2.). At juxta alios Diaconus et Subdiaconus ad intonationem *Gloria*, ad *Pax vobis* (vel *Dom. vob.*), et Orationes, ad inton. *Credo* stant post Episcopum, unus post alium, ut ad Altare.

Postea Episcopus, cantato *Dominus vobiscum,* super sinistram suam ad Altare conversus cantat *Oremus* et legit Offertorium. Tunc sedet; Pr. assistens legile cum Missali, canone et bugia ad Altare defert; Episcopus lavat manus, accedit ad Altare; et proceditur in Missa more solito, (ut n. 105.)

Pax datur ut supra n. 105, 3. Juxta plures pax a Celebrante datur soli Presbytero assistenti, qui illam dat choro, deinde Diacono et Diaconus Subdiacono.

9. Mitram Diaconus solus Episcopo imponit vel deponit, nisi sit impeditus; tunc Caeremoniarius supplet, qui illam imponit, antequam Episcopus incensatur ante Introitum et ad Offertorium; deponit illam ante Evangelium cant. et in fine Ps. *Lavabo.*

Missa finita Episcopus ad faldistorium paramenta deponit, caligas vero et sandalia in sacristia exuit.

[redacted]

CAPUT XI.

DE ASSISTENTIA EPISCOPI DIOECESANI[1] IN MISSA SOLEMNI, ET DE BENEDICTIONE PAPALI.

ART. I.

DE ASSISTENTIA EPISCOPI PLUVIALI PARATI.


108. Diaconi assistentes superpelliceo sunt induti; item Presbyter assistens, qui post confessionem ad thronum accedit et ibi se sistit a dextris Diaconi assistentis I.

2. Episcopus prius in genuflexorio in medio Presbyterio breviter orat; deinde ad thronum induit vestimenta super Altari posita, nempe amictum, albam, cingulum, Crucem pectoralem, stolam et pluviale.

3. Deinde Dominicis fit aspersio aquae benedictae, quae nunquam omittitur, nisi ipse Episcopus celebret. Asperso Altari Celebrans comitante Caeremoniario (s. Ministris ad Altare remanentibus) aspergillum porrigit Episcopo, qui se ipsum et adstantes aspergit, deinde Celebrans aspergit reliquos.

4. Aspersione facta Episcopus cum mitra et baculo accedit ad Altare ad dicendam Confessionem usque ad *Oremus* incl.

Positio ad confessionem ante gradus Altaris:



[1] Si Episcopus extraneus assistat, nihil mutatur, nisi quod incensatur tribus ductibus et Celebrans cum Ministris ante et post Missam ei inclinat.

[redacted]

5. Dicto per Episcopum *Indulgentiam,* etc. Celebrans retrahit se Confessionem perficiens cum Diacono et Subdiacono; Episcopus vero, stans in eodem loco, Confessionem absolvit cum Diaconibus assistentibus.[2] Deinde Episcopus cum Diaconis assist. ad thronum revertitur et Missa celebratur modo consueto, exceptis sequentibus:

Ad omnes incensationes[3] Episcopus incensum imponit, Presbytero assist.[4] naviculam praebente; incensatur Celebrans per Diaconum m.[5] duplici ductu; tunc Episcopus per Presbyterum assist. tribus ductibus; post Evangelium solus Episcopus incensatur. Episcopus loco Celebrantis benedicit Subdiaconum post Epistolam cant., Diaconum ante Evangelium, et Concionatorem; item aquam cum vino miscendam, dum Subdiaconus ad Altare in cornu Epistolae versus Episcopum ampullam elevatam tenet dicens: *Benedicite Pater Reverendissime,* Episcopus benedicit dicens: *In nomine Patris,* etc.[6] Episcopus osculatur Evangelium, dat benedictionem in fine Missae.

6. Assistentes ad thronum stant quando Episcopus stat aut sedens legit vel aliquid benedicit. Episcopus in throno recitat ex Missali (cum candela) Introitum, Epistolam (post cantum Epistolae), Graduale etc., Evangelium, Offertorium et Communionem. Recitat memoriter (1) *Kyrie eleison* et *Gloria,* (2) *Credo,* (3) *Sanctus,* (4) *Agnus Dei.*[7]

[2] D. 3213. 8.

[3] Episcopus incensatur ad Introitum, post Evangelium et ad Offertorium.

[4] Presb. ass. post confessionem ordinarie est prope Diac. ass.; antea loco conv.

[5] Ab osculis solitis, e. g. in patenam vel thuribulum porrigendo, Diaconus cessare non debet. D. 3059. 2.

[6] D. 27. Jan. 1883, n. 3569. 2.

[7] "Quater circuli fiunt . . . Canonici discedentes ab eorum sedilibus, procedunt ad medium chori, factis Altari, et Episcopo reverentiis, et se sistunt in circulum ante Episcopi faciem, . . . dicunt cum Episcopo *Kyrie eleison,* etc. et successive Hymnum Angelicum, *Gloria in excelsis Deo* etc. . . . Quo finito, producente super eos Episcopo signum Crucis . . . factaque illi et Altari reverentia redeunt ad loco sua." Caer. Ep. I. 21.

At soli Canonici Ecclesiae cathedralis, non autem Canonici Ecclesiae collegiatae, neque alii quicumque Presbyteri aut clerici circulos ante Episcopum, habere debent. (D. 406); neque fiunt ante Episcopum pluviali non indutum (De Herdt, Prax. Pontif. I. 170).

[redacted]

7. Post *Sanctus* Episcopus medius inter Diaconos assist. genuflectit in genuflexorio in medio Presbyterio, sequentibus ministris de mitra et baculo; Subdiaconus aliquantulum recedit versus latus Epistolae; gestantes intortitia consistunt a latere Altaris facie versa ad invicem. Peracta elevatione Episcopus, etc. revertuntur ad thronum.

8. *Pacem* Presbyter assistens accipit a Celebrante et defert ad Episcopum, qui dat Diaconis assist.; Presbyter assistens defert ad Subdiaconum, qui defert ad chorum; Diaconus recipit *Pacem* a Subdiacono;[8] item Caeremoniarius.

9. Benedictio ab Episcopo e throno datur;[9] interea Celebrans et s. Ministri ab ejus sinistris stant in latere Epistolae versus Episcopum; omnes (ad *Benedicat vos,* etc.) genuflectunt, exceptis Celebrante et Canonicis, qui inclinant. Deinde Celebrans publicat *Indulgentias,* nisi post sermonem publicatae fuerint.

10. Mitra imponitur per Diaconum assist. I., deponitur per Diaconum assist. II. sequenti ordine:

Mitra imponitur:	*Mitra deponitur:*
1° Post pluviale impositum.	Ante Altaris gradus.
2° Ad cant. *Kyrie.*	Post cant. *Kyrie.*
3° Post recit. *Gloria.*	Completo cantu *Gloria.*
4° Collectis absolutis.	Post benedict. Diac. ante Evang.
5° Recitato Symbolo.	Absoluto Symboli cantu.
6° Lecto Offertorio.[10]	Initio Praefationis.
7° Post Communionem Celebr., etc.	Ad *Dominus vobiscum.*
8° Responso a Choro *Deo gratias.*	Publicata Indulgentia.
9° Finito ultimo Evangelio.	Quando exuitur.

Baculo utitur sicuti in Missa Pontificali.

[8] D. 248. 11.—Martinucci, V. 13; et De Herdt, I. 202.

[9] D. 12. Sept. 1884, n. 3618. 1.

[10] Juxta De Herdt, Prax. Pontif. II. 157, detecto capite incensatur. Item accedit ad genuflexorium et recedit post elevationem cum mitra et baculo. (Martinucci, V. 13, 165, et De Herdt, II. 161.)

ART. II.

DE ASSISTENTIA EPISCOPI CAPPA MAGNA INDUTI.

109. Episcopus inchoat Missam, benedicit incensum, aquam etc., dat benedictionem in fine, capite bireto cooperto, concedit Indulgentias, et reliqua perficit ut Episcopus assistens pluviali indutus; at incensatur solummodo ad Offertorium. Celebrans vero incensatur ad Introitum, Evangelium et Offertorium duplici ductu. Presbyter assistens accipit pacem a Celebrante et defert ad Episcopum. Deficiente Presb. assistente spectat ad Diaconum Missae.[1]

2. Si Episcopus rochetto et mozetta tantum indutus sit, "nullatenus licet Episcopo sedere in Throno."[2] Non legit ex libro. Diaconus accipit pacem a Celebrante, eamque ad Episcopum defert.[3] Ad Celebrantem spectat benedicere aquam, incensum, Diaconum et Subdiaconum, et in fine populum.[4]

3. Episcopus Dominicis et aliis diebus Festis, Sacerdote absente, qui hoc officio perfungitur, Missam ultimam cantatam in sua Cathedrali solus celebrare non potest. Nec Missam cantatam pro defunctis solus celebrare potest.[5]

ART. III.

DE BENEDICTIONE PAPALI AD MISSAM PONTIFICALEM CUM INDULGENTIA PLENARIA IMPERTIENDA.[1]

110. Episcopi bis in anno, scil. in Dominica Paschatis et in alia solemnitate ad ipsorum libitum, postquam Missam Pontificalem celebrarunt, impertiri possunt benedictionem solemnem cum concessione Indulgentiae plenariae nomine Summi Pontificis. "Quam tamen facultatem petere debent

[1] D. 2089. 5.
[2] D. 11. Mar. 1882, n. 3540.
[3] D. 2089. 5.
[4] D. 3110. 21 et 22.
[5] D. 3223. 2 et 3.

[1] Ex Pontificali Rom., cf. Martinucci, et De Herdt, Prax. Pontif.

quando electi sunt ad Ecclesiam ipsorum curae commissam."[2] Curae erit Parochis fideles monere, quod ad lucrandam indulgentiam requiratur confessio et Communio, neve discedant de Ecclesia nisi post istam benedictionem, quae distinguitur a benedictione Missae solemnis.

2. Completa Missa Episcopus in throno sedebit, manipulum deponit et chirothecas resumit (Archiepiscopus retinet Pallium). Ad cancellos presbyterii per ministrum superpelliceo indutum legantur literae Apostolicae, in quibus indulgentia plenaria conceditur, tam lingua latina, quam earum versio in linguam vulgarem.

3. Postea Episcopus surgens, ceteris genuflexis mitra deposita, legit seu cantat in tono Orationis ad populum conversus:

Precibus, et meritis beatae Mariae semper Virginis, beati Michaelis Archangeli, beati Joannis Baptistae, et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et omnium Sanctorum:

Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis omnibus peccatis vestris, perducat vos Jesus Christus ad vitam aeternam. R. *Amen.*

Indulgentiam, absolutionem, et remissionem omnium peccatorum vestrorum, spatium verae, et fructuosae poenitentiae, cor semper poenitens, et emendationem vitae, perseverantiam in bonis operibus tribuat vobis omnipotens, et misericors Dominus. R. *Amen.*

Deinde reassumpta Mitra (nisi sit Archiepiscopus), et elevans oculos et manus, dicet:

Et benedictio Dei omnipotentis (acceptoque sinistra baculo) *Pa+tris, et Fi+lii, et Spiritus+Sancti descendat super vos, et maneat semper.* R. *Amen.*

In benedictionis actu sonabitur omnibus Ecclesiae campanis.

4. Deinde, Episcopo sedente, ceteris stantibus publicabitur (eodem modo ut antea Breve Apost.) latino et vernaculo idiomate concessio plenariae Indulgentiae sequenti formula:

Attentis facultatibus a Sanctissimo in Christo Patre et Domino nostro Domino N. (—) *divina providentia Papa N.* (—), *in enuntiatis Apostolicis Litteris expressis, da-*

[2] Martinucci, VI. 26.

tis Reverendissimo Domino Domino N. Dei, et Apostolicae Sedis gratia hujus sanctae N. Ecclesiae Antistiti, eadem Dominatio sua Reverendissima, Summi Pontificis nomine, dat et concedit omnibus hic praesentibus vere poenitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis Indulgentiam Plenariam in forma Ecclesiae consueta: rogate igitur Deum pro felici statu Sanctissimi Domini nostri Papae, Dominationis suae Reverendissimae, et sanctae Matris Ecclesiae.[3]

5. Si lectio literarum Apost. ex causa rationabili omittatur, ne populus diutius in Ecclesia retineatur, et sola formula *Attentis facultatibus*, etc. latino et vernaculo idiomate legatur, S. Cong. Ind.[4] declaravit, "revera sufficere ad lucrifaciendam indulgentiam, dummodo per formulam *Attentis facultatibus*, etc. fidelibus constet, ex Pontificia delegatione tantum impertitam fuisse."

[3] *By virtue of the faculties mentioned in the Letters Apostolic, just read, and given by our most Holy Father* N. (—), *by divine Providence Pope, to the Right Reverend (Most Reverend)* N.—*by the grace of God and the favor of the Apostolic See, Bishop (Archbishop) of this holy Church of* N.,—*his Lordship (Grace) in the name of the Sovereign Pontiff grants a plenary indulgence in the usual form to all here present who are truly contrite, and who have confessed their sins and received holy communion. You will, therefore, pray to God for the welfare of our most Holy Father the Pope, for his Lordship (Grace) the Right Reverend Bishop (Most Rev. Archbishop), and for our holy Mother the Church.*

[4] 30 Jun. 1840, Lemovicen.

[redacted]

CAPUT XII.

DE DEFECTIBUS IN CELEBRATIONE MISSARUM OCCURRENTIBUS.

ART. I.

DE DEFECTIBUS MATERIAE ET FORMAE.

111. Ex Rubricis de defectibus Missae, quae initio Missalis post "Ritum celebrandi Missam" proponuntur, hoc loco ea exhibentur, quae ad casus frequentiores spectant, simulque breves notae ex auctoribus probatis adjiciuntur.

Generatim, si occurrat defectus, considerandum est, an sit notabilis vel levis, an scandalum populi, an facilitas eundem emendandi, etc. Si quis igitur, in quantum temporis angustia permittat, judicium quiete formet, eligens minus malum, non peccat.

2. "Potest defectus contingere ex parte materiae consecrandae, et ex parte formae adhibendae, et ex parte ministri conficientis."

"Si panis sit confectus de aqua rosacea, vel alterius distillationis," vel de lacte, "dubium est an conficiatur Sacramentum. Si Celebrans post consecrationem advertit, hostiam esse corruptam," ita ut sit materia invalida aut dubia; "etiam post illius hostiae sumptionem, posita alia, faciat oblationem, saltem mente concepta, et a consecratione incipiat, scilicet ab illis verbis: *Qui pridie quam pateretur,* et illam priorem si non sumpsit, sumat post sumptionem Corporis et Sanguinis, vel alii sumendam tradat, vel alicubi reverenter conservet," donec corrumpatur, et in sacrarium projiciatur.

"Quod si hoc contingat post sumptionem Sanguinis, apponi debet rursus novus panis et vinum cum aqua; et facta prius oblatione, ut supra, Sacerdos consecret, incipiendo ab illis verbis: *Qui pridie,* ac statim," omittendo elevationem, etc.,

[redacted]

"sumat utrumque, et prosequatur Missam;" scilicet in hunc finem utramque speciem iterum consecravit, "ne Sacramentum remaneat imperfectum, et ut debitus servetur ordo," nempe ut prius consecretur hostia, deinde calix, in quo representatur effusio Sanguinis. Similiter altera consecretur, "si hostia consecrata dispareat."

3. "Si Celebrans post verba consecrationis advertat vinum non fuisse positum, sed aquam" vel alium liquorem: "deposita aqua" vel illo liquore "in aliquod vas, iterum vinum cum aqua," scil. paucis guttulis, "ponat in calice," offerat mentaliter "et consecret, resumendo a verbis: *Simili modo,* etc.," usque ad verba *Unde et memores* exclusive; et Missam prosequitur ab eo loco ubi desiit, omittens omnia verba et signa jam antea facta.

"Si hoc advertat post sumptionem Corporis vel hujusmodi aquae: apponat aliam hostiam iterum consecrandam, et vinum cum aqua in calice, offerat utrumque, et consecret et sumat quamvis non sit jejunus." Hostiam quoque consecrat, ut servetur ordo debitus,[1] qui postulat ut Christus praesens sit simul sub speciebus panis et vini, et panis consecrationem immediate sequatur vini consecratio; at non essentialiter hoc postulatur; quare, "si Missa celebretur in loco publico, ubi plures adsint, ad evitandum scandalum poterit" solummodo "apponere vinum cum aqua, et facta oblatione ut supra, consecrare, ac statim sumere, et prosequi caetera."

"Si materia quae esset apponenda non posset ullo modo haberi," vel dubia tantum; "si id sit ante consecrationem Corporis, ulterius procedi non debet: si post consecrationem Corporis, aut etiam vini, deprehenditur defectus alterius speciei, altera jam consecrata: tunc si nullo modo haberi possit, procedendum erit, et Missa absolvenda, ita tamen, ut praetermittantur verba et signa, quae pertinent ad speciem deficientem. Quod si exspectando aliquamdiu haberi possit," scil. per tale intervallum ut pars subsequens cum priori unam moraliter actionem efficere possit, puta per unam vel duas horas, "exspectandum erit, ne sacrificium remaneat imperfectum."

[1] Cf. Bened. XIV. De Sacr. M. II. 121.

[redacted]

4. *De defectibus formae.* "Si Celebrans non recordetur se dixisse ea, quae in consecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari." Proinde, si e. g. hostiam elevaverit, regulariter de ejus consecratione rite facta certus esse potest. "Si tamen certo ei constet, se omisisse aliquid eorum, quae sunt de necessitate Sacramenti, id est formam consecrationis seu partem:" (nempe in praxi *Qui pridie,* etc. et *Simili modo . . . in remissionem peccatorum,*) "resumat ipsam formam, et caetera prosequatur per ordinem. Si vero valde probabiliter," i. e. non inani seu negativo sed prudenti dubio "dubitet se aliquid essentiale omisisse; iteret formam saltem sub tacita conditione. Si autem non sunt de necessitate Sacramenti, non resumat, sed procedat ulterius."

ART. II.

DE DEFECTIBUS MINISTRI.

112. "Sacerdos intentionem semper habere deberet, consecrandi omnes hostias, quas ante se" in corporali, etsi latentes vel in ciborio tecto "ad consecrandum positas habet." Quod si hostiae omnino inscio Sacerdote etiamsi in corporali sint positae nec ullam ipsas consecrandi intentionem habuerit, non censentur consecratae, nec potest post consecrationem hostiae majoris formam super illas repetere, quia sic bis celebraret; sed debent consecrari (sub conditione) in alia Missa, vel sumi post sumptionem Sanguinis.

2. Si Sacerdos ipse hostias consecrandas in Altari posuerit vel ponendas curaverit, vel allatas viderit ipsasque consecrare voluerit, sunt consecratae, quamvis in actu consecrationis ad illas non attenderit et ciborium remanserit clausum; intentio enim virtualis remanet. At si dubitet de ulla intentione antea habita, vel si ciborium extra corporale remanserit, vel aliquae hostiae ex cumulo extra corporale ceciderint, censendae sunt ut dubie consecratae; quare post sumptionem Sanguinis ante ablutionem sumendae sunt; quod si ob quantitatem fieri nequeat, in alia Missa sub conditione consecrandae sunt.

3. "Si deprehendat post sumptionem Corporis et Sanguinis, aut etiam post ablutionem, reliquias aliquas," non vero

[redacted]

integras hostias, "relictas consecratas, eas sumat, sive parvae sint sive magnae, quia ad idem Sacrificium spectant;" imo potest eas sumere quamdiu sacris vestibus est indutus, etiam postquam ab Altari discessit;[1] at exutus sacris vestibus illas sumere non potest, excepto casu quo illas decenter asservare non posset.

4. "Si vero relicta sit hostia integra consecrata, eam in tabernaculo cum aliis reponat; si hoc fieri nequit, sequenti Sacerdoti ibi celebraturo sumendam relinquat: vel si neutrum horum fieri possit, in ipso calice vel patena decenter conservet: quod si non habeat quomodo honeste conservetur, potest eam ipsemet sumere."

ART. III.

DE DEFECTIBUS IN MINISTERIO IPSO OCCURRENTIBUS.

113. "Si Sacerdote celebrante violetur Ecclesia," e. g. homicidio, gravi vulneratione notoria, non vero occulta, "ante Canonem dimittitur Missa," si absque gravi incommodo fieri possit,[1] vel si statim reconciliari nequeat: "si post Canonem, non dimittatur. Si timeatur incursus hostium, vel alluvionis, vel ruina loci ubi celebratur, ante consecrationem dimittatur Missa," sed periculo mox cessante compleri potest; "post consecrationem vero Sacerdos accelerare poterit sumptionem Sacramenti, omissis omnibus aliis," vel etiam, si alias fieri nequeat, sacras species secum ferre et sumere in loco tutiori.

2. "Si Sacerdos ante consecrationem graviter infirmetur, vel in syncopen inciderit, aut moriatur, praetermittitur Missa," quin alius suppleat: "si post consecrationem Corporis tantum, ante consecrationem Sanguinis, vel utroque consecrato" ante sumptionem Sanguinis "id accidit, Missa per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco, ubi ille desiit, et in casu necessitatis etiam per non jejunum. Si autem non obierit, sed fuerit infirmus, adeo tamen ut possit communi-

[1] Bened. XIV. De Sacr. M. II. 148.

[1] S. Alphons.

[redacted]

care, et non adsit alia hostia consecrata, Sacerdos, qui Missam supplet, dividat hostiam, et unam praebeat infirmo, aliam ipse sumat;" scilicet praebeat infirmo tanquam Viaticum, qui extra mortis periculum non teneretur participare.

3. "Si post consecrationem ceciderit musca aut aliquid ejusmodi in calicem, et fiat nausea Sacerdoti, extrahat eam et lavet cum vino" ponens illud e. g. in vas lotionis digitorum prope tabernaculum; "finita Missa comburat, et combustio ac lotio hujusmodi in sacrarium projiciatur. Si autem non fuerit ei nausea, nec ullum periculum timeat, sumat cum Sanguine."

4. "Si aliquid venenosum ceciderit in calicem, vel quod provocaret vomitum vinum consecratum reponendum est in alio calice, et aliud vinum cum aqua apponendum," mentaliter offerendum, et "denuo consecrandum: et finita Missa Sanguis repositus in panno lineo," e. g. corporalibus vel purificatoriis mundis quamvis detritis, "vel stuppa tamdiu servetur" in tabernaculo, "donec species vini fuerint desiccatae, et tunc stuppa comburatur, et combustio in sacrarium projiciatur."

5. "Si aliquod venenatum contigerit hostiam consecratam, tunc alteram consecret, et sumat eo modo quo dictum est, et illa servetur in tabernaculo loco separato, donec species corrumpantur, et corruptae deinde mittantur in sacrarium." Idem servandum est, quandocunque ex alia causa sumptio hostiae impossibilis vel periculosa reddatur.

6. "Si sumendo Sanguinem, particula remanserit in calice, digito ad labium calicis eam adducat, et sumat ante purificationem, vel" melius "infundat vinum et sumat."

"Si hostia consecrata dilabatur in calicem, propterea nihil est reiterandum, sed Sacerdos Missam prosequatur, faciendo caeremonias et signa consueta cum residua parte hostiae, quae non est madefacta Sanguine, si commode potest. Si vero tota fuerit madefacta, non extrahat eam, sed omnia dicat, omittendo signa, et sumat pariter Corpus et Sanguinem, signans se cum calice dicens: *Corpus et Sanguis Domini nostri,* etc."

7. "Si in hieme Sanguis congeletur in calice, involvatur calix pannis calefactis: si id non proficeret, ponatur in ferventi aqua prope Altare, dummodo in calicem non intret, donec liquefiat;" ignis seu carbones accensi in vase etiam

apponi possunt; si praedicta non sint ad manum, potest liquefieri calore manuum aut halitus.[2] Congelatio vini etiam in frigidis regionibus plerumque praecaveri potest, si ampullae vini et aquae usque ad Offertorium retineantur in aqua calida intra vas tam angustum, ut ampullae decidere nequeant.

114. "Si aliquid de Sanguine Christi ceciderit, siquidem super terram, seu super tabulam" non consecratam nec tapeto tectam, quando est stilla, quae sorberi potest, nec ob nauseam impossibile sit, quam primum "lingua lambatur et locus ipse radatur quantum satis est, et abrasio comburatur: cinis vero" et ablutio instrumenti quo abrasio facta est, "in sacrarium recondatur. Si vero super lapidem Altaris ceciderit, sorbeat Sacerdos stillam, et locus bene abluatur, et ablutio in sacrarium projiciatur." Similiter, si super patenam vel pedem calicis ceciderit, sorbeatur et abluatur. "Si super linteum Altaris, et ad aliud linteum stilla pervenerit: si usque ad tertium: linteamina ter abluantur ubi stilla ceciderit, calice supposito" seu immittendo partem istam mappae in calicem et desuper infundendo aquam, "et aqua ablutionis in sacrarium projiciatur. Quod si in ipso solum corporali, aut si in vestibus ipsis Sacerdotalibus ceciderit, debet similiter ablui et ablutio in sacrarium projici. Si in substrato pedibus panno vel tapeto, bene abluatur, ut supra." Ablutio fiat publice, si effusio fuerit publica.

2. "At si contingat totum Sanguinem post consecrationem effundi, si quidem aliquid vel parum remansit," sufficiens ut per modum bibitionis sumi et vere deglutiri possit, "illud sumatur et de effuso reliquo Sanguine fiat, ut dictum est. Si vero nihil omnino remansit," quod per modum bibitionis vel sine nausea sumere possit, "ponat iterum vinum et aquam, et consecret ab eo loco: *Simili modo,* etc. facta tamen prius calicis oblatione."

3. "Si Sacerdos evomat Eucharistiam, si species integrae appareant, reverenter sumatur, nisi nausea fiat: tunc enim species consecratae caute separentur, et in aliquo loco sacro reponantur, donec corrumpantur," infundendo, si velit, aquam vel vinum ad accelerandam dissolutionem speciei.

[2] Gavant.

"Quod si species non appareant, comburatur vomitus," linteo vel stuppa involutus, "et cineres in sacrarium mittantur."

4. "Si hostia consecrata, vel aliqua ejus particula dilabatur in terram, reverenter accipiatur, et locus ubi cecidit, mundetur," e. g. purificatorio madefacto, "et aliquantulum abradatur, et pulvis seu abrasio hujusmodi in sacrarium immittatur. Si ceciderit extra corporale in mappam, seu alio quovis modo in aliquod linteum, mappa vel linteum hujusmodi diligenter lavetur," immittendo illud in calicem cum aqua, "et lotio ipsa in sacrarium effundatur."

5. Si infra distributionem S. Communionis s. hostia ceciderit, locus notetur, e. g. fundendo paululum aquae in istam mappae partem, et huic aliud linteum imponatur vel acu affigatur, donec postea lavetur aut abradatur ut supra.

Si hostia inveniatur, de qua ignoretur an sit consecrata, caute servetur, donec post sumptionem Sanguinis sumatur; quod si ob nauseam fieri nequeat, conservanda est, donec species corrumpatur, et in sacrarium projiciatur.

CAPUT XIII.

LITURGIAE SACRAE EXPOSITIO HISTORICA.

ART. I.

ANIMADVERSIONES GENERALES.

115. Liturgia (λεῖτον ἔργον, publicum opus seu ministerium) stricto et consueto sensu significat sacrificium incruentum novae Legis; dein ordinem in celebratione hujus sacrificii Missae observandum. Hebr. 8, 2, Christus Pontifex appellatur *sanctorum minister*, τῶν ἁγίων λειτουργός.

2. Hoc sacrificium Christus instituit in ultima Coena paschali. Ille ipse, qui "non venit solvere legem sed adimplere,"[1] istam Coenam paschalem cum duodecim Apostolis certo secundum *ritum legalem* comedit, cum psalmis, lectionibus, benedictionibus caeremoniisque a lege et traditione legitima praescriptis.

3. Apostoli vero edocti a Domino, post resurrectionem ejus, accepto Spiritu Sancto Hierosolymis adhuc congregati, SS. Sacrificium offerebant secundum exemplar quod a Magistro in ultima Coena acceperant, stabilientes certum ordinem communem pro celebratione SS. Sacrificii: i. e. formabant S. Liturgiam. Ita factum est, ut euntes in diversas mundi partes non solum eandem doctrinam traderent, sed eundem cultum divinum, eandem Liturgiam instituerent.

4. Haec Apostolorum Liturgia tribus prioribus saeculis in omnibus fere partibus immutata remanebat et uniformem fere Sacrificii ritum per totum orbem exhibebat. Quae Liturgia essentialiter conservata est in libr. II. et VIII.

[1] Matt. 5, 17.

Constitutionum Apostolicarum[2] et communiter nominatur *Liturgia Clementina.*[3]

5. Decursu vero temporis, praesertim saeculo quarto, ista Liturgia in partibus minus principalibus abbreviata, uti S. Proclus testatur, vel immutata est ob fervorem fidelium deminutum (plurium enim horarum spatium Liturgia illa consumebat), ob disciplinam Catechumenorum et poenitentialem publicam abrogatam, ob haereses ortas expressius rejiciendas, ob nova festa celebranda. Ita *diversae* Liturgiae magis efformatae sunt, tam in Occidente quam in Oriente.

6. Quae Liturgiae in quinque classes dividi possunt:

I. Liturgia Romana, cui similis est Liturgia Ambrosiana seu Mediolana.

II. Liturgia gallicana, i. e. vetusta ista Liturgia probabiliter ex Asia minori invecta et eadem fere ac Liturgia mozarabica quae in Hispania usque ad S. Gregorium VII. vigebat.

III. Liturgia S. Marci seu Alexandrina.

[2] Constitutiones Apost. verisimiliter compositae sunt in Asia minore, libri sex priores saeculo tertio, liber septimus et octavus in Syria, saeculi quarti priori parte. Syriace extant sex libri priores, editi per Paulum de Lagarde.

[3] Quae omnia multis argumentis recenter probata sunt, praesertim ex eo quod S. Patres et reliqui scriptores priorum temporum, citantes Liturgiam, talem uniformitatem exhibent, quae unitatem Liturgiae per totam Ecclesiam necessario supponit constanterque cum Liturgia Clementina in Const. Apost. mire concordat. Ad hanc probationem adducuntur e. g. S. Clemens Rom., S. Ignatius M. Antioch., S. Polycarpus, M.; porro auctor Epistolae ad Diognetem; S. *Justinus, M.*, (qui expresse testatur, Christum post resurrectionem Liturgiam ordinasse), Athenagoras, Theophilus Ep. Antioch., S. Irenaeus, Clemens Alex., Origenes, Tertullianus, Hippolytus, Novatianus, S. Cyprianus. Cf. Dr. F. Probst, Liturgia trium priorum saeculorum (Liturgie der drei ersten christlichen Jahrhunderte, 1870); Dr. G. Bickell, Missa et Pascha (Messe und Pascha 1872); idem in Gazetta theologica oenip. (Zeitschrift für katholische Theologie von Dr. I. Wieser, S. J., und Dr. F. Stentrup, S. J., 1880). Qui cl. Bickell (a S. Pontifice Leone XIII. magnopere laudatus), mira eruditione varias Liturgias etiam orientales in linguis originalibus confert, ritum paschalem Judaeorum ex ipsorum libris (e. g. Mischna), imo ex vetustissimis manuscriptis eruit.—Münster Pastoralbl. 1882.

IV. Liturgia chaldaica vel Syriae orientalis, postea a Nestorianis usitata.

V. Liturgia S. Jacobi seu Hierosolymitana, ex qua formatae sunt Liturgiae S. Basilii et S. Chrysostomi nunc apud Graecos solae usitatae, necnon Liturgia Jacobitarum, Maronitarum et Armeniorum.

Nexus igitur S. Liturgiae cum institutione SS. Eucharistiae in ultima Coena magis exponendus est.

ART. II.

DE COENAE DOMINI ET S. LITURGIAE RELATIONE.

116. Christus summus Sacerdos in ultima Coena conjungens typo impletionem, figurae veritatem, instituit incruentum Sacrificium pridie quam ipse cruentum Sacrificium se obtulit. "Venit autem dies Azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha. Et misit Petrum et Joannem, dicens: Euntes parate nobis Pascha ut manducemus . . et paraverunt Pascha." (Luc. 22.) "Vespere autem facto venit cum duodecim . . Et *manducantibus illis*, accepit Jesus panem, et benedicens fregit, etc." (Marc. 14.) "*Coenantibus* autem eis accepit Jesus panem, et benedixit ac fregit deditque discipulis suis, et ait: Accipite et comedite: hoc est corpus meum" (Mat. 26, 26). S. Lucas autem scribit 22, 19: "Et accepto pane gratias egit, etc. Similiter et calicem, *postquam coenavit.*"

2. Proinde *post* coenam ipsam sensu strictiori, at convivio nondum soluto ("coenantibus, manducantibus illis"), Christus instituit sacrificium et sacramentum Eucharisticum.

3. *Ritus legalis* Coenae paschalis partim ex lege Moysis, partim ex traditione, hic erat:

I. Ante Coenam, lotione manuum facta, calix miscebatur (ex tribus vini partibus et una aquae parte); pater familias benedictionem vini et gratiarum actionem pro sacris temporibus praesertim Paschatis dicebat (*Kiddusch*), et de calice bibebant.

[redacted]

II. Agnum paschalem et "carnes assas igni et azymos cum lactucis agrestibus,"[1] etc. apposuerunt, et pater familias, iterum lotis manibus, benedixit cibos et comederunt paululum de lactucis.

Tunc vero, priusquam ipsa Coena inciperetur, pater familias dixit *Haggada,* nempe narrando magnalia Dei in redimendis filiis Israel e captivitate[2] et explicando significationem mysticam Coenae et ciborum.

Deinde cantabant Ps. 112 et 113, usque ad versum 9 (Hebr. Ps. 113 et 114.). Et calix benedicebatur, bibebantque ex eo.

III. *Ipsa Coena.* Pater familias, lotis iterum manibus, fregit panem dixitque benedictiones. Tunc de agno paschali, reliquis carnibus, etc. ad arbitrium comedebant; ultima vero buccella de agno comedenda erat. Manibus lotis calix vini et aquae miscebatur, gratias agebant cum variis petitionibus; calix benedicebatur et tertio ex eo bibebant.

IV. *Conclusio Coenae seu illa pars, in qua Christus SS. Eucharistiam instituit, quaeque exemplar fuit pro "Missa fidelium."*

Vinum mixtum cum aqua in calicem infundebatur, et cantabatur *Hallel=Alleluja,* i. e. Psalmus 113, 9 etc. usque ad Psalmum 117. (Hebr. 115-118), qui Psalmi inscribuntur *Alleluja,* et recitabantur a patre familias (hîc a Christo Domino), dum reliqui (Apostoli Domini) post versum quemque dimidium respondent *Alleluja.*

117. In ista nocte igitur *Christus* Dominus cum *Apostolis* suis ita oravit Ps. 113. 9:

Chr. (v. 9) Non nobis, Domine, non nobis, *Apost.* *R.* Alleluja.
" Sed nomini tuo da gloriam. " *R.* Alleluja.
" (v.10) Super misericordia tua, et veritate tua " *R.* Alleluja.
" Nequando dicant gentes: Ubi est Deus eorum " *R.* Alleluja.
Etc. etc.

Qui Psalmus exemplar fuit pro petitionibus quae per modum Litaniarum in Liturgia Apost. initio Missae fidelium (ante oblationem) continentur. Diaconus enim, dimissis

[1] Exod. 12, 8. [2] Exod. 12, 26 et Deut. 6, 20,

Catechumenis, Energumenis et poenitentibus, dicebat: "Flectamus genua, quotquot sumus fideles" et recitabat petitiones pro tota Ecclesia et singulis statibus, pro Episcopis, Presbyteris, Diaconis, etc. Populus vero flexis genibus respondebat post singulas petitiones seu admonitiones more Litaniarum: *Kyrie eleison.* Tunc fideles jussi ut "*levarent,*" stabant capitibus inclinatis (inde adhuc: ***humiliate capita*** *vestra Deo*); et Celebrans super illos manibus expansis orationem recitabat.

Quae Litaniae in Graecorum Liturgia adhuc continentur, nempe *Ectenia* post Evangelium; et similis Litania, *Irenica,* (postea addita,) quae ante Lectiones recitatur.[3] In Liturgia vero Romana postea solum *Kyrie eleison* et Oratio Celebrantis, nempe *Collecta,* retenta sunt, sed nunc Lectionibus praemissa.

2. Finito Psalmo 113. Christus accepit panem (at nondum fregit), eumque in mensa deposuit. Deinde "accepto calice gratias egit, et dixit: accipite et dividite inter vos,"[4] i. e. instruens Apostolos, ut postea omnes ex eodem hoc calice biberent, (alias enim ad coenam paschalem singuli e singulis calicibus bibebant); addens, se ipsum nolle ex hoc calice bibere: "non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat."

3. Deinde juxta ritum paschalem dicendus erat Psalmus 114. et Ps. 115. (Hebr. unus Ps. 116.).

Chr.	(1) Dilexi, quoniam exaudiet Dominus	*Apost.*	*R.* Alleluja.
"	Vocem orationis meae (etc.).	"	*R.* Alleluja.
"	Quid retribuam Domino	"	*R.* Alleluja.
"	Pro omnibus quae retribuit mihi?	"	*R.* Alleluja.
"	Calicem salutaris accipiam (etc.).	"	*R.* Alleluja.

Qui Psalmus fuit exemplar pro *oblationis oratione* (*Secreta*), quae in Liturgiis Orientalibus est eadem per annum.

118. Tunc in ritu Coenae paschalis recitandi erant Psalmi 116. et 117., qui verbis, jubilantibus et sublimibus invitant ad laudem Dei et gratias agendas; qui Psalmi sunt forma *Praefationis.*

[3] Cf. n. 123.   [4] Luc. 22, 17.

[redacted]

2. Recitavit igitur

Chr. Laudate Dominum omnes gentes (etc.).
Apost. R. Alleluja.
Chr. Confitemini Domino, quoniam bonus:
Apost. Quoniam in saeculum misericordia ejus.
Chr. Dicat nunc Israel: quoniam bonus.
Apost. Quoniam in saeculum misericordia ejus (etc.).
Chr. De tribulatione invocavi Dominum,
Apost. Alleluja.
Chr. Et exaudivit me in latitudine Dominus.
Apost. Alleluja (etc.).
Chr. O Domine, salvum me fac [Hosanna].
Apost. O Domine, salvum me fac [Hosanna].
Chr. O Domine, bene prospera.
Apost. O Domine, bene prospera.
Chr. Benedictus, qui venit
Apost. In nomine Domini.
Chr. Benediximus vobis
Apost. De domo Domini.
Chr. Deus Dominus, et illuxit nobis.
Apost. Alleluja.
Chr. Constituite diem solemnem in condensis usque ad cornu altaris.
Apost. Alleluja.

3. Hi igitur Psalmi 116. et 117. fuerunt exemplar pro *Praefatione* S. Liturgiae; praesertim initium et conclusio Psalmi pro initio et conclusione Praefatione cum *Hosanna* et *Benedictus.* Concordat modus recitandi per responsoria e. g. *Sursum corda,* etc., *Gratias agamus Domino Deo nostro,* etc. Hosanna et Benedictus per populum, Praefatio vero ipsa per solum Celebrantem recitabatur, submissa voce in Oriente, cantando in Occidente. In Liturgia Apost. immediate sequebatur *Deus Dominus, et illuxit nobis* (ex v. 27, supra).

119. Deinde in ritu Coenae paschalis recitandum erat *"Magnum Hallel,"* i. e. Psalmus 135., *Confitemini Domino, quoniam bonus,* cum constanti Responsorio *Quoniam in aeternum misericordia ejus,* cujus loco etiam similis Psalmus 134., *Laudate nomen Domini, laudate servi Dominum,* pro magno Hallel adhiberi poterat. Hoc "Magnum Hallel" est sublimis ista laudis et gratiarum actionis Oratio, qua ex-

[redacted]

altatur Deus propter suas perfectiones in se, propter creationem, propter liberationem Israelitarum ex captivitate et introductionem populi sui in terram promissam atque propter redemptionem ab inimicis. Ita igitur Dominus oravit:

2. *Chr.* Confitemini Domino, quoniam bonus:
Apost. Quoniam in aeternum misericordia ejus.
Chr. Confitemini Deo deorum.
Apost. Quoniam in aeternum misericordia ejus (etc.).
Chr. (v. 5) Qui fecit coelos in intellectu.
Apost. Quoniam in aeternum misericordia ejus. (etc.)
Chr. (v. 10) Qui percussit Aegyptum cum primogenitis eorum.
Apost. Quoniam in aeternum misericordia ejus. (etc.)
Chr. (v. 21) Et dedit terram eorum haereditatem.
Apost. Quoniam in aeternum misericordia ejus (etc.).
Chr. (v. 24) Et redemit nos ab inimicis nostris.
Apost. Quoniam in aeternum misericordia ejus.

3. Qui Psalmus continens quasi *regulam fidei* populi Israelitici fuit exemplar pro sublimi ista Oratione gratiarum actionis seu *eucharistica* in antiqua Liturgia, seu **CANONE**, qua Oratione eodem fere ordine, immo aliquando iisdem verbis ut in Psalmo Deus exaltatur in se, in creatione et operibus suis pro populo. Ubi in Psalmo (v. 24) praedicatur redemptio, in Liturgia recensetur opus redemptionis Christi, vitae, passionis; tunc enarrando institutionem SS. Eucharistiae sequitur ipsa *Consecratio.* Unde jure concluditur, Christum post versum 24 hujus Psalmi super panem et vinum sacra illa verba consecrationis pronuntiasse, postea recitasse reliquos Psalmi versus: "*Qui dat escam omni carni, quoniam in aeternum misericordia ejus.*" etc.

4. Haec igitur tota gratiarum actionis seu eucharistica Oratio est principalis Liturgiae pars, unde Sacrificium ipsum nomen *Eucharistiae* jam Apostolorum tempore sortitum est.[1]

5. Quia haec grandis Oratio juxta exemplar Psalmi 135. exhibet summarium revelationis, nominata est *Canon,* seu "regula fidei," vel "regula veritatis," alio nomine "praedicatio Apostolorum."

[1]Cf. S. Justinus M. Apol. 1; Origines c. Cels. l. 8

120. Recitato igitur *magno Hallel* usque ad 25 versum, Christus accepit panem in manus suas ipsumque consecravit, dicens: *Hoc est corpus meum.* Deinde, antequam corpus suum daret discipulis, accepit similiter et calicem dicens: *Hic est calix sanguinis mei,* etc. Evangelistae enim et S. Paulus, uti aliis locis, enarrando juxta ordinem rerum potius quam temporis, prius exponunt omnia quae ad consecrationem panis, deinde quae ad consecrationem calicis pertinent. Ita S. Marcus[1] narrans actiones ante verba ait: "Et accepto calice, gratias agens dedit eis; et biberunt ex illo omnes. Et ait illis: Hic est sanguis meus novi testamenti," etc.[2]

2. Post consecrationem Dominus ait: "Hoc facite in meam commemorationem," atque in Liturgia Apost. etiam additur 1 Cor. 11, 26: "Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem *meam* annuntiabitis, donec veniam." Ex hoc mandato Domini in omni Liturgia continetur ista commemoratio Passionis Domini quae *Anamnesis* appellatur (*Unde et memores*).

3. Deinde in ritu Coenae paschalis prosequens Christus cum Apostolis suis recitavit:

Chr. (v. 25) Qui dat escam omni carni.
Apost. Quoniam in aeternum misericordia ejus.
Chr. Confitemini Deo coeli.
Apost. Quoniam in aeternum misericordia ejus.
Chr. Confitemini Domino dominorum.
Apost. Quoniam in aeternum misericordia ejus.

Hisce conformis in omnibus Liturgiis continetur Oratio *Epiclesis,* qua haec "esca" eucharistica, Corpus et Sanguis Christi offertur Deo (Lit. Rom.: *Offerimus praeclarae majestati* et *Supra quae*); atque invocatur Deus, ut ejus participatione anima nutriatur (*Supplices*).

121. Finito magno Hallel in ritu Coenae paschalis dicendus erat *hymnus benedictionis:*

Chr. "Magnificetur nomen tuum usque in sempiternum, Rex noster Deus, Rex magnus et sanctus in coelo et in terra; te enim,

[1] 14, 23. [2] Cf. Bickell. pag. 85.

Domine, Deus noster et Deus patrum nostrorum decet hymnus et honor, gloria et cantus, potestas et imperium . . . ab hoc nunc et in aeternum. Benedictus Dominus, Deus, Rex, magnus in benedictionibus, Deus gratiarum, Dominus mirabilium, qui beneplacens accipis hymnos cantici, Rex, Deus, qui vivis in aeternum.

Apost. R. Amen.

Huic conclusioni concordat *conclusio Canonis* in Liturgia Apost.: "Te enim decet [Tibi debetur], omnis gloria, reverentia et gratiarum actio, honor et adoratio, Patrem, Filium, et Spiritum sanctum, nunc et semper et in sempiterna et infinita saecula saeculorum. *R.* Amen." In Liturgia Romana: "Per ipsum, et cum ipso et in ipso, est tibi Deo Patri omnipotenti, in unitate Spiritus sancti, omnis honor et gloria. Per omnia saecula saeculorum. *R.* Amen."

2. Christus, finita gratiarum actionis Oratione (ut supra), panem consecratum *fregit*, "Gratias egit, et fregit;"[1] verisimiliter prius in duas partes ad mysticam significationem mortis suae (sicuti initio coenae paschalis panis frangebatur ad significandas tribulationes populi Israelitici in captivitate); deinde in plures particulas pro singulis Apostolis. *Ritus fractionis panis* est magni momenti, nec in ulla Liturgia deest. "Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?"[2]. . . "mortem Domini annuntiabitis, donec veniat."[3] "Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur" textu graeco κλώμενον =quod frangitur.[4]

122. In ritu Coenae paschalis ante sumptionem calicis dicenda erat haec *benedictio vini:* "Benedictus es Dominus, Deus noster, Rex mundi, qui creasti fructum vitis;" cujus benedictionis loco Christus certo dixit benedictionem huic mysterio adaptatam, quae facta est exemplar pro *Oratione ante Communionem,* quae quidem in omnibus Liturgiis continetur.

2. Tunc Christus SS. Corpus suum *dedit discipulis suis; et accepto calice dedit eis; et biberunt ex eo omnes;* quando

1 Luc. 22, 19.
2 1 Cor. 10, 16.
3 1 Cor. 11, 26.
4 1 Cor. 11, 24.

[redacted]

nempe in ritu Coenae paschalis sumendus erat "calix Hallel."[1]

3. Post "calicem Hallel" in ritu Coenae paschalis dicenda erat haec Oratio gratiarum actionis et supplicationis:

"Benedictus es Domine Deus noster, Rex mundi . . . Domine Deus noster, miserere nostri et populi tui Israel, et civitatis tuae Jerusalem; quoniam tu, Domine, bonus es . . . ab aeterno in aeternum. *R.* Amen."

Cujus Orationis loco Dominus certo Eulogiam seu gratiarum actionem et petitionem mysterio convenientem dixit, exemplar pro *Postcommunione,* quae in Liturgiis orientalibus, semper eadem per annum, est gratiarum actio simul et petitio.

4. "Et hymno dicto exierunt"[2] nempe finita per Eulogiam tota celebratione Christus et Apostoli exierunt e Coenaculo in montem Oliveti.

ART. III.

DE LITURGIA ROMANA.

123. Secundum exemplar a Christo in ultima Coena propositum ejusque instructionem post suam resurrectionem (ut ait S. Justinus M.) Apostoli uniformem fere Liturgiam ubique terrarum constituerunt. Episcopi dein pauca tantum addebant vel immutabant, e. g. Lectiones ex s. libris N. T., partes pro poenitentibus et catechumenis. Quarto vero saeculo ob varias causas (vide supra), Liturgia abbreviata et paullum immutata est.

[1] Const. Apost.: "*And after that all have said,* Amen, *let the deacon say:* Let us attend. *And let the bishop speak thus to the people.* Holy things for holy persons. (Sancta Sanctis.) *And let the people answer:* There is one that is holy; there is one Lord, one Jesus Christ, blessed for ever, to the glory of God the Father. Amen . . . *And after that, let the bishop partake, then the presbyters, and deacons, and subdeacons, and the readers, and the singers, and the ascetics; and then of the women, the deaconesses and the virgins, and the widows; then the children; and then all the people in order with reverence and godly fear, without tumult. And let the bishop give the oblation, saying,* The body of Christ, *and let him that receiveth say,* Amen. *And let the Deacon take the cup; and when he gives it, say,* The blood of Christ, the cup of life; *and let him that drinketh say,* Amen. *And let the thirty-third psalm be said, while all the rest are partaking.*"

[2] Matth. 26, 30.

2. Quod quidem in Oriente praecipue S. Basilius (a. 330–379) et S. Joannes Chrysostomus (a. 347–407) fecerunt.

In Occidente primus S. Damasus Papa (+ 384) Liturgiam Romanam, S. Ambrosius (+ 379) Liturgiam pro Ecclesia sua Mediolana modificavit (Liturgia Ambrosiana).

3. In Liturgia Romana abbreviationes et mutationes, tempore S. Damasi coeptae, tempore S. Gregorii M. (a. 590–604) completae sunt, exceptis paucis additamentis, quae a Summis Pontificibus ante S. Damasum, necnon post S. Gregorium inserta sunt. Ita S. Damasus ordinavit, ut Orationes pro Catechumenis omitterentur, retinendo solum *Kyrie eleison;* ut loco Litaniae Diaconi (v. n. 117, adn. 3) diebus festivis Collecta brevis diceretur. Praefationem et Canonem Liturgiae Apost. abbreviavit. Retinens initium et conclusionem Prefationis inseruit pauca propria pro diversitate anni ecclesiastici. Quum exinde numerus Praefationum post ipsum nimis augeretur (46 Praefationes in Sacramentario Gelasiano continentur), S. Gregorius decem tantum retinuit, easdem quae, simul cum Praefatione B. M. V., adhuc in Missali Romano continentur.

4. In Canone gratiarum actio pro creatione, etc. omissa est, et orationes quaedam ante Consecrationem inserebantur quae prius post eam recitabantur, e. g. *Memento* pro vivis, *Hanc igitur, Quam oblationem.*

Post S. Damasum Orationibus Canonis inserta sunt propria pro diversitate temporis, quae S. Gregorius ad hodiernum numerum reduxit, nempe quinque propria *Communicantes,* et tria propria *Hanc igitur* (pro Paschate, Pentecoste et Missa Consecrationis Episcopi). Orationi *Hanc igitur* addidit verba *Diesque nostros in tua pace disponas.* Elevatio fiebat in fine Canonis ad verba *omnis honor et gloria.*

Post S. Gregorium usque ad diem hodiernum Canon immutatus remansit.

5. Quoad reliquas Missae partes: Ad *Introitum* seu ingressum solemnem Celebrantis et Cleri ad Altare Psalmus cum Antiphona canebatur. Diversos Introitus tam textum quam melodiam S. Gregorius constituit.

6. Hymnum angelicum *Gloria* S. Symmachus Papa (+ 512) inter *Kyrie* et Collectam posuisse dicitur; ex ordinatione S. Gregorii ab Episcopis dicendus erat diebus Dominicis et festivis, a Presbyteris in Paschate tantum.

[redacted]

7. *Graduale* vel psalmus responsorius vel Responsorium Graduale a Lectore canebatur, dum populus post quemque versum respondebat canendo Antiphonam.

8. Ad *oblationem* a populo allatam psalmus vel pars psalmi cum antiphona canebatur, quae post quemlibet versum repetebatur. Cessante hac oblatione populi sola antiphona nomine *Offertorii* retenta est, excepto tantum Offertorio Missae defunctorum.

9. Ad *Communionem* populi Ps. 33., *Benedicam Domino in omni tempore* (in Liturg. Apost.) canebatur, ita ut populus post quemque versum antiphonam repeteret (uti Invitatorium initio Matutini ad Ps. *Venite*). Communione finita nutu Pontificis *Gloria Patri*, etc. et antiphona repetebatur. A saeculo fere decimo sola antiphona *Communio* retenta fuit.

10. Nomen **Missa** ex eo oriebatur, quod dimissio seu abeundi venia annuntiabatur per Diaconum tum post Missam Catechumenorum, tum post Missam fidelium (*Ite Missa est*) : dimissio seu missio = missa, uti collecta = collectio. Ob has duas dimissiones celebratio Sacrificii etiam "Missarum solemnia" appellatur. Disciplina arcani appellationes ex circumstantiis accidentalibus suadebat.

ART. IV.

CONSPECTUS LITURGIARUM.

124. Conspectu subsequenti conferuntur Liturgia Romana et Graeca cum Liturgia Apost. seu Clementina, exhibendo partes, quae in prioribus (i. e. Romana et Graeca) ex Liturgia Apost. desumptae sunt. Typis *Italicis* illae partes notantur, quae compositae sunt juxta exemplar a Christo Domino in Ultima Coena propositum.

MISSA CATECHUM.

LITURGIA APOSTOL.	LITURGIA ROMANA.	LITURGIA GRAECA.
	Introitus (anticip. n. 2).	6. Praeparatio hostiae, infusio vini et aquae ad prothesin seu credentiam.
	7. Kyrie eleison.	
	Gloria in excelsis.	
	8. Oratio.	Litania Irenica cum oratione (antic. n. 7–8).
1. Lectiones duae V. T.	1. Lectiones V. T.	

LITURGIA APOSTOL.	LITURGIA ROMANA.	LITURGIA GRAECA.
2. Psalm. cum respons. populi.	2. Psalmodia.	2. Psalm. cum Antiphonis post quemque versum. Trisagion.
3. Lectio Apostolica.	3. Lectio Apost. (Epist.) Graduale (n. 2 contin.).	3. Lectio Apost., cui praecedit Vers. Prokeimenon (n. 2 repet.), dein Alleluja.
4. Evangelium.	4. Evangelium.	4. Evangelium.
5. Litaniae et orationes ante dimissionem Catechumenorum, Energumenorum et Poenitentium.		7. Litania (Ectenia). 8. Oratio Ecteniae. 5. Litania et oratio ante dimissionem Catechum. Brevis Ectenia cum oratione post expansionem corporalis.

MISSA FIDELIUM.

	Credo. Oremus (olim n. 7–8 hoc loco). Psalm. infra oblationem populi.	11. Initium tert. Litan. (vel brevis Ectenia tantum). Secunda oratio fidelium. Hymnus Cherubinus. 10. Lotio manuum.
	12. Afferuntur elementa ad Altare.	12. Affer. elementa ad Altare. Orate fratres.
6. *Preparatio hostiae, commixtio vini et aquae.* 7. *Litania Diaconi.* 8. *Oratio Celebrantis.* 9. Pax Dei cum omnibus vobis; osculum pacis. 10. Lotio manuum. 11. Monitio Diaconi ad devot. infra oblat. 12. *Afferuntur elementa ad Altare.*	6. Praepar. host. infusio vini et aquae. 10. Lotio manuum (olim ante n. 12).	Conclusio tert. Lit. (n. 11).
13. *Oratio oblationis* (Secreta) cui praecedit orate fratres.	13. Orate fratres, Secreta.	13. Oratio oblationis. 9. Osculum pacis. Credo. Monitio Diaconi ad devotionem infra oblat. " Miserationem pacis, sacrificium laudis " (ex n. 13).

LITURGIA APOSTOL.	LITURGIA ROMANA.	LITURGIA GRAECA.
14. *Praefatio et Sanctus.*	14. Praefatio et Sanctus.	14. Praefatio et Sanctus.
15. CANON: *Laus et gratiarum actio pro divinis perfectionibus, creatione, promissione et redemptione;*	15. Canon: Memento vivorum et Sanctorum;	15. Canon: Laus et gratiarum actio pro divina perfectione, creatione, promissione et redemptione;
Consecratio; *Anamnesis,* *Oratio oblat. sacrif.*	Consecratio; Anamnesis, Oratio oblat. sacrif.	Consecratio; Anamnesis, Oratio oblat. sacrif.
Epiclesis;	Supra quae; Supplices;	Epiclesis;
Memento vivorum, Sanctorum, et defunctorum;	Memento defunctorum;	Memento Sanctorum, defunctorum, et vivorum;
Conclusio doxolog.	Conclusio doxolog.	Conclusio doxolog.
16. Pax Dei sit cum omnibus vobis.	19. Pater noster.	16. "Et erunt miserationes magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi cum omnibus vobis."
17. *Fractio.* [Pater noster?] 18. Litania Diaconi.	17. Fractio. 16. Pax Domini sit semper vobiscum.	18. Litania Diaconi.
19. *Oratio celebrantis ante Communionem.*	Commixtio specierum. Agnus Dei.	19. Pater noster, oratio ante Communionem.
20. "Sancta sanctis," et respons. per hymnum populi.	9. Osculum pacis.	20. "Santa sanctis" (cum elevatione) et respons. populi. 17. Fractio, interim vers. Coinonicon. Commixtio specierum.
21. *Communio, cum distributionis formulis,*	21. Communio cum distributionis formulis;	21. Communio cum distributionis formulis;
Psalmus 33, infra Communionem populi.	Psalm. infra Communionem populi (v. Communio).	Psalm. infra Communionem populi.
22. Admonitio Diaconi ad gratiarum actionem.		22. Admonitio Diaconi ad gratiarum actionem.
23. *Oratio post Communionem.*	23. Postcommunio.	23. Oratio post Communionem.
24. Benedictio.	24. Oratio super populum.	25. "Procedamus in pace."
25. Abite in pace.	25. Ite missa est.	24. Benedictio (extra Presbyterium).

ART. V.

DE MISSALI ROMANO.

125. Olim quatuor libri in celebratione Missae adhibebantur:

I. *Sacramentarium* seu Mysteriorum liber, qui partes Liturgiae pro solo Celebrante continebat, necnon omnia pro administratione Sacramentorum, consecratione S. Oleorum, reconciliatione poenitentium, benedictione nuptiarum. Extant adhuc

(*a*) *Sacramentarium Leonianum*, quod nomen quidem S. Leonis († 461) obtinuit, sed ab auctore privato tempore S. Felicis († 492) compositum est; caret Lectionibus et Canone.

(*b*) *Sacramentarium Gelasianum* a S. Gelasio (a. 492–496).

(*c*) *Sacramentarium Gregorianum* a S. Gregorio Magno (590–604).

Canon Missae separatim conscriptus in medio Altari ponebatur, uti adhuc in Missa Episcopi. En origo tabellarum canonicarum.

II. *Antiphonarium*, seu liber antiphonalis, seu Cantatorium continebat antiphonas et psalmos pro Cantoribus ad Introitum, Graduale, Offertorium, et Communionem.

III. *Lectionarium* seu Epistolarium, vel Apostolus seu Comes continebat Lectiones seu Epistolas.

IV. *Evangeliarium* seu Evangelistarium continebat Evangelia per anni circulum.

2. Postea quatuor isti libri Missae inservientes, quorum quisque aliquando Liber Missalis appellabatur, uno volumine conjungebantur nomine *Missalis Plenarii*, vel postea simpliciter *Missalis*.

3. *Ordines Romani* vetusti sunt libri, qui post S. Gregorium exhibent ritum pro Missa Pontificali, S. Ordinibus conferendis, etc. Recensentur etiam Poenitentiale, Benedictionale, Exequiale, Agenda, Passionale (i. e. acta Martyrum), Homiliarium, Processionale etc.

4. Canon Missae post S. Gregorium omnino immutatus remansit. Reliquae vero Missae partes sequentibus saeculis,

[redacted]

quando S. Sedes legislationem liturgicam sibi nondum reservaverat, in multis mutatae sunt, ita ut nimia varietas s. ritus in diversis Dioecesibus et Ordinibus religiosis oriretur. Nec pauca menda in manuscripta irrepebant.

5. Quare Concilium Trid.[1] Missale (sicuti Breviarium) emendandum decrevit. Quam emendationem a Pio IV. inchoatam S. Pius V. a 1570 complevit, ita ut "ad pristinam Missale ipsum sanctorum Patrum normam ac ritum" restitueretur. Deinde Clemens VIII. a. 1604 Missale denuo recognitum et a novis erroribus emendatum, iterumque Urbanus VIII. a. 1634 idem Missale praesertim in Rubricis recognitum edi curavit. Horum trium Pontificum Constitutiones impressae sunt initio Missalis.

6. Peculiarem vero Liturgiam ex indulto Apostolico retinent Ecclesia Mediolana (Liturgiam Ambrosianam); Ordines Religiosi Carthusianorum, Carmelitarum et Praedicatorum seu Dominicanorum. Reliqui Ordines Religiosi occidentales Missale et ritum Romanum sequuntur, quamvis ipsis, sicuti plerisque Dioecesibus, festa propria, e. g. Sanctorum et Beatorum Ordinis vel Praefationes propriae, etc., indulta fuerint.

APPENDIX.

DE GRAECORUM LIBRIS LITURGICIS.

126. Sunt: *Anagnosis* seu Apostolicon Biblion = Lectionarium; *Diaconicon* pro munere Diaconi: *Agiasmon* pro solemni benedictione aquae; *Anthologion,* i. e. florilegium continens Officia Domini, B. M. V. et Sanctorum pro 12 mensibus; *Euchologion,* i. e. Rituale Graecorum; *Liturgicon* continens tres Liturgias, nempe (*a*) Liturgiam S. Basilii pro Vigilia Natalis Domini et Epiphaniae, pro Dominicis Quadragesimae et festo S. Basilii; (*b*) Liturgiam Praesanctificatorum[1] pro toto tempore Quadragesimae, exceptis Sabbatis, Dominicis et Feria V. in Coena Domini; (*c*) Liturgiam S. Chrysostomi pro reliqua anni parte; *Typicon,* i. e. ordo recitandi divini Officii, in quo notatur quid inter Missarum solemnia, ad

1 Sess. XXV.

1 Uti apud nos pro feria VI. in Parasceve.

Horas, etc., sit legendum aut psallendum; ***Pentecostarion*** pro Officio a Paschate usque ad Octavam Pentecostes; *Hymnologion* continens hymnos pro festis totius anni cum vetustis notis musicis; *Menaehum* pro Officiis Sanctorum; ***Menologion,*** i. e. Martyrologium.

ART. VI.

TEMPLORUM VETERUM DESCRIPTIO.

127. Christiani ad s. Mysteria celebranda primordiis Ecclesiae in domibus amplis, praesertim in aulis vel exedris domus superioris conveniebant, imo persecutionis temporibus in arenariis et cryptis. At mox templa erigebantur vel aedificia, e. g. Basilicae pro negotiis civilibus in templa christiana convertebantur. Ita initio persecutionis Diocletiani in urbe Roma Christianis 40 templa fuerunt.

2. A quarto fere saeculo uniformi quadam lege templa christiana condebantur. Plerumque parallelogrammi figuram prae se ferebant. Aditus plerumque versus occidentem respiciebat; opposita pars, ad orientem versa ("Oriens Salvator"), semicircularis figurae erat, Absida vel Absis (ἀψίς = segmentum circuli).

3. In tres partes templa erant distincta:

I. *Vestibulum* seu *Porticus* (πρόναον), plerumque consistens ex externo vestibulo, in quo *Flentes,* et interno vestibulo (*Narthex*) in quo *Audientes,* et forte Catechumeni consistebant.[1]

II. *Navis* (ναός) sive templi interior area, in cujus aditu tertia poenitentium classis seu *Prostrati* jacebant. Navis in tres partes, vel etiam in tres Naves distincta erat; dextra seu australis pars erat Navis virorum, sinistra Navis mulierum seu Matronaeum. Mediae navis extrema pars Solea vel Liminare appellabatur, ubi erant clerici minores. In Solea erat Pulpitum seu Ambon, quod gradus hinc inde habebat, quos "ascensionis" et "descensionis gradus" appellabant. Aliquando duo erant Ambones, septentrionalis in quo Evangelium, et

[1] Quoad poenitentes, etc., non ubique eadem plane disciplina vigebat.

australis in quo Epistolae, Prophetiae, etc., legebantur. Quarta poenitentium classis *Consistentes* in Navi erant.

III. *Bema* seu Absida (Sanctuarium vel Presbyterium), cancellis clausa. In Absidae medio, sive semicircularis hujus figurae centro Altare erat, "Ciborio" contectum. Ciborium constabat ex quatuor columnis, quae parvam quandam absidam sustentabant, adeo ut Ciborium esset Altaris umbraculum. Circum Absidam seu Sanctuarium ad parietem erant subsellia Sacerdotum; in ima Absidae parte retro post Altare sita erat Episcopi Cathedra, ceteris subselliis eminentior. Episcopus igitur in Cathedra sedens Altari eminentior erat et ad populum versus sedebat.

CAPUT XIV.

DE SIGNIFICATIONE CAEREMONIARUM COMMUNIUM.

ART. I.

DE SIGNIFICATIONE REVERENTIARUM.

128. *Genuflexio* ortum habet ab antiquis, et ipsius Domini et Apostolorum exemplo commendatur. Prioribus post Christum saeculis fideles die Dominica et 50 inter Pascha et Pentecosten diebus stantes orabant ("signum et designatio Resurrectionis Domini;" tantummodo Poenitentes semper genuflexi manebant); reliquis vero temporibus preces plerumque flexis genibus fundebantur. Canones Nicaeni et Trullani eos reprehendunt, qui genuum inflexioni die Dominica superstitiosius studebant; e contra Patres conqueruntur nonnunquam de iis qui in reliquis diebus genua flectere recusabant.

2. Humi *prostratio* extraordinarius humilitatis gestus erat, quo utebantur aliquando tum nonnulli ex "Lapsis," tum ipsi fideles graviori angustia depressi.

3. *Genuflexionis* (et prostrationis) triplex est finis. Significat enim actum adorationis (non semper Latriae), poenitentiae et orationis.

4. *Inclinatio* similiter est actus externus reverentiae et submissionis, sed minus solemnis quam genuflexio. Inclinationes fiunt magis vel minus profundae prout verba vel res requirunt. "ut sic omnia quae ad actionem excellentissimam pertinent, perfectissimo ordine peragantur." [1] Hujus quoque ritus plurima exempla in ipsa S. Scriptura exstant.

[1] Romsée.

ART. II.

DE SIGNIFICATIONE RELIQUARUM CAEREMONIARUM COMMUNIUM.

129. *Signum Crucis* adhibetur, quia "Christus per sanctam Crucem redemit mundum," quae igitur est causa et fons omnis *benedictionis*. In Missa post consecrationem signum Crucis rationem benedictionis proprie dictae nequaquam habet. Sed Crucis signum optime repraesentat passionem et mortem Domini: idem esse sacrificium Altaris atque sacrificium Crucis, hostiam consecratam idem esse Christi corpus quod Cruci fuit affixum et quinque vulneribus insignitum, et eundem in calice sanguinem qui in cruce effusus est.[1] Signa Crucis fiunt "*semel* quidem propter essentiae unitatem, *ter* propter Trinitatem Personarum [per concomitantiam praesentium], et *quinquies* propter quinque vulnera Christi Domini et expressam repraesentationem Passionis ejus."[2]

2. *Manuum junctio* fit in signum reverentiae et devotionis. Pollices in modum Crucis plicati quasi continuum Crucis imaginem sub oculis Sacerdotis ponunt.

3. *Manus elevatae* et expansae tenentur in orando, quia supplicantis est, manus tendere ad auxiliatorem, atque est signum et adjumentum mentis elevatae. Tali modo Moyses pro populo efficaciter oravit, atque ipse Spiritus Sanctus monet: "Extollite manus vestras in sancta, et benedicite Dominum."[3] Veteres fideles orare solebant manibus expansis et in coelum elevatis, ac nonnunquam in formam Crucis ad repraesentandam Salvatoris nostri Crucifixi passionem, uti probant testimonia Tertulliani, Paulini, Prudentii pluriumque Patrum; S. Chrysostomus hujus caeremoniae usum pluribus probat, praesertim Homilia in Ps. 140: "Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum." (v. 2.)

4. *Manus elevantur et in circulum junguntur,* quia hic est gestus naturalis hominis exsultantis, laudantis aut supplicantis.

[1] S. Thomas, Suarez, etc. [2] Bened. XIV. [3] Ps. 133.

5. Oculi elevantur ad coelum (Crucem),

(*a*) Ut Sacerdos Christum imitetur;

(*b*) Ut mentis elevatio ad Deum exprimatur et adjuvetur. "Ad te levavi oculos meos, qui habitas in coelis."[4]

6. *Percussio pectoris* fit juxta exemplum publicani a Domino laudati. "Percutimus pectus," ait Nicolaus I.,[5] "signantes videlicet, quod nequiter egimus, displicere nobis, ac ideo antequam Deus feriat, id nos in nobis ipsis ferire, et antequam ultio extrema veniat, commissum poenitentia digna punire." Proinde omnia complectens Cornelius a Lap.[6] scribit: "Tunsio pectoris,

(*a*) Symbolum est *confessionis* peccati, quod scilicet confitens fateatur peccati sui causam non esse aliam quam cor, appetitum et voluntatem suam in pectore latentem;

(*b*) Eadem est symbolum *contritionis,* indicat enim, cor esse contusum et contritum;

(*c*) Eadem symbolum est satisfactionis et vindictae, percutit enim pectus, ut illud reum affligat et puniat."

7. *Convertit se* Sacerdos ad populum, dicens *Dominus vobiscum,* etc., atque cum populo (per ministrum) alternatim orat, 1° ut significetur unio inter Sacerdotem et populum participantem in sacrificio, 2° ut fraterna charitate et mutuis precibus se invicem adjuvent, 3° ut intimetur, quomodo populus, sicut cum Sacerdote visibili, ita cum Christo Sacerdote invisibili conjunctus sit. Octies salutatur populus per *Dominus vobiscum*[7] et resalutat: *Et cum spiritu tuo* sit idem Dominus.[8] Aptissimae salutationes: Ubi revera Dominus est, ibi gratia et veritas, ibi "charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas,"[9] etc.

130. *Oscula* Altaris fiunt "in signum venerationis et amoris erga Christum, qui per Altare designatur."[10] Antiquissimis temporibus osculum erat signum observantiae, reverentiae et amoris, officium communis salutationis. Mos Judaeorum notus est. Dominus reprehendit Simonem: "Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti . . . Oscu-

[4] Ps. 121.
[5] Ad Cons. Bulgar.
[6] In Luc. 18, 13.
[7] Ruth 2, 4.
[8] 2 Tim. 4, 22.
[9] Gal. 5, 22.
[10] Gavant.

lum mihi non dedisti."[11] "Salutate invicem in osculo sancto."[12] Primitivi fideles in signum reverentiae nedum Martyrum vulnera sed et templorum limina deosculabantur. In Missa Celebrans conversurus ad populum ante *Dominus vobiscum,* etc., osculatur Altare manibus super illud extensis, ut tum sibi tum aliis benevolentiam et benedictionem obtineat.

2. Alia oscula fiunt in signum reverentiae erga rem sacram, vel Celebrantem, qui personam Christi repraesentat; minister osculatur manum Celebrantis, quia manus est symbolum potestatis, protectionis, auxilii, benedictionis. "Erat osculum non solius communionis sed et omnium ecclesiasticarum functionum signaculum et sigillum, quod in omnibus sacramentis adhiberi solebat."[13]

3. *Diversus vocis tonus* (etiam in omnibus Liturgiis Orientalibus) ab Ecclesia praescribitur, ut "mentes fidelium hisce adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustollantur;" et "Si quis dixerit, Ecclesiae Romanae ritum, quo submissa voce pars Canonis, et verba Consecrationis proferuntur, damnandum esse; aut lingua tantum vulgari Missam celebrari debere . . . anathema sit."[14]

4. Rationes hujus diversitatis in vocis tono sunt: *Vox secreta*

(*a*) Animi recollectionem et reverentiam indicat atque juvat;

(*b*) Profunda mysteria hoc tempore peragi innuit; aut etiam adhibetur, ne sacrosancta verba saepissime repetita vilescant;

(*c*) Ob mysticas rationes, quia "Sacerdos in Altari repraesentat ipsius Christi personam, qui eodem modo in horto et praesertim in Cruce orabat;"[15] vel, ut ait S. Thomas, "secrete aliqua Sacerdos dicit in signum, quod circa Christi passionem, discipuli non nisi occulte confitebantur Christum."

5. *Vox alta* adhibetur ad alloquendum populum, ad precandum cum populo; vel ad glorificandum Deum, aut ad vehementiorem affectum exprimendum.

[11] Luc. 7, 45.
[12] Epist. S. Pauli saepius.
[13] Bona.
[14] Conc. Trid. sess. 22, can. 9
[15] Quarti.

CAPUT XV.

DE SENSU LITERALI ET MYSTICO SINGULARUM PARTIUM MISSAE.

ART. I.

ANIMADVERSIONES PRAEVIAE.

131. Sensus literalis in Missa est tum verborum significatio quae proxime intenditur, tum finis, in quem actiones seu s. ritus primario et quasi naturaliter adhibentur. Sensus mysticus ille est, quo fidei mysteria adumbrantur et morum documenta insinuantur, quo igitur—in hac materia—redemptionis humanae mysterium et passionis Domini historia, quasi perpetua allegoria figuratur, quare sensus allegoricus appellari solet.[1]

2. Missa dividitur in Missam Catechumenorum et Missam fidelium.

I. Missa Catechumenorum:

(*a*) Praeparatio ante gradus;

(*b*) Praeparatio ad Missam fidelium in ipso Altari ab Introitu usque ad Offertorium.

II. Missa Fidelium:

(*a*) Ab Offertorio usque ad Canonem excl.

(*b*) Canon, i. e. a *Sanctus* excl. usque ad *Pater noster* excl.

(*c*) A *Pater noster* usque ad finem Missae.

3. Consistit enim Missa fidelium ex Oblatione, Consecratione et Communione, cum iis quae his partibus praecedunt et quae subsequuntur. "In hoc sacramento," ait S. Thomas, "totum mysterium nostrae salutis comprehenditur . . Ante celebrationem hujus mysterii primo quidem praemittitur

[1] Romsée.

praeparatio quaedam [Missa Catechumenorum] ad digne agenda ea, quae sequuntur . . . Consequenter acceditur ad *celebrationem mysterii* [Missa fidelium], quod quidem et offertur ut sacrificium et consecratur, et sumitur ut sacramentum. Unde primo peragitur *oblatio;* secundo *consecratio* oblatae materiae; tertio ejusdem *perceptio.*"[2]

ART. II.

DE PRAEPARATIONE ANTE GRADUS ALTARIS.

132. Confessio generalis appellatur a parte principali, nempe a *Confiteor* cum versiculis sequentibus. Confessio quaedam generalis in omnibus Liturgiis continetur, sicuti sacerdotes et Prophetae V. T. deprecationibus et sacrificiis illam praemittebant, e. g. *peccavimus, iniquitatem fecimus.* At olim in Liturgia Romana certa formula praescripta non videtur; etiam in sacristia dicebatur. Hodiernum *Confiteor* originem ex saeculo XIII. ducit. Sane convenit ut Sacerdos oblaturus "tremendum Sacrificium" (C. Trid.) indignum se agnoscens ante infimum gradum humili prece et confessione peccatorum Dei omnipotentis adjutorium et misericordiam imploret.

2. In qua confessione generali ritus externus aptissime sensum poenitentialem exprimit, quum Sacerdos gestu dicere videatur: "Oro supplex [manibus junctis] et acclinis [corpore profunde inclinatus], cor contritum quasi cinis" [pectus percutiendo].[1]

3. Tanquam introductio ad istam confessionem generalem necnon generaliter ad Missae sacrificium praemittitur Ps. 42. *Judica,* cum antiphona, *Introibo ad Altare Dei.* Quo psalmo simul cum desiderio et fiducia imploratur gratia (*Emitte lucem tuam . . in tabernacula tua*). Inde a saeculo XI. videtur recitatus.

4. Ascendens gradus Sacerdos adhuc peccatorum suorum veniam petit, ut ad Altare, *ad Sancta sanctorum puris mereatur mentibus introire.* (In V. T. summus Sacerdos semel tantum in anno solus ingrediebatur in Sancta sanctorum, ubi

[2] S. Thom. 3. q. 83. a, 4.

[1] Ex Dies irae.

erat propitiatorium.) Idem petit stans inclinatus ad Altare per intercessionem Sanctorum quorum reliquiae in Altari sunt.

ART. III.

DE INCENSATIONE ALTARIS.

133. In Missa solemni sola et omni, excepta Missa de Requie, ante Introitum fit incensatio Altaris.

Thus seu thymiama (θυμιάω = odores incendo) Deus ipse in sui cultum adhiberi jussit. "Facies altare ad adolendum thymiama . . et adolebit incensum super eo Aaron, suave fragrans, mane."[1] Christo Domino Magi *thus* obtulerunt. Ecclesia Christi ex apostolica traditione pro solemni Dei cultu thuris suffimento semper usa est.[2]

2. Significat thus accensum, ascendente fumo fragrante, res creatas in Dei gloriam et servitium esse consecrandas, hominum vires animique facultates fervore ignito et zelo pro Deo esse consumendas. Praecipue thus accensum significat orationem, quae ex corde amoris igni accenso sicut "bonus odor" ascendat. "Dirigatur Domine oratio mea sicut incensum, etc." (Ps. 140.) "Angelus stetit ante altare habens thuribulum aureum; et data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus sanctorum." (Apoc. 8, 3.)

Tandem significat "bonum odorem gratiae" seu Dei misericordiam in nos descendentem. "Ascendit precatio et descendit Dei miseratio." (S. Aug.)

3. Thus ab Ecclesia adhibetur primario in Dei honorem; sed etiam in venerationem erga Sanctos vel res et personas sacras.

Incensum seu thus ad Sacramentalia pertinet; benedicitur enim, etiam coram Sanctissimo exposito, excepto casu quo exclusive ad incensandum Sacramentum imponitur; tunc enim potius habet rationem symboli quam Sacramentalis.

4. In Missa solemni fit incensatio initio Missae Catechumenorum, ante Introitum, et initio Missae fidelium facta

[1] Exod. 30. [2] Card. Bona et alii.

oblatione calicis ante lotionem manuum; praeterea ad partem principalem Missae Catechumenorum, i. e. ad Evangelium, et ad partem principalem Missae fidelium, nempe ad consecrationem seu utramque elevationem.

5. Primo incensatur Crux Altaris triplici ductu, vel SS. Sacramentum, si expositum sit; ita Christo exhibetur cultus aut imagine repraesentato aut in SS. Sacramento realiter praesenti (Sanctissimum in tabernaculo clausum non incensatur sed genuflexione adoratur.)

6. Secundo loco incensantur duplici ductu Sanctorum Reliquiae vel hermae seu imagines, si adsint inter Altaris candelabra, tum honoris causa tum quia Sancti "Christi bonus odor"[3] fuerunt, et modo preces nostras Deo offerunt.

7. Deinde Altare undique incensatur, tam mensa, quam pars posterior, "prout distribuuntur candelabra,"[4] necnon pars anterior et partes laterales. Sicuti Altare in ipsius consecratione circumquaque incensatum est, ita nunc quasi denuo pro SS. Sacrificio super illud immolando praeparatur.

8. Tandem incensatur Celebrans qui vices Christi Sacerdotis gerit.

ART. IV.

AB INTROITU USQUE AD OFFERTORIUM.

134. Plures Missae inscribuntur *Statio ad S.* e. g. *Mariam Majorem, ad S. Crucem in Jerusalem* (i. e. Ecclesia Urbis Romae cum vera Cruce) etc. Quod quidem derivatur ex antiquo usu Romano. Clerus enim cum populo certis diebus colligebatur in una Ecclesia ad faciendam processionem. (Ibi Oratio fundebatur super populum congregatum; quae Oratio appellabatur *Collecta,* quoniam super collectam, i. e. collectionem seu coadunationem populi fiebat.) Tunc decantando Litanias aliasque preces Pontifex aliique omnes processerunt de una Ecclesia in aliam "ad Stationem faciendam," per sacrificium Missae cum Homilia.[1] S. Gregorius Stationes

[3] 2 Cor. 2.

[4] Non vero ipsa candelabra.

[1] Cf. Mabillon. Hoc Comp. no. 322.

pro Urbis Ecclesiis ordinavit. "Litanias, stationes et ecclesiasticum officium auxit."[2] "Statio de militari exemplo nomen accepit, nam et militia Dei sumus."[3]

2. Ad **Introitum** Sacerdos se signat signo Crucis ex antiquo usu se signandi ad initium cujusvis operis. Introitus fere omnes e psalmis deprompti sunt, ita ut post antiphonam, plerumque idem ipse psalmus inchoetur, unde ista deprompta est, tunc dicitur *Gloria Patri* et repetitur antiphona. Textus non est versionis *Vulgatae* sed veteris *Italae,* qua etiam nunc utuntur Ambrosiani et Clerus Basilicae Vaticanae.

Introitus mystice denotat suspiria et clamores veterum Patriarcharum Messiae ingressum in mundum expectantium.

3. **Kyrie eleison** (Κύριε ἐλέησον ab ἐλεέω = misereor; dein ponendo *i* pro *η* loco *eleeson* dicitur *eleison,* uti Paraclitus pro Παράκλητος), i. e. *Domine miserere,* olim a cantoribus ad nutum Celebrantis repetebatur, sed a saeculo XI. Romae statutum est, ut repetatur, "ter quidem pro persona Patris, ter autem pro persona Filii, cum dicitur: *Christe eleison,* et ter pro persona Spiritus sancti, cum subditur: *Kyrie eleison,* contra triplicem miseriam ignorantiae, culpae et poenae, vel ad significandum, quod omnes personae sunt in se invicem."[4] Cum quaque persona SS. Trinitatis simul invocantur duae reliquae personae per circuminsessionem in ipsa coexistentes.

135. Gloria in excelsis, hymnus angelicus (hymnus sensu latiori), ab Angelis inchoatus ab Ecclesia continuatus (jam in Const. Apost.) est praesertim laudis exsultatio necnon gratiarum actio et supplicatio, totus hymnus mirae sublimitatis; appellatur et *magna Doxologia* (ut a *Gloria Patri* tanquam parva doxologia distinguatur), quatenus ad tres personas SS. Trinitatis dirigitur. Profunda sunt verba: *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam.* Quid, quum propter dona nobis data gratias agamus? Revera Ecclesia his verbis sublimi affectu gratias agit propter ipsam gloriam Dei, tam internam quam externam, i. e. propter internam excellentiam seu infinitas Dei perfectiones, quam externam manifestationem hujus gloriae internae per opera ad extra. Prima enim interna Dei gloria seu infinita ejus bonitas contempla-

[2] Brev. Rom. [3] Tertul. [4] S. Thomas.

tione et perfecto amore fit animabus Deum diligentibus fons sancti et ineffabilis gaudii; ita Dei infinita bonitas etiam ipsarum bonum est. Scribit S. Bonaventura: "Non dubito, imo certus sum, quod plus gaudent Angeli et animae sanctae de magnificentia honoris tui, quam de magnificentia gloriae suae."[5] Quoniam igitur Dei gloria interna seu infinita ejus bonitas fit nobis summum bonum, ideo "gratias agimus ei propter magnam gloriam suam." Deinde gratias agimus propter gloriam Dei externam seu manifestatam per opera ejus ad extra. "Deus *omnia operatus est propter se,* h. e. operatus est omnia ad hoc, ut suam bonitatem, sapientiam, potentiam, magnificentiam, gloriam, etc., creaturis ostenderet et communicaret, quod est bonum creaturarum, non Dei. Deus enim, ex hac sui communicatione nihil acquisivit, cum nihil ei addi possit."[6] Proinde creatio, redemptio, sanctificatio et glorificatio sunt in gloriam et honorem Dei simulque in nostrum summum bonum. "Omnia enim vestra sunt: vos autem Christi: Christus autem Dei."[7] "Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae, ut simus in laudem gloriae ejus."[8] Scribit Lessius:[9] "Dum Deus spectat suam summam gloriam, eo ipso necessario spectat et intendit summum bonum nostrum, et summum bonum nostrum non potest esse nisi summa ejus gloria. Unde non minus gratias agere debemus, quod quaerat gloriam suam, quam quod quaerat salutem nostram, quia gloria ejus est nostra salus. Hoc in hymno angelico Ecclesia innuit, cum ait: 'Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam;' beneficia enim ipsius in nos sunt gloria ejus." Dicendo *propter magnam gloriam tuam,* non vero propter *beneficia nobis collata* exprimitur affectus perfecti amoris benevolentiae quasi se ipsum obliviscentis.

"Quoniam tu *solus Sanctus.* Tu *solus Dominus.* Tu *solus Altissimus."* De quo S. Thomas: "Non dicimus absolute, quod solus Filius sit Altissimus, sed quod sit Altissimus cum sancto Spiritu in gloria Dei Patris." Dicitur *solus* Sanctus, i. e. essentialiter a se, absolute et infinite sanctus. *Solus* Dominus, "qui solus universale, primordiale, independens ac

[5] Stimul. amor.
[6] Corn. a Lap.
[7] 1 Cor. 3, 22.
[8] Eph. 1, 12.
[9] De perf. div.

nulli subjectum habet dominium."[10] Quoad "solus Altissimus" cf. Ephes. 1, 20.[11]

Hymnus angelicus ob laudis exsultationem et laetitiam in Missis poenitentiae et luctus atque in feriis extra tempus paschale convenienter omittitur.

136. Collecta (=collectio, graece *synaxis*) derivatur ex antiquo usu Stationum,[12] vel ex eo, "quod Sacerdos, qui fungitur ad Deum legatione pro populo, petitiones omnium in eis colligat et concludat."[13] Plerumque consistit quatuor, resp. tribus partibus saltem implicitis (juxta 1 Tim. 2, 1): "Obsecro . . fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones:" (*a*) oratione seu elevatione mentis ad Deum, e. g. *omnipotens et misericors Deus,* vel *Domine Deus;* (*b*) gratiarum actione, sive pro mysterio ejus diei, e. g. *qui corda fidelium S. Spiritus* etc., sive pro gloria vel aliqua gratia Sancto collata, vel ejus intercessione nobis concessa; (*c*) postulatione, nempe beneficii, doni, e. g. charitatis, humilitatis, liberationis a malis (*concede, praesta,* etc.) adjecta Sancti invocatione; (*d*) obsecratione *Per Dominum nostrum,* etc. Quae tres partes diverso saepe ordine in Collectis ponuntur, e. g. postulatio gratiarum actioni praecedit (*Da nobis, quaesumus, imitari quod colimus,* etc.).

2. **Epistola** plerumque ex Apostolorum, praesertim S. Pauli desumpta, unde "Lectio ex Apostolo" vel "Apostolus." Uti Israelitae sabbatis lectionem ex libris Moysis et Prophetarum praemittebant, ita ab Apostolorum temporibus[14] fideles, dispositi per praevias orationes, lectione S. Scripturae instruebantur et praeparabantur ad Sacrificium, primo Prophetarum et Apostolorum voce, deinde ipsius Christi Magistri per Evangelium.[15] Seriem Epistolarum et Evangeliorum per anni curriculum S. Hieronymus auctoritate et mandato S. Damasi ordinavit. Ex libris Proverbiorum, Ecclesiastes, Sapientiae, Cantici Canticorum et Ecclesiastici depromptae leguntur titulo *Lectio libri Sapientiae.*—Aptissime respondetur in fine *Deo gratias.* "Quid est s. Scriptura,

10 Dion. Carth.
11 Innoc. III.
12 Cf. Gihr, Messopfer.
13 Cf. 1 Cor. 14, 26.
14 Vide supra, n. 134, 1.
15 S. Thomas.

[redacted]

nisi quaedam epistola omnipotentis Dei ad suam creaturam?"[16] Aliis quoque lectionibus ex s. Scriptura, e. g. capitulis et lectionibus Officii, *Deo gratias* additur. Temporibus persecutionum erat tessera qua Ostiarius dignoscebat fideles.

3. **Graduale** canebatur a Cantore in Ambonis *gradibus,* vel juxta alios, dum Diaconus vacabat ad petendam benedictionem et ascendebat *gradum* Ambonis (septentrionalis). Appellatur et *psalmus responsorius,* vel *Responsorium graduale,* "quod uno canente chorus consonando respondet."[17] Saepe respondet Lectioni: "tristia namque tristibus, et laeta laetis debemus succinere lectionibus." [18] "Utraque Gradualis pars, perinde atque Introitus, modo invitationem et exhortationem continet, modo collaudationem et congratulationem, nonnunquam prosopopoeiam vel apostrophen, saepissime vero omnium narrationem aut invocationem."[19]

4. **Alleluja.** Loco Gradualis tempore paschali post octavam Paschatis dicitur *Alleluja,* quod quandoque "magnum Alleluja" appellatur; "parvum Alleluja" seu "versus allelujaticus" vero secunda pars Gradualis. Magnum Alleluja consistit ex duobus versibus cum quatuor Alleluja. "Alleluja (=*hallelu,* laudate, *Jah,* Deum), multo majorem vim habet apud Hebraeos, quam apud Latinos *Laudate Deum;* vehementem sonat affectum acclamantis prae gaudio et ex laude Dei exsultantis atque in jubilum vocemque laetitiae erumpentis."[20] A Septuagesima usque ad Pascha utpote tempore poenitentiae plane omittitur in Missa et Officio.

5. **Tractus** qui diebus poenitentialibus dicitur, "tractim et graviter notarumque seu vocum prolixo decursu cantatur," [21] vel per unum Cantorem non interruptus responsionibus aliorum intercinentium. "Cuncti Tractus fletum et tristitiam in humilitate sonorum denuntiant." [22] Tractus additur Graduali loco versus Allelujatici, non substituitur, sicut magnum Alleluja.

6. **Sequentia,** seu Jubilatio, sublimiter narrans mysterii vel Sancti praeconia, est hymnus liberioris compositionis, in quo non perfecte servatur versuum mensura, quare et Prosa nomi-

16 S. Aug.
17 Isidor. de off. eccl.
18 Rupert. Tuitiens.
19 Guyet.
20 Bona, de div. Psalm. Cf. Apoc. 19.
21 Bona.
22 Rupert. Tuitiens.

natur. Substituta est Pneumati [23] in ultimo Alleluja, quo continuatur sine verbis ultima syllaba seu "a," exprimens superabundantiam cordis affectuum. "Est quaedam veluti *sequela* et appendix cantici Alleluja quae sine verbis post ipsum sequitur," [24] vel fortasse post ultimum "a" in antiphonario scriptum erat *et sequentia.*—Ex pluribus Sequentiis a S. Pio V. pro Missali Rom. quinque retentae sunt mirae pulchritudinis et sublimitatis.

137. **Evangelium** legitur a temporibus Apostolorum. Praeparat se Sacerdos (Diaconus) ritu et verbis humilitatis, ut digne, puris ignitisque labiis et corde annuntiet Evangelium. Diaconus petit benedictionem (*jube* lingua liturgica=velis, dignare) a Celebrante vel Episcopo, *Domne.* Omnes surgunt, parati tanquam milites Christi ad sequendum divinum Ducem. Legitur in Altaris parte digniori, i. e. dextra (ex parte Crucifixi), facie aliquantulum conversa ad sinistram, seu "aquilonem," ut significetur per lucem et gratiam Evangelii machinationes aquilonis frigidi et tenebrosi, i. e. diaboli, esse destruendas.[25] "Vox *Sequentia* est numeri pluralis, significatque ea quae sequuntur in textu Evangelistae."[26]

Initio signum Crucis libro imprimitur ut significetur hunc esse librum seu Evangelium Crucifixi; [27] fronti vero, ut quis Crucem non erubescat,[28] ori autem et pectori, quia "corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem," vel ut indicet, se Evangelium credere intellectu, confiteri verbis, et toto corde seu voluntate amplecti et sequi velle. In fine Celebrans (vel Praelatus in locis suae jurisdictionis si adsit) osculatur s. textum in signum reverentiae et amoris.

2. Post Evangelium sermo, sive Homilia vel "Tractatus" ad populum habebatur, quo peracto Catechumeni, energumeni, plures Poenitentium ordines et infideles dimittebantur. "Ecce post Sermonem fit missa [dimissio] catechumenis; manebunt fideles."[29]

3. **Symbolum** ("tessera seu signaculum inter fideles perfidosque"), nempe Constantinopolitanum (a. 381) seu Nicaeno-

[23] Pneuma seu Neuma=aspiratio.
[24] Bona.
[25] Cf. Jer. 1, 14.
[26] Guyet.
[27] Innoc. III.
[28] S. Aug.
[29] Idem.

Constantinopolitanum, addita particula *Filioque,* congrua quasi Ecclesiae responsio ad verba Evangelica.[30]

Certis diebus recitatur ratione mysterii, ratione doctrinae et ratione celebritatis. Vide n. 23.

ART. V.

AB OFFERTORIO USQUE AD CANONEM.

138. Salutato populo dicitur *Oremus,* quod spectat non solum ad Offertorium stricto sensu, sed ad Offertorium comprehendens omnia quae cum oblatione conjunguntur usque ad Secretas inclusive.

2. **Offertorium** antiquioris formae unicum restat in Missa *defunctorum,* quod difficultate non caret. Juxta quosdam directe oratur pro liberatione animarum e Purgatorio. "Libera animas omnium fidelium defunctorum de poenis inferni," i. e. igne Purgatorii qui idem cum igne infernali est; "de profundo lacu," a carcere sub terra abdito; "de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus," i. e. ne eas amplius et diutius profundi illius carceris cavernae et vincula remorentur, nec inferni poenae tanquam fauces quaedam belluae immanis, saevae ac truculentae detineant; "ne cadant in obscurum" vult dicere: ne post hoc sacrificium factum et oblatum permittas adhuc eas in obscuris terrae carceribus cruciari et quasi denuo in Purgatorii poenas incurrere.[1]

3. At violentia verbis videtur inferri. Quare juxta alios "Ecclesia in illa oratione non considerat statum animarum, in quo de praesenti sunt, sed repraesentat exitum illarum e corpore, [seu inspicit eas in actu agoniae,] et tanquam sisterentur tunc ante tribunal Dei, precatur ut liberentur a poenis inferni praeservative, h. e. ne damnentur, sed perducantur in Paradi-

[30] Jure videtur adnumerandum huic parti sacrificii praeparatoriae seu Missae Catechumenorum, potius quam Missae fidelium, quamvis Symbolum Catechumenis et infidelibus non communicaretur. Tempore, quo inserebatur, ipsa disciplina Missae Catechumenorum non amplius vigebat. Missa fidelium oblatione seu Offertorio semper incipiebat.

[1] I. Azor.

sum, et ideo cum primum sit jam factum, ordinatur oratio ad obtinendum secundum atque adeo ad liberationem a poenis Purgatorii."[2]

[2] Pasqualigo et plures alii.

Card. Wiseman: "The service of the Church is throughout eminently poetical. Not a portion of its Office is without some hymn, often of singular beauty; and it would be easy to point out a tendency to poetical construction even in many of its prayers, litanies, and antiphons. But the dramatic power, such as I have described it, runs through the service in a most marked manner, and must be kept in view for its right understanding. Thus, for example, the entire service for the dead, office, exequies, and mass, refers to the moment of death, and bears the imagination to the awful crisis of separation between body and soul. No matter that the anniversary of one deceased be commemorated a century or more after his death, and its object be to obtain release from a place of temporary chastisement, where, at least, his eternal lot of happiness is secured; the prayers of the Church represent him as in peril, struggling against foes, upon the edge of a dismal pit of endless woe. In the pathetic Offertory of the Mass, our Savior is entreated to 'save him from the lion's mouth, lest hell should swallow him up, and he fall into darkness.' In the Gradual, he is implored to absolve the dead from sin, 'that they may escape the judgment of his vengeance;' and through the Office the versicle is repeated: 'From the gates of hell snatch their souls, O Lord!' In like manner, words of the most solemn expression are put into the mouths of the departed; which represent them as still engaged in doubtful contest. All this is exceedingly awful and beautiful, when considered in the light I have suggested, as transporting us to that scene where the real reckoning between justice and mercy takes place, and working up our feelings of fervor and earnestness to that intense energy, which a prayer at that decisive moment would inspire.

"In like manner, and with the same beautiful spirit, the Church prepares us during Advent for the commemoration of our dear Redeemer's birth, as though it were really yet to take place. We are not dryly exhorted to profit by that blessed event, and its solemnization; but we are daily made to sigh with the Fathers of old, 'Send down the dew, ye heavens, from above, and let the clouds rain the Just One: let the earth be opened, and bud forth the Redeemer!' The Collects on three of the four Sundays of that season begin with the words, 'Lord, raise up Thy power and come;' as though we feared our iniquities would prevent His being born. . . . The shepherds are desired, in poetical language, to declare what they have seen; and all the glories of the day are represented to the soul as if actually occurring." (Offices and Cerem. of Holy Week. Lect. 2.)

4. **Oblatione** materia sacrificii, panis et vinum, eximitur ab usu profano et ordinantur dona sacranda Deo per subsequentem transubstantiationem; "panis et vinum aptantur et quasi meliorantur, ut sint condigna materia, quae in Corpus et Sanguinem Christi convertantur. Si enim vestes et templum ac vasa Ecclesiae benedicuntur et sanctificantur, ut sint apta instrumenta divini obsequii, quanto rationabilius est, panem et vinum ante consecrationem benedici, ut sint *apta* materia transubstantiationis supermirabilis atque divinae. Nam et aliorum sacramentorum materiae propter reverentiam sacramenti ante usum suum sanctificantur, ut aqua baptismi vel chrisma seu oleum."[3] Ipse Christus in ultima Coena prius panem et vinum "benedixit," et "gratias egit;" quae "benedictio" et "gratiarum actio" ab ipsa consecratione distincta fuit. (Vide supra.)

5. Ante saeculum XII. perficiebatur sub silentio usque ad Orationem quae *Secreta* nuncupatur; immo et nunc oblatio fit tantum "mente concepta," quando ob defectum intra Missam nova materia sit apponenda.[4]

139. Quinque Orationes *Suscipe Sancte Pater, Offerimus, In spiritu humilitatis, Veni Sanctificator, Suscipe sancta* Trinitas, exprimunt oblationis causas pluresque expressiones continent, quae anticipando exprimunt id, in quod subsequenti transubstantiatione panis et vinum sit convertendum, e. g. *immaculata hostia,* i. e. victima Corpus Christi: *calix salutaris* seu salutis, i. e. Sanguis Christi pro salute mundi effusus *sacrificium,* etc. Respicitur et Corpus Christi mysticum [seu fideles] pane et vino praesentatum. "Sicut enim panis ex multis granis et vinum ex multis uvis conficitur, ita ex multis fidelibus unum corpus Christi mysticum coadunatur."[5] Sacerdos se ipsum et fideles Deo offert. "Sanctifica . . hujus oblationis hostiam, et per eam nosmetipsos tibi perfice munus aeternum."[6] "In spiritu humilitatis . . . suscipiamur a te."

2. Ritus infra oblationem verbis correspondet: attollit Sacerdos patenam cum hostia (postea calicem), oculos elevat, ut offerat aeterno Patri actione, voce et aspectu; deponitque

[3] Dion. Carthus.
[4] Rubr. de Def. III. 4.
[5] Schouppe.
[6] Secreta festi SS. Trinit.

formando signum Crucis, quasi victimam super Crucem reclinaret.

3. *Vino miscetur aqua,* quia ita peregit Dominus secundum morem orientalem in ultima Coena, necnon ex ratione mystica in memoriam aquae quae cum sanguine ex latere ejus in Cruce exivit. Per medium aevum "calix ad dextrum latus oblatae (i. e. hostiae) ponebatur, quasi Sanguinem Domini suscepturus, quem de latere dominico profluisse credimus."[7] Praeterea, juxta Orationem *Deus qui humanae substantiae* mixtio aquae cum vino repraesentat unionem Verbi divini cum humanitate per incarnationem, atque unionem cum fidelibus per gratiam. Quare aqua fidelem populum repraesentans benedicitur.

4. Numerus pluralis, *Offerimus,* adhibetur, quia "in Missa solemni etiam Diaconus recitat, qui vinum in calicem infundit et divinum sanguinem olim populo administrabat; at formulae pro Missa solemni institutae in privata non mutantur."[8]

5. Oratio *In spiritu humilitatis,* etc. fuit trium puerorum,[9] dum ambulabant in medio flammae; atque a Sacerdote positione humilitatis, i. e. corporis inclinatione recitatur. Statim vero erectus Sacerdos, manibus et oculis in coelum elevatis invocat Spiritum Sanctum: *Veni Sanctificator, . . . et benedic,* etc. Indubie hoc loco Spiritus Sanctus invocatur; in Missali enim mozarabico haec Oratio audit: "Veni sancte Spiritus sanctificator: sanctifica hoc sacrificium de manibus meis tibi praeparatum;" porro verbum *veni* non applicatur Patri, sed Spiritui Sancto qui mittitur a Patre et Filio; sanctificatio per appropriationem adscribitur Spiritui Sancto.

6. Invocatur, ut *benedicat.* "Benedicere est *bonum dicere.* Contingit autem bonum dicere *tripliciter.* Uno modo enuntiando, puta cum quis bonum alterius laudat. Alio modo *imperando,* et sic benedicere per auctoritatem est proprium Dei, cujus imperio bonum ad creaturas derivatur; ministerium autem pertinet ad ministros Dei, qui nomen Domini super populum invocant. Tertio benedicit quis *optando,* et secundum hoc benedicere est bonum alicui velle et quasi bonum pro aliquo precari."[10] Invocatur igitur Spiritus Sanctus, ut

7 Microlog.

8 Bona.

9 Dan. III. 39 et 40.

10 Thom. Ep. ad Rom. c. 12.

[redacted]

benedicat sensu secundo, i. e. ut consecret panem et vinum, seu "ut ignis S. Spiritus delabatur,[11] absumatque panem et vinum et in Corpus et Sanguinem Christi convertat: quo quidem nobis declaratur, quemadmodum Christi corpus Spiritus Sancti opera in virginali B. Mariae utero formatum fuit, ita per eundem Spiritum Sanctum confici super Altari." [12]

7. Talis invocatio Spiritus Sancti pro consecratione, seu *Epiclesis,* continetur in omnibus Liturgiis tum occidentalibus tum orientalibus (in posterioribus plerumque post consecrationem). Petit enim Ecclesia etiam ea quae Deus infallibiliter largiturus est; sunt enim dona omnipotentiae et clementiae quantumvis certo promissa. Ipse Christus, quamvis certo clarificandus, oravit: "Pater, venit hora: clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te." [13]

Pluries adhuc in Missa tam ante quam post consecrationem petuntur ea quae Deus infallibiliter daturus est.[14]

140. De incensatione ad Offertorium valent, quae de priori incensatione ante Introitum exposita sunt. At hoc loco incensatio fit modo solemniori, additis verbis sacris et incensatione oblatorum, Chori et populi.

2. Incensum benedicitur "per intercessionem B. Michaelis Archangeli, etc." qui est, "princeps militiae angelorum, praepositus paradisi, quem honorificant Angelorum cives," [15] custos Ecclesiae militantis. "Michael dicitur Archangelus, non quod sit de Ordine Archangelorum (penultimo), sed quia omnium Angelorum caput et dux est."[16] Pluries in ejus Officiis eccl. repetitur: "Stetit Angelus juxta aram templi habens thuribulum aureum in manu sua."[17]

3. Primo incensantur oblata forma Crucis quia sunt materia pro sacrificio, quod idem est ac sacrificium Crucis, triplici ductu, quia Deo trino offerendum; dein ter thuribulum circulo circum oblata ducitur quia pro toto *orbe,* "pro totius mundi salute" sunt offerenda.

[11] Cf. Levit. 9, 24; et 3 Reg. 18, 38.

[12] Bened. XIV.

[13] Jo. 17, 1. Ita ante decisiones dogmaticas Concilii oecumenici vel S. Pontificis ex cathedra definientis, vel canonizantis invocatur Spiritus Sanctus.

[14] Cf. n. 148, 5.

[15] Off. 8 Maji et 29 Sept.

[16] Molanus.

[17] Cfr. Apoc. 8, 3.

4. Incensantur dein praeter Altare etiam Reliquiae Sanctorum si adsint, tandem Celebrans, Clerus, populus, ut oratio Sanctorum simul cum Celebrantis et omnium adstantium conjuncta ascendat "sicut incensum in conspectu ejus," et descendat super omnes bonus odor gratiae. "Fit incensatio ad repraesentandum bonum effectum gratiae, quia sicut bono odore Christus plenus fuit, ita a Christo derivatur ad fideles secundum illud 2 Cor. 2, 14 *odorem notitiae suae spargit per nos in omnibus;* et ideo thurificato undique Altari, caeteri thurificantur per ordinem."[18] Verba concomitantia *Dirigatur.* etc. (ex Ps. 140) referuntur ad sacrificium incensi quod mane et vespere in templo offerebatur, atque hîc exprimunt dispositionem et affectus (cordis et oris, labiorum) pro sacrificio requisitos.

141. Lotio manuum, i. e. extremitatis digitorum significat munditiem a levissima quoque culpa. "Ablutio manuum sufficit ad significandum *perfectam* mundationem; cum enim manus sit organum organorum, omnia opera attribuuntur manibus."[19] Si vero incensatio facta fuerit, Sacerdos integras manus lavat; tunc enim praevalet ratio perfectae munditiae, ut manus Christi Corpus mox tacturae omnino mundentur a pulvere et fumo in thurificatione contracto.

2. Oratione *Suscipe Sancta Trinitas* dona sacranda Deo trino commendantur exprimendo finem ob quem offeruntur. Ecclesia Graeca commemorat Incarnationem quoque, Nativitatem Domini, Adventum Spiritus sancti; Liturgia Romana solummodo ejus Passionem, Resurrectionem et Ascensionem, quibus mysteriis praecipuae sacrificii partes, immolatio et victimae consumptio optime repraesentantur. "In sacrificiis Judaicis sacrificabatur victima, ejusque sanguis circum altare spargebatur: in Lege nova nostra fuit victima mactata in Cruce, ubi se ipse Christus obtulit Patri in nostrorum expiationem peccatorum, suumque Sanguinem fudit circum Altare, cum sacrum ejus latus lancea transfixum est. In sacrificiis Judaicis victima incendebatur super altare holocaustorum, ut quidquid in ea vitii esset, flammis absumeretur, et fumus ad coelum tolleretur *in odorem suavitatis,* ut sacra

[18] S. Thom. 3. q. 83, a. 5. [19] S. Thom.

Scriptura loquitur. In nova Lege consumpta fuit victima in Christi Resurrectione et Ascensione. Nam in Resurrectione absorptum fuit in Christo, *quod mortale est, a vita,* ut ait Apostolus 2 epist. ad Corinthios, absumptumque fuit quidquid inesse poterat corruptibile; et in Ascensione victima a Deo accepta in odorem suavitatis, et ad ejus dexteram fuit collocata." [20]

In honorem B. M. V. etc., *et istorum,* i. e. quorum reliquiae hic sunt. *Ut illis proficiat ad honorem,* i. e. ut veneratio erga Sanctos in terris augeatur.

3. *Orate fratres* dicens Sacerdos ultimo sese, antequam divinum opus consummet, convertit ad populum, quem ad orandum hortatur tam voce quam gestu; hoc modo (*a*) quasi valedicit adstantibus ingressurus in intimum Sanctuarium, ut divinissima mysteria cum Christo operetur. Olim enim ante Praefationem velo obducto Sacerdos in sanctuario ab oculis fidelium abscondebatur; (*b*) quo proprius ad Consecrationis mysterium acceditur, eo magis oratio et attentio requiritur; (*c*) verba Sacerdotis et responsio fidelium ("fratres" saepius N. T.) pulcherrime fraternitatem Christianam repraesentant.—Olim solummodo proferebat *Orate,* vel *Orate pro me peccatore.* Dicuntur voce media, non alta, ob cantum in Missa solemni.

142. Secreta, quia secreto dicitur, seu oratio "super oblata" [21] per varia Christi mysteria vel Sanctorum intercessionem oblationem propositam, vel (anticipando) sacrificium Deo commendat.

2. **Praefatio** est veluti praelocutio ante praecipuam Orationem, sacrorum mysteriorum consummativam et in Canone contentam; "quasi prologus quidam est et praelocutio sequentis Canonis, captans ipsius Dei in nos benevolentiam."[22] Solemne quoddam canticum est, quo corda adstantium "sursum" provocantur ad coelestium rerum contemplationem, ad gratiarum actionem laudesque Deo ob varia mysteria referendas.[23]

[20] Bened. XIV. De Sacr. M. II. 11.

[21] Sacr. Greg

[22] Clichtov.

[23] Vide expositionem Liturgiae hist. no. 118.

3. **Sanctus.** Quod ut dignius efficiant, invitantur, ut cum Angelis totaque coelesti curia Dei majestatem celebrent, dicentes *Sanctus,* etc., uti Is. 5, 3 in coelo Seraphim "clamabant alter ad alterum." Antiqua versio: "Deus Sabaoth;" Vulgata: "Deus exercituum." Appellatur hymnus Seraphicus seu Angelicus, vel Trisagium;[24] etiam hymnus triumphalis ob secundam hymni partem *Benedictus qui venit,* etc. quibus verbis turbae[25] Dominum in triumphali ingressu acclamabant.

4. Ritus congruit verbis. Ad *Dominus vobiscum* initio Praefationis Sacerdos non se vertit ad populum, quem per *Orate fratres* quasi dimisit, nec olim ob velum circa Altare tunc appensum videre poterat. Manus super Altare sunt depositae ut significetur, omnem terrestrem cogitationem tunc prius esse deponendam, et veluti cum Angelis in coelo ingrediendum in nubem coelestium cogitationum. In reliquis caeremoniis ad Praefationem, *Sanctus* et *Benedictus* significatio facile patet.

ART. VI.

DE CANONE SEU A "TE IGITUR" USQUE AD "PATER NOSTER."

143. Canon, seu "Actio," vel "Sanctissimae actionis Mysterium" incipit a *Te igitur* et juxta veriorem sententiam[1] desinit ad *Pater noster,* i. e. ad praecedens *Per omnia saecula,* etc. "Ecclesia Catholica sacrum Canonem multis ante saeculis instituit, ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quod non maxime sanctitatem et pietatem quamdam redoleat."[2]

2. Canon in Ecclesia occidentali secreta voce recitatur, "ne sacra verba vilescant."[3] Atque tale profundum silentium, tribus tantum vocibus interruptum, divini Numinis cultum

[24] Aliud Trisagium in precibus ferial. ad *Primam:* "Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miserere nobis;" et aliud Feria VI. in Parasceve latine et graece ad Improperia: "Agios o Theos, Agios ischyros, Agios athanatos, eleison imas."

[25] Matth. 21.

[1] Bened. XIV.

[2] C. Trid. Sess. 22.

[3] Innoc. III.

maxime decet, ut ait Propheta: "Sileat omnis caro a facie Domini."[4] "Si quis dixerit, Ecclesiae Romanae ritum, quo submissa voce pars Canonis et verba consecrationis proferuntur, damnandum esse, anathema sit."[5]

3. Prima Canonis Oratio comprehendit tres partes: *Te igitur,* dein *Memento* pro vivis, atque *Communicantes,* concludendo more solito *Per eumdem Christum.* Secunda oratio: *Hanc igitur;* tertia: *Quam oblationem* usque ad finem Consecrationis.

4. In prima Oratione Sacerdos supplicat (*a*) in priori parte, *Te igitur,* ut Pater per Filium oblata sacranda accipiat (vide 139, 7), pro Ecclesia militante, pro publicis Ecclesiae personis; (*b*) pro iis qui Sacerdoti specialiter conjuncti sunt (*Memento* pro vivis); (*c*) in tertia parte supplicationes istae pro Ecclesia militante (in genere et in specie) communicatione cum Ecclesia triumphante efficaciores redduntur (*Communicantes*). Ita Christus summus Sacerdos in institutione Sacrificii eucharistici, oblaturus sacrificium Crucis, grandi ista oratione oravit pro discipulis et tota Ecclesia militante, ut Pater servet omnes in unitate, veritate et gratia, ut ad gloriam coelestem in Ecclesiam triumphantem perveniant. "Sublevatis oculis in coelum dixit: Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te, . . ut det eis vitam aeternam . . Ego pro eis rogo . . Sanctifica eos in veritate. . Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint . . ut videant claritatem meam" (Joan. 17.).

5. Primo igitur orat Sacerdos, ut Deus acceptet, et benedicat haec dona ad totius Ecclesiae fructum et utilitatem; ut ita duplex sacrificii finis obtineatur, gloria Dei et salus animarum. Sunt *dona,* i. e. a Deo nobis donata; *munera* a nobis Deo oblata: *sancta sacrificia* per anticipationem seu initiative, quia praeparantur in sacrificium.

Deinde orat pro Ecclesia, pro Pontifice, etc., pro "fidei cultoribus," i. e. iis, qui verbo, vel scripto Ecclesiam tuentur, et ad eam infideles et haereticos adducere conantur.[6]

144. Memento, i. e. "ut Deus per modum recordantis se habeat, reminiscendo misericordiae suae et subveniendo in

[4] Zach. 2, 13. [5] C. Trid. Sess. 22. [6] Romsée.

omni tribulatione et necessitate et tribuendo dona gratiarum,"[7] ut ait Psalmista: "Memento nostri, Domine, beneplacito populi tui: visita nos in salutari tuo."[8]

2. Olim appellabatur *Oratio super Diptycha,* quae erant binae tabulae sibi junctae, quae instar libri claudebantur (diptycha=bis plicata). In prima tabula inscribebantur nomina vivorum, qui dignitate erant illustres vel de Ecclesia optime meriti, atque eximii ex iis qui suas ad sacrificium oblationes deferebant. In altera tabula nomina defunctorum inscribebantur, qui in Ecclesiae communione ex hac vita demigrarunt. Juxta alios[9] diptycha erant asseres divisi in partes tres, ita sibi juncti, ut complicari possent, in quorum primum quorumdam Sanctorum et praesertim B. Virginis, Apostolorum et Martyrum, in alterum fidelium viventium nomina referebantur; tertius asser habebat nomina defunctorum, ut supra. Legebantur vero nomina praecipua per Diaconum vel Subdiaconum, in Missa privata per Celebrantem. Excommunicati nomen expungebatur.

3. Hoc *Memento* fit nomine Ecclesiae, non solum privato; attamen Sacerdos privatim addere et pro excommunicatis vitandis quoque orare potest. "Licet Sacerdos celebret *totam* Missam ut publica persona ac nomine Ecclesiae, atque etiam *Memento,* adhuc tamen potest inserere privatam supplicationem."[10]

4. *Pro quibus tibi offerimus vel (=et) qui tibi offerunt,* nempe spiritualiter et mediate.

5. *Communicantes* jungitur cum praecedentibus in *Memento* hoc modo: "offerimus vel tibi offerunt" quâ tales qui communicamus, i. e. Ecclesiae communionem habemus hic in terra et cum Sanctis tuis quorum propterea "memoriam veneramur" et per eorum intercessionem exaudiri petimus.[11]

Nominantur post B. Virginem 12 Apostoli et 12 Martyres Ecclesiae Romanae; Martyres tantum, quia Canon editus est antequam Confessorum memoria celebraretur. Martyres congrue commemorantur, quia effuso sanguine imitati sunt passionem et mortem Christi quae hoc Sacrificio recolitur. S. Paulus in Liturgia non sejungitur a S. Petro: "Quomodo in

[7] Dion. Carth.
[8] Ps. 105.
[9] E. g. Benedictum XIV.
[10] Pasqualigo de sacrif. N. L. Tract. I. q. 145.
[11] Cf. Suarez, In III, 83, 2.

vita sua dilexerunt se, ita et in morte non sunt separati" S. Mathias vero post Consecrationem nominatur.[12]

6. Ritus vel caeremoniae intra Canonem praecipue Passionem Domini commemorant. In plerisque Missalibus imago Crucifixi memoriam Dominicae passionis inspirat.—Per totum fere Canonem Sacerdos orat brachiis extensis imitans Christum in Cruce se ipsum sacrificantem. Saepius format signa Crucis. Initio Canonis "terna Crucis signa sunt verae benedictiones, quibus Dei invocatur omnipotentia, ut oblata in Corpus et Sanguinem Christi convertat. Ternarius autem signorum Crucis numerus hocce mysterium a S. Trinitate perfici indicat."[13] Immediate ante consecrationem iterum super oblata formantur tria Crucis signa, quibus adduntur singulae Cruces super hostiam et calicem, ita ut numerus quinarius in memoriam quinque vulnerum compleatur.

145. Ad secundam Orationem **Hanc igitur** Sacerdos manus extensas tenet super oblata, in Corpus et Sanguinem Christi mox convertenda, significans Christum tanquam victimam piacularem pro nobis substitui; qui ritus fit juxta legem veterem (Levit. IV.), quo Sacerdotes manus super victimam pro populo culpabili immolandam ponere jussi sunt.

2. Hac Oratione "Sacerdos orat Deum, ut ipsam oblationem panis et vini accipiat ut materiam sacrificii futuri et eam videlicet benedicat et sanctificet." [14] Deinde "tria bona postulantur a Deo; primum temporale [pax], secundum perpetui mali devitatio; tertium perpetui boni adeptio. In horum trium bonorum postulatione profitetur Ecclesia, Deum esse universorum Dominum, et in triplicem mundi machinam extendi supremum ejus principatum, in terris, in inferis, in coelis." [15]

146. Tertia Oratio **Quam oblationem** prius conclusionem et quandam recapitulationem oblationum praecedentium continet. Petit Sacerdos, "ut ex pane Corpus et ex vino fiat Sanguis Christi, ut hoc modo ac per talem transmutationem oblatio ipsa panis et vini fiat *benedicta;* [16] illa enim est summa bene-

12 Cf. n. 56, 4.
13 Caval. Cf. n. 139, 7.
14 Bellarm. De Missa, II. 22.
15 Clicht.
16 Cf. n. 139, 6.

dictio et sanctificatio, quae in illam materiam supervenire potest, unde ipsamet consecratio *benedictio* solet a Patribus appellari." [17] Deinde "transiens ad partes a toto, particulariter subjungit *adscriptam, ratam, rationabilem* et *acceptabilem,* quae sunt partes omnimodae benedictionis." [18]

2. Praesertim vero per *oblationem,* anticipando, intelligendum est Corpus Christi tam naturale quam mysticum, seu Ecclesia. Proinde

(*a*) "Sacerdos nomine Ecclesiae orat, ut panis et vinum convertantur in Corpus et Sanguinem Christi; qua transubstantiatione oblatio fit *benedicta,* quia Christus est victima a Patre sanctificata et benedicta, *adscripta,* quia Christus est victima divinae majestati penitus devota et addicta, *rata* quia ipse est victima a Patre tamquam perfecte adprobata, *rationabilis et acceptabilis,* quia ipse est aeterna ratio et Deo Patri infinite placens, ad differentiam victimarum irrationalium, per se Deo non placentium, quae in antiqua lege offerebantur." [19]

(*b*) Per *oblationem* intelligens Corpus Christi mysticum, seu fideles "Sacerdos orat, ut nos ipsi in omnibus simus *benedicti* gratiis divinis, *adscripti* servitio, rationabiles, corpus et passiones, rationem Deo subdendo (Rom. 12, 1), et *acceptabiles,* digni, ut in vitam aeternam acceptemur; *ut nobis corpus et sanguis fiat D. N. J. Ch.,* scil. ut consecratio et oblatio nobis fiat fructuosa." [20]

147. Consecratio. Ad verba *Qui pridie quam pateretur* incipit Consecratio, qua coelum aperitur et Filius Dei cum Angelis suis in Altare descendit. "Verba Consecrationis dicuntur et *recitative* et *formaliter* seu *significative* [assertive]. Sacerdos enim et commemorat, quae verba Christus in ultima Coena dixerit, et intendens ea applicare materiae praesenti, ac facere, quod significant, simul exercet actum suae potestatis. Atque hinc est, quod propriissime dicatur conficere in persona Christi, quia non tantum utitur potestate a Christo accepta, sed eam exercet ejus personam repraesentans, et loquens ejus verbis, quasi esset ipsemet Christus." [21]

17 Suarez.
18 Odo Cam.
19 Müller, Theol. Mor. III. 1.
20 Ibid.
21 Sylvius in III. S. Thom.

2. Per consecrationem fit "victimae oblatio realis et substantialis," et sacrificio intrinseca. "Consecratio est vere sacrificativa, quia per eam ex vi verborum separatur Corpus a Sanguine; licet enim per concomitantiam sit idem sub utraque specie, hoc tamen est per accidens: nam verba, quantum est *de se*, separant Corpus a Sanguine et instar gladii mystici dissolvunt illud compositum atque ideo sacramentaliter mactant illud, et ponunt in Altari tanquam victimam occisam et mactatam." [22]

3. Verbis quae a Sacerdote proferuntur, actiones correspondent. Sacerdos extergit priores utriusque manus digitos,—olim lavabat manus. ("O quam mundae debent esse manus illae!" Thom. a Kemp.) Dicens: *accepit panem,* hostiam accipit; elevat oculos ad *et elevatis oculis in coelum.*[23] "Hac benedictione Christus petebat panis sanctificationem et transmutationem mox futuram; unde quamvis Evangelistae nunc benedictionem, nunc gratiarum actionem nominent, quia Christus eas conjunxit (*gratias agens benedixit*), diversae tamen sunt, et inter se et a consecratione. Benedictio enim ad symbola refertur, gratiarum actio autem ad Deum." [24]

4. *Fregit deditque,* scilicet post consecrationem [25] . . . dicens: *Hoc est enim corpus meum.* Sacerdos inclinatus super Altare, quo unio ejus cum Christo significatur, profundo silentio, i. e. secreta voce pronuntiat sacratissima illa verba: et Verbum incarnatum dicit: *Ecce adsum.* En victima Calvariae, Corpus Domini, quod solum vi verborum praesens est.

5. Statim Sacerdos Deum absconditum genuflexus adorat, et elevat hostiam a populo adorandam. "Dominum hunc adorare debet adeo profunda reverentia, ut cor suum usque ad ipsum abyssum humiliet, quasi desiderans in terrae profundum descendere ob tantae majestatis reverentiam. Et memor, quod Angeli descendant e coelo, ut hic Domino in sacrificio adsint [S. Greg. et S. Chrysost.], cogitare debet, in eo momento se circumdari Angelorum exercitu, et simul cum illis adorare et laudare communem omnium Dominum et Creatorem."[26]

6. Deinde per ipsissima verba Christi: *Hic est enim calix*

22 Sent. communior, Lessii, etc.
23 Cfr. Marc. 6, 41.
24 Sylvius in III. S. Thom.
25 Cf. n. 120.
26 L. de Ponte.

Sanguinis mei, etc. fit transubstantiatio vini in pretiosissimum Sanguinem Christi. Ista verba non ex s. Scriptura desumpta, sed ab ipso Apostolo (S. Petro) pro S. Liturgia instituenda sunt tradita. "Dicendum est, omnia illa verba [etiam *aeterni* testamenti, *mysterium fidei; haec quotiescunque*] esse prolata a Christo. Haec est communis sententia et mihi certa."[27] "Licet haec verba non spectent ad essentiam formae, tamen pertinent ad ejus integritatem." [28]

7. Elevatio hostiae et calicis olim fiebat in fine Canonis tantum ad verba *omnis honor et gloria* (nunc "elevatio minor"); at initio saeculi XII. introducta est elevatio hostiae (major) immediate post Consecrationem, nec multo post elevatio calicis, in testimonium fidei catholicae, occasione heresis Berengarii. Mystice praesertim significat exaltationem Christi in Cruce ejusque sanguinis effusionem. (Joan. 12, 32.)

148. Prima Oratio post Consecrationem tres partes continet:
(*a*) *Unde et memores;*
(*b*) *Supra quae;*
(*c*) *Supplices.*

"Facta *reali* et *substantiali* oblatione victimae per Consecrationem, eandem [Sacerdos] confirmat et perficit repetita oblatione *verbali,* nempe Oratione, quae incipit: *Unde et memores* . . . et aliis subsequentibus, additis etiam sacris ritibus in eundem finem;" [29] e. g. signo Crucis, fractione hostiae.

2. Ultimis Consecrationis verbis seu mandato Domini: *in mei memoriam facietis,* obediens Ecclesia (Celebrans) statim prosequitur: "*Unde" et memores.* Cum passione Christi commemoratur etiam resurrectio et ascensio ejusdem.[30] "Passio, cujus memoria charitatem inflammat; resurrectio quae fidem confortat; ascensio, quae spem nostram corroborat."[31]

3. Commendat Sacerdos victimam aeterno Patri et per eam dona petit:

(*a*) Commendat multiplicando signa Crucis, non quidem ut victimae benedicat, sed ut significet hanc esse victimam Calvariae, vere passam, immolatam in Cruce pro homine, ut

[27] Suarez, In III. disp. 60, 3.
[28] Corn. a Lap.
[29] Quarti.
[30] Rationem vide supra ad *Suscipe S. Trinitas,* n. 141, 2.
[31] Dion. Carth.

quinque vulnera pendentis in Cruce recolantur. Etiam benedicit in Christo omnia ejus membra quae unum corpus sunt in Christo, et offeruntur in hoc sacrificio, ut gratia capitis abundanter super illa effundatur.[32] "Christus est *hostia pura*. electos suos purificans; *hostia sancta,* dilectos suos sanctificans; *hostia immaculata,* maculas nostras purgans; *panis vitae aeternae,* angelos et homines reficiens, et *calice* sui praeclari sanguinis inebrians et perfundens." [33] "Ut ante Consecrationem petitur, ut materia fiat benedicta, adscripta et rata, sic et consecrata Hostia, nempe Christus offertur tamquam *Hostia pura,* ad differentiam sacrificiorum gentium, quae impura erant et corrupta: *sancta* ad differentiam oblationum veteris Legis, quae non erant eatenus sanctae, ut animam sanctificarent, sicuti haec nostra, quae tollit peccata mundi; et ideo subditur *immaculatam,* ob id enim, quod Christus fuit Agnus innocens, qui peccatum non fecit, tollit peccata mundi, quod est homines sanctificare. Est ergo hostia pura et purificans, sancta et sanctificans, immaculata et maculas tergens. Quod vero demum adjungitur: *panem vitae aeternae, et calicem salutis perpetuae:* definitio et explicatio est ejusdem hostiae, ut enim Sacerdotes veteris Legis de Sacrificiis edebant, quibus vitam temporalem sustentabant, sic Christiani esu et potu sacrosancti Sacrificii spiritualem atque adeo aeternam salutem sibi comparant." [34]

4. (*b*) Commendat Sacerdos victimam Patri (per Or. *Supra quae*), revocando memoriam trium sacrificiorum, quae ab origine mundi accepta habere dignatus est nempe Abel. Abrahae et Melchisedech, "qui figuram Passionis Christi, immo et Coenae ejus sanctissimae proprie repraesentant." [35] Orat Sacerdos, ut Deus *propitio ac sereno vultu respicere dignetur* (cf. Gen. 4, 4) supra haec dona Corporis et Sanguinis Christi; "etsi Patri Deo semper accepta est oblatio tum ex parte rei, quae offertur, tum ex parte Christi, qui est oblator praecipuus; tamen cum possit contingere, ut ex parte vel Sacerdotis vel populi non sit accepta, propterea Sacerdos Deum deprecatur, ut propitio et sereno vultu oblata respiciat;" [36] orat, ut Sacerdotis actio atque devotio sic placeat

[32] Cf. Bossuet, Explication de q. diff. de la Messe.

[33] S. Bonavent. Exp. Miss c. 4.

[34] Soto.

[35] S. Bonav.

[36] Bened. XIV.

Deo, ut antiquorum patrum devotio (devotio in Abel, fides in Abraham, religio in Melchisedech), vel ut interpellante Filio *nobis* Deus fiat placabilis et propitius.

5. (*c*) Commendat per *Supplices* victimam Patri, ut perferatur per manus Sancti Angeli *in sublime Altare* Dei, i. e. in sublime illud et spirituale Altare de quo in Apoc. 8, 3, "altare aureum quod est ante thronum Dei." Filius enim Dei assumendo naturam ex sinu Virginis sibi victimam paravit, eique vi unionis hypostaticae valorem praebuit infinitum. Passione et cruenta morte haec victima in Cruce est immolata et quasi destructa. Resurrectione et ascensione haec victima in perfectissimam et aeternam Dei transiit possessionem; sic completum est holocaustum et elevatum in sublime Altare Dei. "Tunc immolavit Christus solemnem hostiam, quum se aeterno Patri per glorificatae carnis materiam in coelo exhibuit." (S. Greg.)[37]

6. Suppliciter igitur rogatur Deus Pater, ut hoc sacrificium in Altari etiam ex parte Sacerdotis et populi sit acceptabile, ut "hostia solemnis" ipsi acceptabilis est. "Tunc a Deo hostia quasi acceptatur quando Deus nobis propitiatur et coelestis benedictio nobis ab eo mittitur." [38] At quomodo haec delatio mystica in "sublime Altare," quomodo haec unio inter hoc sacrificium Ecclesiae militantis cum coelesti sacrificio perficitur? Quis est sanctus angelus? "Tantae sunt profunditatis haec verba, ut intellectus humanus vix ea sufficiat penetrare."[39] S. Thomas scribit: "Sacerdos non petit, neque quod species sacramentales deferantur in coelum, neque Corpus Christi verum, quod ibi esse non desinit, sed petit hoc pro Corpore mystico (quod scilicet in hoc Sacramento significatur), ut scilicet orationes Sacerdotis et populi Angelus assistens divinis Mysteriis Deo repraesentet."

7. Per "sanctum Angelum" intelligunt S. Thomas pluresque theologi ipsum Christum, "magni consilii Angelum," qui mysticum Corpus cum Deo Patre et Ecclesia triumphante con-

[37] One sacrifice has for ever redeemed the world, and is offered continually in heaven and on earth: in heaven by the only Priest, before the Eternal Altar; on earth by the multitude and succession of priests who are one with Him as partakers of His priesthood.—Card. Manning, The Eternal Priesthood.

[38] B. Odon.

[39] Innoc. III.

[redacted]

jungit;[40] alii vero non pauci per hunc "sanctum Angelum" intelligunt Spiritum Sanctum, "missum" (angelus=nuntius, missus). Uti Spiritui sancto per appropriationem adscribitur consecratio (pariter ac incarnatio), sic per ipsum ex hoc sacrificio "omni benedictione coelesti et gratia repleamur." Praeterea dicunt hanc Orationem correspondere *Epiclesi* seu celeberrimae isti invocationi Spiritus Sancti, quae in nulla omnino antiqua Liturgia deest. (Cf. n. 139, 7.)

Denique multi "Sanctum Angelum" intelligunt sensu literali, aliquem ex coelestibus spiritibus cui ex officio incumbat sacrificanti adesse, eum adjuvare, dirigere ejusque preces Deo offerre (Apoc. VIII. 3, 4), sive angelus praeses templi aut Altaris, sive Angelus custos Celebrantis, sive alius a Deo ad id constitutus, sive numerus singularis positus pro plurali: "ministerio angelorum."

8. Infra hanc Orationem *Supplices* Sacerdos per modum humiliter supplicantis profunde inclinatus junctas manus super Altare tenet. De tribus Crucis signis super hostiam, calicem et ipsum Sacerdotem S. Thomas docet: "Repraesentatur extensio Corporis, et effusio Sanguinis, et fructus Passionis per trinam crucesignationem, quae fit super illis verbis: *Corpus et Sanguinem sumpserimus, omni benedictione,* etc."

149. *Commemoratio* seu **Memento pro Defunctis**, seu Oratio super diptycha (de qua supra n. 114, 2). Pro vivis fit commemoratio ante Consecrationem, quia quasi offerunt ("qui tibi offerunt"); defunctis tamen a nobis fructus applicantur. Fit pro iis, "qui nos praecesserunt cum signo fidei;" excluduntur igitur qui extra communionem Ecclesiae mortui sunt, pro quibus Ecclesia non nominatim orat, sed in genere tantum *pro omnibus in Christo quiescentibus,* i. e. etiam pro haereticis, etc., materialibus vel vera contritione reconciliatis. "Facile stat, ipsum Sacerdotem talem caeremoniam (sc. Memento) ut personam publicam perficere et sacrificium ex persona Ecclesiae Deo offerre—et tamen simul ut privatum illud ipsum offerre Deumque per ipsum pro aliquo deprecari."[41]

2. *Dormiunt in somno pacis,* i. e. decesserunt in pace fidei catholicae (inscript. in antiquis sepulchris), et resurrecturi.

[40] Bened. XIV. [41] Coninck.

Animae in purgatorio pacem et quietem habent, utpote certae de aeterna beatitudine et liberae a tentationum bello; at flammis torquentur, a divino conspectu arcentur; quare *refrigerium,* i. e. liberationem a poena sensus, *lucem* seu aeternam gloriam ("claritas Dei illuminavit eam, et lucerna ejus est Agnus,"[42]) atque *pacem* seu felicitatem perfectam ("beata pacis visio") ipsis deprecamur.

3. Ad *Per eumdem Christum,* etc. caput inclinatur, per exceptionem, etsi nomen Jesu non exprimatur; "quia ibi sermo est de quiescentibus in Christo, seu mortuis cum Christo, qui inclinato capite tradidit spiritum, et ad liberandos defunctos descendit." [43]

150. Nobis quoque peccatoribus est sexta seu ultima Canonis Oratio, in qua Sacerdos ad exemplum Publicani signo et voce orat pro se et Ecclesia militante, ut *partem aliquam* ("Pars mea Deus in aeternum")[44] *et societatem* cum Ecclesia triumphante Deus donet. In hac commemoratione Sanctorum postulamus eorum "consortium" in coelo, in commemoratione vero ante Consecrationem seu *Communicantes* Sanctorum patrocinium invocamus; quare *Communicantes* istud dicitur commemoratio ad *suffragium,* haec altera vero ad *consortium.*

Nominantur Martyres tantum, 8 Sancti et 7 Sanctae.[45]

2. Conclusione Canonis *Per quem haec omnia, Domine, semper bona creas,* etc. omnia divina beneficia quoad sacrificium Missae breviter comprehenduntur iterumque commemorantur.[46] Deus per Filium *creat* haec bona, nempe panem et vinum (quorum accidentia adsunt); *sanctificat* acceptando illa (oblatione) in materiam consecrationis, quo fit, ut ex usu profano in usum sanctum transeant; *vivificat* per verba Consecrationis, quibus substantia panis et vini convertitur in substantiam Corporis et Sanguinis Christi, ipsius auctoris vitae, qui est "panis vivus et vitalis, vitam praestans homini:" *benedicit,* quatenus hoc Sacramentum est fons omnis gratiae

[42] Apoc. 21, 23.

[43] Cavalieri, III, 11.

[44] Ps. 72.

[45] Cf. n. 61.

[46] Olim hoc loco certis diebus etiam fruges quaedam ad Altare benedicebantur, uti nunc Feria V. in Coena Domini Episcopus Oleum infirmorum benedicit, priusquam haec verba dicat.

et benedictionis, et *praestat* nobis per Communionem, qua gratia et omnibus bonis replemur.

3. Signa Crucis significant, sanctificationem, vivificationem et benedictionem esse fructus Crucis et Passionis Domini nobisque ex virtute meritisque Passionis provenire.

4. *Per ipsum,* quia Christus, ut Deus-Homo, est mediator inter Deum et homines, et *cum ipso,* quia est persona divina a Patre et Spiritu Sancto distincta, et *in ipso,* quia (per "circuminsessionem") est unus Deus cum Patre et Spiritus Sancto, *est tibi Deo Patri omnipotenti, in unitate Spiritus sancti omnis honor et gloria. Per omnia saecula saeculorum.* Ad priora verba *per ipsum,* etc. Sacerdos format tres Cruces intra labia calicis super sanguinem, et prosequens *est tibi Deo Patri,* etc. duas Cruces format extra calicem, significans hoc ritu, quod solus Filius ut homo sanguinem fuderit, non vero Pater et Spiritus Sanctus.

Ad verba *omnis honor et gloria* Sacerdos elevat calicem et hostiam, ut hoc quod ore exprimit, actione demonstret.[47]

Hic finitur Canon, et incipit praeparatio ad Communionem.

ART. VII.

AB ORATIONE DOMINICA USQUE AD FINEM MISSAE.

151. Oratio Dominica quasi conjungit partem praecedentem, in qua primaria ratio sacrificii: *Sanctificetur nomen tuum,* etc., cum subsequenti parte in qua praecipue intenditur sanctificatio hominis per SS. Eucharistiae participationem: *Panem nostrum quotidianum,* etc. Oratio Dominica, "Breviarium totius Evangelii"[1] juxta S. Hieronymum ex ipsius Christi institutione in Liturgia recitatur: "Sic docuit discipulos suos ut quotidie in Corporis illius sacrificio credentes audeant loqui: Pater noster, qui es in coelis, etc." In omnibus Liturgiis praemittitur praefatio quaedam: *praeceptis salutaribus,* etc. vel quid simile.

In fine Sacerdos secreto respondet *Amen,* de quo Catech. Rom.: "Ecclesia in sacrificio Missae, cum pronuntiatur Ora-

[47] Cf. n. 147, 7.

[1] Tertul.

tio Dominica, non rei sacrae ministris, quorum partes sunt illa: *sed libera nos a malo,* attribuit hanc vocem *Amen,* sed ipsi Sacerdoti accommodatam reservavit; qui cum Dei et hominum sit interpres, Deum exoratum esse populo respondet."

2. Ultimam petitionem magis explicat *Libera nos,* etc., quod vocatur *Embolismus,* i. e. insertio, intercalatio. Mala *praeterita,* quae in sui causa vel radice quidem transierunt, in aliquibus tamen effectibus vel reliquiis remanent, ut peccata semel actu commissa in sui macula vel obligatione ad poenam vel ad bonum imbecillitate: *praesentia* vel *futura,* quae in aliquo periculo vel praesenti vel futuro nobis imminent, per Dei tamen clementiam avertenda. Juxta Bened. XIV. mala praeterita sunt peccata; praesentia vero variae tentationes, futura sunt poenae peccatis debitae, sive temporales sint, sive aeternae. Cum peccato autem vera pax esse nequit. Orat igitur Sacerdos ut Deus det *nobis propitius pacem,* tum internam cum Deo: *ut a peccato simus semper liberi,* tum externam: *ab omni perturbatione securi.* Interim se signat signo Crucis cum patena, "quia patena significat lapidem superpositum monumento, et ideo *mortis Christi* memoriam excitat, qua redempti ab inimicis pacem adepti sumus." [2] Osculatur patenam, tum ex eo quod osculum est signum pacis, tum in venerationem instrumenti quod mox Corpus Domini recipere debet.

152. De fractione S. Hostiae, ejusque commixtione in calice. Qui ritus ab ipso Domino institutus in omnibus Liturgiis continetur.[3] *Fractio panis* olim significabat totam actionem sacrificam simul cum S. Communione.[4] In ordinatione Pontifex Neo-Presbyteros admonet, "ut diligenter totius Missae ordinem, atque hostiae consecrationem, ac fractionem, et communionem . . discatis." [5]

2. Hostiae fractio exhibet mortem Christi, commixtio vero in calice simul cum conjunctione partium ejus resurrectionem designat. "Dum hostia frangitur, passio Christi ad memo-

[2] Quarti.

[3] Vide supra Expos. histor. n, 121, 2.

[4] Cfr. Act. 2, 42, et 20, 7, 11; dein 1 Cor. 10, 16.

[5] Pontif. Rom.

riam redit." [6] Christus enim in Cruce "attritus est propter scelera nostra" [7] in sacrificium cruentum dum anima a corpore separata est. "Frangitur autem supra calicem ad significandum, quod in fractione, h. e. in vulneratione Corporis Christi, Sanguis, qui in calice tenetur, continue fluxit de Corpore." [8] In tres vero partes s. hostia dividitur, vel in honorem SS. Trinitatis, vel, quia Corpus Christi mysticum est Ecclesia militans, patiens, triumphans.

3. Praeterea fractio hostiae etiam praeparat Communionem; frangere enim panem significat praeparare cibum. "Frange esurienti panem tuum." [9] Corpus igitur Christi pro nobis fractum, i. e. immolatum, fit cibus animae. Proinde haec fractio etiam significat distributionem gratiarum quae ex immolatione hujus pretiosi Corporis procedunt, uti docet S. Thomas: "Fractio hostiae tria significat: primo quidem ipsam divisionem Corporis Christi, quae facta est in passione; secundo distinctionem corporis mystici secundum diversos status [militantis, patientis, triumphantis Ecclesiae]; tertio distributionem gratiarum procedentium ex passione Christi."

4. **Commixtio Corporis et Sanguinis Domini,** seu "sacra unitio," vel "consignatio et commixtio mysteriorum," per immissionem particulae hostiae in calicem, atque duarum reliquarum particularum conjunctio in patena *resurrectionem Christi* designat: per hanc conjunctionem enim partes vulneribus laceratae, divisae veluti uniuntur et coalescunt; per istam commixtionem sanguis in passione effusus corpori quasi restituitur; [10] atque sicuti Christus post resurrectionem salutavit discipulos dicens *Pax vobis,* ita Sacerdos dicit: *Pax Domini sit semper vobiscum.* Tria Crucis signa ducit super calicem; "Repraesentatur resurrectio tertio die facta per tres Cruces, quae fiunt ad illa verba: *Pax Domini,* etc." [11]

5. Verba *Haec commixtio et consecratio,* etc. juxta quosdam sumenda sunt non in abstracto, sed in concreto, q. d. "hoc commixtum et consecratum fiat, etc." Patet, non significari mixtionem Corporis et Sanguinis secundum se, sed improprie

[6] De consecr. dist. 2, can. cum frangitur.
[7] Is. 53, 5.
[8] Gabr. Biel, Expos. Can. Miss. l. 80.
[9] Is. 58, 7.
[10] Cfr. Innoc. III. et Bened. XIV.
[11] S. Thomas.

ratione specierum spectata; sicut etiam non sui ratione sed solarum specierum Corpus Domini dicitur frangi. "Haec consecratio nihil aliud est, nisi nova quaedam significatio sacramentalis: ut enim consecrari dicitur, quod acquirit sacramentalem significationem, ita etiam dicitur *iterum* consecrari, quod acquirit *aliam* significationem sacramentalem. Significatur autem per illam commixtionem resurrectio Domini . . . nam in resurrectione iterum Caro Domini cum Sanguine suo conjuncta fuit. Itaque in illa commixtione nova fit consecratio, dum species illae, quae divisae Christi mortem repraesentabant, nunc inter se conjunctae resurrectionem Domini repraesentant." [12]

153. Per triplex **Agnus Dei, et tres Orationes** sequentes specialis fit praeparatio ad Communionem Sacerdotis. Ipsum Christum implorat misericordiam et pacem tam verbis quam actionibus, nempe capitis inclinatione et pectoris percussione. *Agnus* significatur Salvator noster per Isaiam, per Joannem Baptistam, saepius per Joannem Ev. in Apocalypsi; "Agnus" propter innocentiam, mansuetudinem, obedientiam et immolationem.

2. Dicto tertia vice *Agnus Dei,* cum *Dona nobis pacem*, sequitur "Oratio ad pacem, vel pro pace;" vel, ut ait S. Isidorus, "infertur Oratio pro osculo pacis, ut charitate omnes reconciliati invicem digne Sacramento Corporis et Sanguinis Christi consocientur." Oratione finita datur *pax,* seu *osculum pacis* vel *salutatio.* Olim juxta exemplum Christi et Apostolorum ("salutate invicem in osculo sancto") pax per osculum dabatur; inde a saec. XIII. per amplexum solum vel per "osculatorium" seu "instrumentum pacis," nempe per parvam tabellam, in qua sculpta vel depicta erat Crucifixi, vel B. M. V. vel alicujus Sancti imago. Ecclesia intendit hoc ritu fideles tum Deo, tum sibi invicem charitatis et pacis vinculo unire, ut cum fructu Communionem vel sacramentalem vel spiritualem percipiant. "Praeparatur populus per pacem, etc. Est enim hoc Sacramentum unitatis et pacis. In Missis tamen defunctorum, in quibus sacrificium offertur non pro pace praesenti, sed pro requie mortuorum, Pax intermittitur."[13]

[12] Bellarm. De Missa II. 27. [13] S. Thomas.

3. Per *secundam* et *tertiam Orationem* Sacerdos actibus ferventibus fidei, spei, humilitatis, etc. proxime se disponit ad S. Communionem.

Quibus Orationibus dictis Sacerdos genuflectens Sacramentum adorat. "Adoratio hic signanter praescribitur tanquam actus proxime disponens ad Communionem. Deinde surgens dicit: *Panem coelestem accipiam,* etc. ad explicandam famem et fervens desiderium hujus panis coelestis, quo mirifice disponitur anima ad percipiendam ex eo perfectam nutritionem et pinguedinem spiritus . . . nec exspectat, ut erectus ea verba proferat, sed dum surgit ea pronuntiat, ut ferventius desiderium exprimatur." [14]

154. Tunc Sacerdos s. hostiam in patena tenens ad s. Communionem se parat verbis Centurionis ab ipso Christo laudatis: *Domine, non sum dignus,* etc., humilitatis reverentiae, fidei fiduciaeque plenis ter repetitis, necnon actionibus humilitatis et compunctionis corporis nempe inclinatione et pectoris percussione. Verba, quum Sacerdos pro se tantum oret, secreto proferuntur, exceptis prioribus, quae ad excitandam populi attentionem voce medioeri proferuntur. (Ante et intra distributionem Communionis omnia dicuntur alta voce.)

2. Deinde se ipsum signat cum s. hostia, ut hac ipsius Domini benedictione gratias ad instantem Communionem consequatur, precans amplissimum hujus panis coelestis fructum a Christo promissum, *vitam aeternam,*[15] in quam *custodiat animam* contra omnia pericula interna et externa.

3. "Deinde Sacerdos Communionem sumit, quam cum magno affectu, et reverentia summa accipere debet, non festinando sed beneficia Christi ardentissime recolendo, videlicet incarnationem, passionem, dilectionem ejus ad nos, tantam dignationem et liberalitatem, qua sic dignatur esse nobiscum et sumi a nobis." [16] Quare "aliquantulum quiescit in meditatione sanctissimi Sacramenti," [17] in considerandis bonis, quae cum sacratissimo Christi Corpore accepit.

[14] Quarti.
[15] Jo. 6, 55.
[16] Dion. Carth.
[17] Rub. Miss.

4. Et jure tunc in ea verba Psalmistae [18] magno affectu erumpit: *Quid retribuam Domino pro omnibus,* etc.; quum in hoc solo Sacramento *omnia* contineantur, eo quod sit summum bonum, in quo omnia bona latent. Et sacrum calicem accipiens, quasi respondeat sibi interroganti: *Calicem*, inquit, *salutaris accipiam,* etc., i. e. calicem salutis seu Christi Salvatoris. Et quoniam cum ipso Sanguine eadem bona recipit, ac propterea est singulare omnino beneficium, pro utroque *nomen Domini invocabo* inquit, *Laudans invocabo Dominum et ab inimicis meis salvus ero.*[19] Singularis enim hujus Sanguinis virtus est, quae daemones ceterosque spirituales inimicos procul fugat, quia redemptio facta est "pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, et incontaminati;" [20] est Sanguis adumbratus in sanguine agni paschalis, quo unctos postes percussor angelus praeteribat.

Simili ritu formulaque, quibus Christi Corpus, sumitur ejus Sanguis.

155. Communio populi. Statim post suam Communionem Sacerdos fidelibus illam administrat "cum Orationes, quae in Missa post Communionem dicuntur, non solum ad Sacerdotem, sed etiam ad alios communicantes spectent." [21] "Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent." [22]

2. Quoniam puritas animae, humilitas cum fiducia sit optima dispositio ad recipiendum Deum ter Sanctum ("Cor contritum et humiliatum Deus non despicies,—amplius lava me"), praemittitur *Confiteor, Misereatur,* et *Indulgentiam* etc.—absolutio deprecatoria, operans ex opere operantis—cum signo Crucis, cujus virtute peccatorum remissio datur. ("Pacificans per sanguinem crucis ejus." [23])

3. Deinde Sacerdos ad populum conversus ostendens s. hostiam, ut communicantes excitentur ad eliciendos actus fidei. etc., dicit: *Ecce Agnus Dei,* etc. et ter *Domine, non sum dignus,* etc., quae dicit nomine communicantium.

[18] Ps. 115.
[19] Ps. 17, 4.
[20] 1 Petr. 1, 19.
[21] Rit. Rom.
[22] C. Trid. Sess. 22.
[23] Col. 1, 20.

[redacted]

4. Unicuique porrigens SS. Sacramentum facit cum eo signum Crucis super pyxidem, ad benedicendum communicaturum, vel ut denotetur, idem esse Corpus quod Cruci affixum fuit.—Olim ante Communionem alta voce clamabatur: *Sancta Sanctis* (quod etiamnum fit in Ecclesia Graeca); et populus acclamabat; *Unus Sanctus, unus Dominus Jesus;* tunc Sacerdos singulis praebens S. Eucharistiam dicebat: *Corpus Christi;* et singuli respondebant: *Amen.*

Triplex autem fuit modus, quo laici specie vini communicabant: vel cum Diaconus eorum ori calicem admoveret, vel calamo sive fistula s. speciem e calice sugebant, vel tandem post saec. XII. universim Corpus Domini vino consecrato intinctum fidelibus tribui coepit.[24]

156. Peracta Communione Sacerdos intra **purificationem calicis et ablutionem digitorum** alloquitur Dominum suum Jesum, in cujus dulcissimo amplexu haeret, ut similiter vas sacratum cordis sui purum servet atque dona percepta in ipso maneant, et "adhaereant visceribus" spiritualibus ipsius animae (quae sunt memoria, intellectus et voluntas) secundum virtutem et efficaciam.

2. Quae sequuntur, fiunt in gratiarum actionem. "Tota Missae celebratio," scribit S. Thomas, "in gratiarum actione terminatur, populo exsultante pro sumptione mysterii (quod significat cantus post communionem), et Sacerdote per orationem gratias offerente."

3. Ablutione igitur facta Sacerdos revertitur ad cornu Epistolae, ubi Missam inchoavit, ut significetur (juxta plures), Judaeos in fine mundi rursus illuminandos esse. Ibi recitat antiphonam quae **Communio** vocatur, atque est fragmentum psalmi vel alterius orationis.

4. **Postcommunio,** seu "Complenda" vel "Oratio ad complendum," est gratiarum actio simulque fructuum postulatio. "Istae orationes pro Communicantibus institutae sunt. Quamvis autem mos ille desiit, nihil tamen in orationibus mutatum est, sed ideo retentae sunt, ut sciamus, quid olim factum sit, et ex ipso precationum tenore ad pristinum fervorem excitemur."[25]

[24] Cf. De Carpo Bibl. lit. [25] Bona.

5. Tunc salutat populum per *Dominus vobiscum;* aptissime quidem, nam "qui manet in me et ego in eo: hic fert fructum multum."[26]

6. Deinde fit dimissio populi per formulam *Ite Missa est,* i. e. "Vobis abire licet, nam fit missa seu dimissio." Christiani non recedebant a loco sacrificii, nisi accepta prius abeundi licentia. "Ingressus es in Ecclesiam; ne eas nisi dimittaris."[27] In Constitutionibus Apost. habetur formula *Ite in pace.*

Missis non festivis, praesertim poenitentialibus, nempe quando non dicitur *Gloria,* loco hujus festivae dimissionis dicitur *Benedicamus Domino;* "pro tristitia temporis insinuanda."[28] "In Missis pro defunctis pro conclusione dicitur: *Requiescant in pace,* ut finis hujus Missae respondeat principio, in quo eis *aeterna requies* postulatur."[29]

Per formulam *Deo gratias* ("versum clusorium," quo *concluduntur* omnes quoque Horae canonicae) usque ad saeculum XI. Missa finiebatur.

7. Postea addita est oratio *Placeat,* qua breviter petitiones ad SS. Trinitatem recapitulantur.

8. Deinde **Benedictio** datur. Sacerdos osculatus Altare, ut quasi ex Christi corde benedictionem hauriat, oculis manibusque in coelum sublatis, ut inde benedictionem suscipiat, in nomine SS. Trinitatis et per signum Crucis eandem in fideles effundit. Quo ritu Christum imitatur, qui in coelum ascendens "elevatis manibus benedixit eis,"[30] et in fine mundi benedicet electis: "Venite *benedicti* Patris mei." Altaris osculum etiam connectitur cum oratione *Placeat,* quam confirmat. Quare etiam in Missis defunctorum Sacerdos osculatur Altare, quamvis in iis benedictio omittatur. In his Missis autem omittitur, ut indicetur, benedictionem seu fructus Missae praecipue defunctis applicari.

9. **Evangelium S. Joannis** in fine subjungitur ex praecepto S. Pii V. (antea enim ex consuetudine ad libitum recitabatur), ut profunda mysteria SS. Trinitatis et Incarnationis, quae continet, menti imprimantur; quia summam continet omnium bonorum, quae per Christi sacrificium accepimus et in Christo

[26] Jo. 15, 5.
[27] S. Chrysost.
[28] Micrologus.
[29] Gabr. Biel.
[30] Luc. 24.

[redacted]

possidemus, qui est fons *vitae, lux mundi, plenus gratiae et veritatis.* Admonetur Sacerdos, quantus sit hospes, *Verbum caro factum,* quod modo suscepit; quanta ejus benignitas, qua non solum, "in mundum," sed in animam quoque suam venire haud dedignatur.

ART. VIII.

DE SIGNIFICATIONE RITUUM MISSAE MYSTICA IN PARTICULARI.

157. Ipse Spiritus sanctus testante s. Scriptura plurimis actionibus et verbis praeter sensum literalem et immediatum attribuit altiorem sensum mysticum. Ita S. Paulus: "Abraham duos filios habuit . . . quae sunt per allegoriam dicta. Haec enim sunt duo testamenta." [1] Transitus per mare rubrum praefigurat baptismum, in deserto serpens figura erat Christi in Cruce exaltati; "petra autem erat Christus." Ita S. Ecclesia nostra, eodem Spiritu dirigente, actionibus verbisque in divinum cultum ordinatis praeter sensum literalem et finem immediatum saepius attribuit significationes mysticas.

2. Haec Magistra nostra veritates et mysteria proponit et inculcat non solum per s. ritus qui ex professo et exclusive in hunc finem constituti sunt, sed etiam per actiones, etc., quae prius ad finem mere naturalem ordinata fuerant. Mentem vero et intentionem Ecclesiae in hac re non tantum ex definitionibus explicitis, sed etiam ex communi doctrina S. Doctorum aliorumque theologorum spiritu ecclesiastico imbutorum jure concipimus. Ita caeremoniarum series in sacrificio Missae juxta doctrinam S. Thomae, S. Bonaventurae, Innocentii III., etc. necnon recentiorum theologorum, e. g. Suaresii, Gavanti, Quarti, Card. Bonae, Benedicti XIV., mysteria vitae et praesertim passionis Domini significat.[2]

[1] Gal. 4.

[2] Tot virorum sanctorum et doctorum doctrina sane non spernenda est ex eo quod aliquando aliqui fuerint nimii in assignandis significationibus mysticis, ubi de Ecclesiae mente et intentione non constat. Cf. Romsée, II. p. 274.

3. Caeleste Missarum drama dividitur in varios actus atque scenas, quibus fidelium pietati exhibentur diversa passionis Dominicae mysteria, ab horto Olivarum usque ad sepulchrum peracta; necnon resurrectio, aliaque mysteria gloriosa, quae subsequuntur. Sunt autem scenae sequentes:

I. Egressus Sacerdotis cum ministris e sacristia: quo repraesentatur Jesus cum discipulis e coenaculo exiens in montem Oliveti.—*Confiteor:* Dominus orans et agonizans in horto. —Sacerdos ascendens ad Altare et illud osculans: Jesus obviam procedens inimicis et osculo traditus. *Introitus:* Dominus in domo Annae alapa percussus.—Sacerdos stans in medio Altaris, ibique *Kyrie eleison* (et *Gloria*) recitans: Jesus stans ante Caipham et ter a Petro negatus.—Sacerdos Altare osculans, et conversus ad populum, ut dicat, *Dominus vobiscum:* Dominus respiciens Petrum.—Sacerdos recitans Epistolam: Jesus in praetorio Pilati.—Translatio libri et *Munda cor:* Jesus ad Herodem missus et spretus.—*Evangelium* et *Credo:* Jesus ante tribunal confitens se esse Filium Dei; suum regnum non esse de hoc mundo.

II. Denudatio calicis: Jesus exutus vestibus et flagellatus. —Calix, post oblationem, palla coopertus: Jesus spinis coronatus.—Manuum ablutio: Pilatus manus lavans, Judaeis interim clamantibus: "Sanguis ejus super nos."—*Orate fratres:* Jesus populo ostentatus: *Ecce homo.*—*Praefatio, Sanctus* et *Hosanna* cum signo Crucis: Pilatus proclamans Domini innocentiam, dum Judaei eumdem Dominum, quem paulo ante inter *Hosanna* exceperant, nunc ad mortem expetunt.—Sacerdos profunde inclinatus, et Crucis signa efformans super oblata: Christus ad mortem damnatus, et Crucem humeris accipiens.—Sacerdos silentio orans, *Memento,* etc.: Dominus Crucem bajulans usque in Calvarium.—Sacerdos extendens manus super oblata: Christus in Cruce extensus et clavis confixus.

III. *Elevatio hostiae et calicis:* Christus in Cruce exaltatus, et ex apertis vulneribus sanguinem fundens.—Sacerdos orans silentio et signa Crucis plurima efformans: Dominus in Cruce orans silentio et patiens.—*Nobis quoque peccatoribus:* Conversio boni latronis.—*Pater noster,* constans septem petitionibus: Dominus septem verba proferens in Cruce.—Fractio hostiae et immissio particulae in calicem: Dominus moriens,

ejusque beata anima ad inferos descendens.—*Agnus Dei:* Conversio multorum videntium prodigia, mortem Domini comitantia.

IV. Apertio calicis et Communio: Corpus Domini a Cruce depositum et sepultum.—Antiphona Communionis: Dominus resurgens.—Sacerdos vertens se et populum salutans: Dominus redivivus apparens et dans pacem discipulis.—Postcommunionis orationes et libri clausura: Dominus docens discipulos per quadraginta dies, ac deinde ascendens in coelum.—Benedictio: Spiritus sanctus promissus in discipulos descendens.—Ultimum Evangelium: Christus gloria coronatus in coelo, et inde Ecclesiam regens docentem omnes gentes, omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi.

4. In his significationibus, sicuti in parabolis et similitudinibus Evangelii non omnia nimis sunt urgenda, vel omnimoda fere aequalitas inter singulos ritus et mysteria significata requirenda. Nec mirandum, si quando in accidentalibus discrepantia inter auctores reperiatur. Praeterea, ut S. Pontifex Benedictus XIV. docet, *significationes mysticae ejusdem rei plures esse possunt.*

CAPUT XVI.

DE PRAESTANTIORIBUS FUNCTIONIBUS MISSAE ADNEXIS.

ART. I.

ANIMADVERSIONES GENERALES DE BENEDICTIONE CANDELARUM, CINERUM, ET PALMARUM.

158. Functiones in festo Purificationis B. M. V., Fer. IV. Cinerum, et Dominica Palmarum peragendae (necnon in reliquis majoris Hebdomadae diebus), pro officio non solemni praecipue desumptae sunt ex *Memoriali Rituum* ab ipsa S. R. Congregatione jussu Benedicti XIII. edito;[1] pro officio autem solemni, praesertim pro Diacono et Subdiacono, ex Missali Romano. (Citationes sine addito in hoc capite desumptae sunt ex Memoriali Rituum.)

S. R. C. die 21 Nov. 1893, statuit: "Benedictiones candelarum, cinerum atque palmarum esse ex obligatione faciendas in omnibus Ecclesiis Collegialibus; in aliis autem posse fieri."

2. "Parocho curae erit designatos clericos quasi manuducens, praecedenter in actionibus peragendis instruere. Eosdem insuper ea quae in processionibus recitanda praecipiuntur, edoceat."[2] Ubi deficiunt clerici ordinati, subrogari possunt saeculares.

3. Non licet ea quae recitanda proponuntur, abbreviare, vel in vernaculo idiomate decantare; hoc enim generatim in Officiis liturgicis omnino est prohibitum. (Cf. n. 99, 6.)

Si clerici ministrantes nonnisi inepte respondeant, Celebrans *solus* recitat omnes antiphonas, etc.

4. Plura, quae a quovis Sacerdote facile supplentur vel

[1] "Memoriale Rituum pro aliquibus praestantioribus sacris functionibus persolvendis in minoribus Ecclesiis parochialibus jussu Benedicti XIII. Pont. Max. editum."

[2] Monitum editioni anni 1725 praemissum.

aliunde nota sunt, e. g. de praeparandis in sacristia, credentia, Altari, in hoc capite omissa sunt (ut compendii limites serventur).

5. Benedictio Candelarum, Cinerum, Palmarum—necnon Fontis baptismalis in Sabbato sancto et vigilia Pentecostes per ipsum Celebrantem peragendae sunt.[3]

Conspectus brevis functionum.

159. Conspectus brevis functionum in his tribus diebus peragendarum. (Idem fere ordo in tribus istis Benedictionibus servatur.)

I. Celebrans pluviali violaceo indutus medius inter duos clericos, vel inter Diaconum et Subdiaconum, ascendit ad Altare illudque in medio osculatur. In cornu Epistolae manibus junctis legit, vel cantat Orationes vel antiphonas, etc., in Missali posita. (Pro benedictione palmarum Subdiaconus cantat Lectionem, Diaconus Evangelium, cum benedictionibus, osculis, incensatione ut in Missa solemni.)

Post ultimam Orationem Celebrans ibidem imponit incensum cum benedictione; ter adspergit candelas—cineres—palmas, dicens *Adsperges me,* etc.; deinde thurificat.

II. Celebrans stans in medio Altaris accipit candelam (palmam) a digniori Sacerdote—vel inclinatus cineres in capite accipit.

Si non adsit alius Presbyter, Celebrans genuflexus in suppedaneo accipit candelam (palmam) de medio Altari,—vel genuflexus cineres sibi imponit, nihil dicens.

Tunc in cornu Epistolae recitat antiphonam, nisi a choro cantetur.

Deinde (vel dum chorus cantat antiph.) distribuit candelas —palmas—(cineres, dicens *Memento homo*)—Clero ad Altare, populo ad cancellos.

III. Distributione facta lavat manus; deinde in cornu Epistolae recitat Orationem (in festo Purificationis prius antiphonam *Exurge,* si a choro non cantetur).

[3] S. R. Congregatio declaravit, consuetudinem contrariam etsi immemorabilem a Parochis servatam "non licere, et Benedictiones, de quibus in precibus, peragendas esse per Celebrantem." (D. 2783.) Ab hac regula excipitur solus Episcopus Dioecesanus (D. 2976, 8; et 9 Mai. 1893, n. 3798, 2).

IV. *Diaconus et Subdiaconus* in tota functione assistunt, prior a dextris, alter a sinistris Celebrantis; excipe quod Diaconus ministret modo consueto ad incensationem, et adspersionem, ad distributionem candelarum et palmarum (porrigens eas a sinistris Celebranti) et ad lotionem manus,—dum Subdiaconus ex altero latere fimbrias pluvialis sustollit.

V. Ultima Oratione finita in festo Purificationis et in Dominica Palmarum fit *processio* hoc modo:

Celebrans tenens candelam—palmam—dicit ad populum versus: *Procedamus in pace.* Praecedit crucifer, Celebrans et clerici recitant (vel chorus cantat) antiphonas praescriptas, omnes tenent candelas—palmas.

Si officium sit solemne: imposito incenso Diaconus tenens candelam—palmam—cantat *Procedamus in pace,* praecedit Subdiaconus Crucem ferens post thuriferarium medius inter ceroferarios; Diaconus a sinistris Celebrantis dextra pluviale, sinistra candelam (palmam) sustinet.

In Dominica Palmarum omnes extra portam principalem clausam (praeter clericos vel cantores duos quatuorve intra Ecclesiam) recitant vel cantant *Gloria laus et honor,* etc. Vel fit ad ingressum presbyterii quod ad portam praestandum esset.

VI. Deinde dicitur Missa. Candelae tenentur ad Evangelium et ad elevationem, i. e. a *Sanctus* usque ad Communionem; rami tenentur ad Passionem et Evangelium. In Fer. IV. Cinerum cantatur Missa ut n. 97.

ART. II.

DE BENEDICTIONE CANDELARUM IN FESTO PURIFICATIONIS B. MARIAE VIRGINIS.

A. De Praeparandis pro Benedictione, Processione et Missa.[1]

160. "*In abaco seu credentia:*

(*a*) "Calix pro Missa cum omnibus ornamentis coloris albi; ni festum incidat in Dominica privilegiata, quia tunc coloris violacei.

[1] Vide n. 158, 4.

[redacted]

(*b*) "Pelvis cum medulla panis et vasa pro lotione manuum post distributionem candelarum.

(*c*) "Vas aquae benedictae cum adspersorio.

(*d*) "Exemplaria hujus Memorialis pro recitandis in processione."

Prope credentiam "Crux processionalis," etc.

Ibidem vel *ad scamnum:* "Planeta, stola et manipulus coloris albi, vel violacei, si in Dominica ut supra."

Pro officio solemni duo manipuli pro Diacono et Subdiacono.

2. *"In Altari:* Pallium violaceum faciliter amovibile, et aptatum super aliud albi coloris, si Missa erit de Beata Maria."

3. "Prope cornu Epistolae in plano: Mensa cooperta mantili albo, et super eam candelae benedicendae, similiter aliqua mappa munda coopertae."

B. De ipsa Benedictione Candelarum.[2]

BENEDICTIO ABSQUE S. MINISTRIS.

161. "Celebrans accipit amictum, albam, cingulum, stolam et pluviale coloris violacei;" vel deficiente pluviali stolam tantum super albam sine manipulo.

"Si fuerit dies Dominica, Celebrans sic indutus benedicit aquam pro adspersione. Interim primus clericus amovet ab Altari vasa florum."

2. "Celebrans, facta cum clericis debita reverentia Cruci, praecedente primo clerico manibus junctis" (nisi ferat thuribulum), "medius inter secundum et tertium clericum, elevantes fimbrias pluvialis, tecto capite procedit ad Altare" ut pro Missa solemni. Si pluviale desit, vel ob angustiam loci clerici procedunt secundus post tertium.

"Primus clericus, reposito Celebrantis bireto," vel ordinato ejus

BENEDICTIO SOLEMNIS.

Diaconus et Subdiaconus induunt amictum, albam, cingulum ac planetam plicatam (si uti licet[3]). Diaconus etiam stolam diaconalem,—sine manipulis.

Praecedentibus thuriferario, et acolythis cum candelabris accensis, Diaconus et Subdiaconus, a lateribus Celebrantis, fimbrias pluvialis elevantes, modo consueto procedunt ad Altare.

Acolythi post debitas reverentias candelabra in credentia deponunt; ibi

[2] Si festum Purificationis B. M. V. in Dominica privilegiata vel festo Iae classis occurrat, festum Purificationis transfertur, non vero benedictio candelarum et processio (D. 3321); in Missa candelae non tenentur.

[3] Cf. n. 97, 2.

BENEDICTIO ABSQUE S. MINISTRIS.

caputio, si utatur, "discooperit candelas."

3. "Celebrans ascendit ad Altare medius inter secundum et tertium clericum et osculatur illud in medio, accedit ad cornu Epistolae semper mediu inter clericos," qui non genuflectunt dum Celebrans Altare osculatur.[4]

4. "Ibidem facie ad Altare, manibus junctis, in tono feriali, dicit," vel cantat, si adsint cantores, "*Dominus vobiscum,* et postea subjungit: *Oremus* (non extendens manus), et Orationem: *Domine Sancte,* etc. cum quatuor aliis Orationibus."

5. "Interim primus clericus ponit ignem in thuribulo et accipit naviculam," nisi ista in egressu jam secum tulerit.

6. "Dum dicitur quinta (ultima) Oratio tertius clericus, qui erat a sinistris Celebrantis, facta genuflexione Altari, recedit, et accepto e credentia vase aquae benedictae, una cum clerico thuriferario accedit ad Celebrantem."

7. "Celebrans, completa quinta Oratione, ministrante cum osculis consuetis naviculam secundo clerico, qui est a dextris ejus, imponit cum benedictione (*Ab illo benedicaris, etc.*) incensum in thuribulo."

8. "Deinde, accepto adspersorio a secundo clerico, ter adspergit candelas, in medio, a dextris earum, et a sinistris, dicens submissa voce antiphonam: *Adsperges me,* etc. sine psalmo."

"Successive similiter triplici ductu candelas adolet incenso, nihil dicens."

BENEDICTIO SOLEMNIS.

cum thuriferario consistunt. Caeremoniarius agit ut in Missa solemni, et discooperit candelas.

Diaconus et Subdiaconus a lateribus Celebrantis ascendunt et ad cornu Epistolae assistunt, Diaconus a dextris, Subdiaconus a sinistris, paululum retro. Diaconus elevat fimbriam pluvialis, quando Celebrans signum Crucis facit. Caeremoniarius assistit ut ad Introitum in Missa solemni; item postea ad incensum imponendum.

Thuriferarius ut primus clericus.

Primus acolythus ferens vas aquae benedictae cum thuriferario post ultimam Orationem accedit ad Celebrantem.

Diaconus, post ultimam Orationem ministrat ad impositionem incensi, ad adspersionem et incensationem, modo consueto; Subdiaconus interim fimbriam pluvialis dextram sustollit.

9. "Completa benedictione, Celebrans facta in medio Altaris debita reverentia, tecto capite in suppedaneo a parte Evangelii, gravi sermone populum admonebit de institutione hujus solemnitatis atque mysteriis, et utilitate candelarum benedictarum;" quod tamen prudenti ejus arbitrio relinquitur.

[4] Martinucci et De Carpo contra alios.

[redacted]

C. De Distributione Candelarum.

Functio absque s. Ministris.

162. "Expleto sermone," vel statim post incensationem, "primus clericus accipit e mensa candelam pro Celebrante, et, nisi adsit aliquis in presbyterali Ordine constitutus, eam collocat in medio Altaris. Celebrans, facta reverentia in medio Altaris, genuflectit super suppedaneo facie ad Crucem. Sic genuflexus accipit ex Altari candelam, et eam osculatur, et tradit primo clerico servandam."

2. "Si adsit aliquis Sacerdos, hic dabit candelam Celebranti stanti facie ad populum, cum osculo candelae tantum, et Celebrans similiter candelam tantum osculabitur."

3. "Deinde Celebrans accedit ad cornu Epistolae, et alternatim cum suis clericis," vel saltem solus, "alta et aequa voce recitabit Ant. *Lumen, etc.*, et Canticum *Nunc dimittis.*" Si cantentur per Cantores ipse illa omittere statimque candelas distribuere potest.

4. "Repetita post *Sicut erat in principio* Ant. *Lumen, etc.* Celebrans, facta inclinatione Cruci, vertit se ad populum et distribuit candelas primo Presbyteris, si adsint, dispositis seriatim super ora suppedanei, et digniores prope cornu Epistolae, qui omnes genuflexi candelam et manum Celebrantis osculabuntur."

5. "Deinde Celebrans, facta reve-

Functio Solemnis.

Diaconus stans in cornu Epistolae accipit ab acolytho candelam Celebrantis, et, deficiente alio Sacerdote, Diaconus (etsi in ordine presbyterali constitutus) eam deponit in medio Altaris, unde Celebrans genuflexus illam accipit, et tradit Subdiacono ad latus Evangelii constituto, qui eam rursus in Altari deponit.

Si adsit alius Sacerdos, Diaconus accipit ab acolytho candelam Celebrantis eamque osculatur et tradit Sacerdoti digniori, qui eam osculatur, "et ab eo Celebrans accipit candelam non genuflectens nec osculans manum illius,"[5] stans ad populum versus.

Deficientibus cantoribus Celebrans cum ministris in cornu Epistolae recitat Ant. *Lumen* et Cant. *Nunc dimittis.*

"Postea Celebrans stans in medio ante Altare, versus ad populum distribuit candelas, primum digniori, a quo ipse acceperat;" 2° Praesulibus; 3° Canonicis; "deinde Diacono et Subdiacono paratis; et aliis clericis singulatim per ordinem," binis,

[5] Rubr. Miss.

ABSQUE S. MINISTRIS.

rentia Altari, medius inter suos clericos accedit ad cancellos Presbyterii a parte Epistolae. Ibidem incipit distribuere candelas, primo viris, deinde foeminis, praebente ei candelas tertio clerico a sinistris, allatas a primo clerico."

6. Laicis candelae etiam ab aliis Sacerdotibus superpelliceis et stolis violaceis indutis distribui possunt. Si laici sint nimis numerosi, ipsi candelas manibus tenere possunt tempore benedictionis, et Celebrans intentionem ad illas dirigere. (Idem valet quoad ramos palmarum.)

7. "Completa distributione, Celebrans lavabit manus in plano Epistolae clericis ministrantibus;" vel si ab Altari non descenderit, ibidem lavat, stans ut in Missa ad *Lavabo.* Interim candelae accenduntur, nisi ab initio accensae fuerint (juxta consuetudinem loci).

8. "Celebrans, lotis manibus, accedit ante Altare per longiorem viam, factaque in medio Cruci reverentia, pergit ad librum in cornu Epistolae. Ibi cum suis clericis alta voce recitabit Antiphonam: *Exurge, Domine,* etc.," nisi chorus cantet.

9. "Deinde stans ibidem subdit: *Oremus,* et si sit post Septuagesimam, et non in die Dominico, subjungit ipsemet, ac genuflectens cum omnibus: *Flectamus genua,* et secundus clericus primo surgens, respondet: *Levate.* Postmodum Celebrans dicet Orationem: *Exaudi quaesumus, Domine* etc., semper tenens manus junctas, ut supra."

BENEDICTIO SOLEMNIS.

"ultimo laicis" [ad cancellos] "omnibus genuflectentibus, et candelam et manum Celebrantis osculantibus exceptis Praelatis, si adsint."[6] Diaconus assistit Celebranti a sinistris, porrigens candelas oblatas ab acolythis; Subdiaconus a dextris fimbriam pluvialis sustollit. "Cum inceperit distribuere candelas, a choro cantatur Ant. *Lumen ad revelationem,* etc. Cant. *Nunc dimittis.*" Quae si non sufficiant, repetantur quousque distributio finiatur, sed absque *Gloria Patri,* quod semel tantum dicitur.

Ad lotionem manuum Diaconus fimbriam pluvialis sustollit et manutergium porrigit, Subdiacono alteram pluvialis fimbriam elevante. (Interea cant. *Exurge.*)

Postea cum Celebrante in cornu Epistolae revertuntur ut functionis initio.

Ante Orationem post *Oremus,* si tempus requirat, Diaconus cantat *Flectamus genua,* omnesque genuflectunt, excepto Celebrante. Subdiaconus cantat *Levate* (stantes in eodem loco, vel retro post Celebrantem), et omnes surgunt.

[6] Mulieres osculantur candelam tantum.

D. De Processione.

I. IN FUNCTIONE ABSQUE S. MINISTRIS.

163. "Completa Oratione" post candelarum distributionem "Celebrans accedit ad medium Altaris, ibique accipit a primo clerico candelam accensam, et exemplar hujus Memorialis vel Rituale pro Antiphonis in processione cantandis. Alii clerici similiter accipiunt candelas accensas et exemplaria hujus Ritualis."

2. "Celebrans vertit se ad populum et dicit; *Procedamus in pace,* et clerici respondent: *In nomine Christi. Amen.* Celebrans incipit recitare Ant. *Adorna,* etc.,ut infra, et alternatim cum clericis sibi assistentibus reliquas Antiphonas prosequetur." Si adsint cantores, ipsi intonant et prosequuntur.

3. "Responso, ut supra: *In nomine Christi. Amen,* primus clericus accipit Crucem processionalem; et facta genuflexione Altari, vertit se ad populum, et procedit, juxta consuetudinem, vel extra Ecclesiam, vel intus eandem,[1] et dirigit processionem a sua parte dextra, et circuit et redit ante Altare."

4. "Subsequitur Celebrans tecto capite, medius inter clericos, recitans alternatim cum eis" scil. si deficiant cantores, "sequentes Antiphonas, redactas ad versus, ut commodius cantentur."

Antiphona.

164. (1) *Adorna thalamum tuum Sion, et suscipe Regem Christum:*

(2) *Amplectere Mariam, quae est coelestis porta:*

(3) *Ipsa enim portat Regem gloriae novi luminis:*

(4) *Subsistit Virgo, adducens manibus Filium ante luciferum genitum:*

(5) *Quem accipiens Simeon in ulnas suas, praedicavit populis, Dominum eum esse vitae et mortis, et Salvatorem mundi.*

Alia Antiphona.

(6) *Responsum accepit Simeon a Spiritu Sancto, non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini:*

(7) *Et cum inducerent puerum in templum, accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum, et dixit:*

[1] Potius intus ambitum Ecclesiae. Martinucci.

(8) *Nunc dimittis servum tuum, Domine, in pace.*

(9) *Cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo, ipse accepit eum in ulnas suas.*

2. "Ingrediendo Ecclesiam, si extra eam processum fuit, vel in ipso cancellorum presbyterii ingressu, si processio intus Ecclesiam peracta fuit, recitetur," vel cantetur "sequens R."

Responsorium.

3. (1) *Obtulerunt pro eo Domino par turturum, aut duos pullos columbarum:*

(2) *Sicut scriptum est in lege Domini.*

(3) *Postquam impleti sunt dies purgationis Mariae, secundum legem Moysi,*

(4) *Tulerunt Jesum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino.*

(5) *Sicut scriptum est in lege Domini.*

(6) *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.*

(7) *Sicut scriptum est in lege Domini.*

"Clericus cum Cruce, facta ante Altare genuflexione, deponit eam in loco suo. Celebrans absolvit Responsorium ante Altare." (Pro cant. vide Processionale Rom.)

II. IN FUNCTIONE SOLEMNI.

165. Oratione post distributionem candelarum finita, Celebrans stans in cornu Epistolae [2] "ponit incensum in thuribulum" se convertens ad thuriferarium, qui stabit in gradu superiori, dum Subdiaconus tenet dextram fimbriam pluvialis, Diaconus vero ministrat Celebranti qui incensum benedicit.

2. Tunc Subdiaconus per gradus laterales descendit et Crucem processionalem accipit a Caeremoniario vel alio Clerico. Praeit thuriferarius, eumque sequitur Subdiaconus medius inter ceroferarios; qui se consistunt ad ingressum presbyterii, ad Altare conversi, thuriferarius autem post Subdiaconum.

3. Interim Diaconus ibit in medium suppedaneum cum Celebrante eique cum solitis osculis candelam a Caeremoniario acceptam porrigit, ab eodemque suam candelam accipit. Ibi "vertens se ad populum dicit" cum cantu: "*Procedamus in pace.* Et Chorus respondet: *In nomine Christi, Amen.*"

[2] D. 1. Feb. 1907, n. 4198,1.

4. Ceroferarii et thuriferarius, facta genuflexione, convertuntur ad navem Ecclesiae. "Praecedit thuriferarius cum thuribulo fumigante, deinde Subdiaconus paratus deferens Crucem" cum imagine non ad deferentem conversa sed quasi Christus praeire videatur[3] "medius inter duos acolythos, cum candelabris accensis;" sequuntur cantores cantantes Ant. *Adorna thalamum*, etc., supra n. 164. (Deficiente choro Celebrans cum ministris recitabit Antiph. et Respons.) "Sequitur Clerus per ordinem, ultimus Celebrans cum Diacono a sinistris, omnes cum candelis accensis in manibus" extimis, et capite detecto, excepto Celebrante et Diacono. Si extra Ecclesiam procedant, omnes bireto caput tegunt, exceptis Caeremoniariis, Crucifero, acolythis et thuriferario.

Processionis tempore campanae festivo modo pulsantur.

5. Reversi ad presbyterium cantant Resp. *Obtulerunt* (supra n. 164, 3), etsi praecedens Resp. nondum finitum fuerit; Celebrans et Diaconus caput detegunt, Subdiaconus, absque reverentia ad Altare, deponit Crucem prope credentiam, ceroferarii candelabra deponunt. Clerici, reverentia ad Altare facta et se salutantes ad invicem, procedunt ad sedes suas.

E. De Missa.

166. "Primus clericus assumit candelas, extinguit et servat in credentia. Celebrans prope scabellum, adjuvantibus suis clericis deponit pluviale et stolam violaceam, et accipit paramenta alba pro Missa, si celebranda erit de B. Maria;" alias violacea accipit.

2. "Interim" vel intra processionem, si Missa erit celebranda de Festo, "primus clericus" vel sacrista, "amovet pallium violaceum ab Altari, remanente albo, et apponit vasa florum inter candelabra, et defert calicem paratum ad Altare," i. e. si sit clericus ordinatus; alias Celebrans ipsum defert.

3. "Celebrans procedit ad Missam, in qua, si erit de festo, clerici tenebunt candelas accensas ad Evangelium, et ab elevatione (*Sanctus*) usque ad Communionem."

4. In *Missa solemni*, quae celebratur modo consueto, Candelae tenentur in manibus, dum Evangelium a Diacono cantatur; etiam Celebrans a Caeremoniario candelam accipit post-

[3] D. 1538.1.

quam se initio Evangelii signaverit, eidemque post Evangelium reddit, antequam osculetur librum. Deinde ut supra n. 3 in fine.

ART. III.

DE BENEDICTIONE CINERUM.

A. De Praeparandis pro Benedictione et Missa.

167. *"In credentia Altaris majoris:*

(*a*) "Calix paratus pro Missa, cum velo et bursa coloris violacei;"

(*b*) "Pelvis cum medulla panis, et vasa ad lavandas manus post Cinerum distributionem;"

(*c*) "Vas aquae benedictae cum aspersorio."

Ibidem, vel *ad scamnum:* "Manipulus et planeta violacea." Pro officio solemni duo manipuli pro Diacono et Subdiacono.

2. *"In Altari:*

(*a*) "Altare cum pallio violaceo, Cruce et candelabris cum cereis, absque vasis florum."

(*b*) "Vas argenteum, vel ex alia pulchra materia, cum Cineribus ex ramis in praecedenti Dominica Palmarum benedictis, combustis et subtiliter cribratis, et aridis, coopertum vel operculo consimili vel velo violaceo, inter Missale et cornu Epistolae."

B. De ipsa Benedictione Cinerum.

168. I. *De functione absque sacris Ministris.* "Celebrans, lotis manibus, per manus secundi et tertii clerici accipit (super cottam[1]) amictum, albam, cingulum, stolam et pluviale coloris violacei," vel deficiente pluviali, stolam tantum super albam.

2. Procedunt ad Altare modo consueto, Celebrans medius inter secundum et tertium clericum superpelliceis indutos et fimbriam pluvialis elevantes.

3. "Celebrans ascendit Altare medius inter secundum et tertium clericum et osculatur illud in medio. Interim primus clericus deposito Celebrantis bireto, discooperit cineres."

[1] Ubi hic usus viget.

4. "Celebrans accedit ad cornu Epistolae et ex Missali recitat cum suis clericis Ant. *Exaudi*, etc.," dum chorus cantat, si adsit. "Repetita Antiphona Celebrans dicit," vel cantat "in tono feriali manibus junctis: *Dominus vobiscum*, et postmodum subjungit quatuor Orationes."

5. "Dum dicitur quarta (ultima) Oratio, tertius clericus facta genuflexione Altari, accipit vas aquae benedictae, et una cum clerico thuriferario accedit ad Celebrantem."

6. "Celebrans ministerio secundi clerici imponit incensum in thuribulo (*Ab illo benedicaris, etc.*), et deinde aspergit (*Asperges me, etc.*) et thurificat Cineres de more."

7. "Expleta Benedictione, vas cum Cineribus ponitur in medio Altaris."

"Celebrans habet sermonem ad populum super Benedictione et Impositione Cinerum in hac Feria."

8. II. *In functione Solemni* Diaconus et Subdiaconus induti sunt et se gerunt ut in benedictione candelarum, supra n. 161. Assistunt igitur a lateribus Celebrantis, ministrant modo consueto ad aspersionem et incensationem. Item Caeremoniarius, thuriferarius et acolythi seu ceroferarii, ut n. 161, 2 seq.

C. De Cinerum Impositione.

169. In functione simplici "Celebrans, absente alio Sacerdote, facta reverentia Cruci, genuflectit super suppedaneo in medio. Sic genuflexus sibi ipsi cineres in modum Crucis imponit in capite, nihil dicens."

"Si adsit alius Sacerdos, hic sine stola accedens ad Altare imponit cineres Celebranti (qui stabit capite inclinato, et facie versa ad populum) dicendo: *Memento, homo, quia pulvis es, et in pulverem reverteris.*"

2. "Celebrans, acceptis cineribus, accedit ad Missale in cornu Epistolae, et recitat cum clericis, ut supra, Ant. *Immutemur, etc.*," nisi a Cantoribus intra distributionem cantetur.

3. "Deinde imponit cineres omnibus de Clero, dispositis super oram suppedanei, et dignior erit proximior ad latus Epistolae, dicens: *Memento homo, etc.*"

4. "Celebrans, facta reverentia Altari, medius inter secundum et tertium clericum," sustinentes fimbrias pluvialis, "accedit ad cancellos presbyterii e regione Epistolae, et imponit

cineres primo viris, deinde foeminis," non super velum, sed supra capillos aut in fronte.[2]

5. "Completa impositione, Celebrans in plano Epistolae, ministrantibus clericis, lavat manus cum mica panis, et tergit. Deinde ascendit Altare per viam longiorem, et facta reverentia in medio, pergit ad latus Epistolae. Ibidem facie ad Altare dicit manibus junctis: *Dominus vobiscum,* et Orationem: *Concede nobis, Domine,* etc., et facta ibidem reverentia Altari, descendit" per gradus laterales "ad planum Epistolae."

6. "Prope scabellum, adjuvantibus suis clericis, deponit pluviale, et accipit manipulum et planetam. Interim primus clericus defert calicem ad Altare, et expanso corporali in medio ejus, aptat calicem super illud." Scilicet, si sit clericus ordinatus; alias ipse Celebrans calicem de credentia ad Altare secum affert.

Missa celebratur modo consueto. "Dum dicitur *Communio,* primus clericus," si ordinatus sit, "amovet calicem ab Altari, et defert ad credentiam."

7. **In functione solemni** Diaconus et Subdiaconus post benedictionem cinerum assistunt Celebranti, prior a dextris, tenens pelviculam cinerum, porrectam per Caeremoniarium, Subdiaconus a sinistris; uterque fimbrias pluvialis sustollens. Ipsi post digniorem (resp. post Canonicos), cineres genuflexi in ora suppedanei accipiunt.

8. Chorus stat per totam cinerum benedictionem facie ad Altare conversa; sedebit autem, quum unusquisque ipsius ordo cinerem accepit.

De Missa, vide n. 97.

ART. IV.

DE DOMINICA PASSIONIS.

170. "Ante primas Vesperas Dominicae Passionis cooperiuntur Cruces et imagines,"[1] nempe "omnes imagines, non tantum Cruces et imagines Salvatoris."[2] (Excipiuntur Stationes Viae Crucis.[3]) Velamina sint coloris violacei, nec translucida, neque ulla figura, ne Crucis quidem, intexta.[4]

2. Cruces sic tectae remanent usque ad feriam VI. in Parasceve, post denudationem S. Crucis, sed "sacrae imagines Sab-

[2] Martinucci.
[1] Rubr. Miss.
[2] D. 1275.2.
[3] D. 18. Jul. 1885, n. 3638. 2.
[4] Martinucci, II. 21.

bato Sancto ad *Gloria in excelsis Deo,* si commode fieri poterit, vel post officium ejusdem diei discooperiendae sunt," [5] "nec detegi debent quando occurrit festum S. Titularis, vel Dedicatio Ecclesiae." [6]

3. "Cantores ab hac Dominica usque ad *Gloria in excelsis Deo* Sabbati Sancti, excepto hymno angelico feriae V. in Coena Domini, utantur cantu Gregoriano vel figurato polyphono." [7]

ART. V.

DE DOMINICA PALMARUM.

A. De Praeparandis pro sacris actionibus hujus Dominicae.

171. "*In credentia:*

(*a*) "Calix pro Missa cum omnibus ornamentis coloris violacei."

(*b*) "Pelvis et urceus pro lotione manuum."

(*c*) "Libri continentes recitanda in processione."

Ibidem vel *in scamno* "manipulus et planeta coloris violacei." Pro officio solemni duo manipuli pro *Diacono et Subdiacono,* stola latior pro Diacono.

"*In Altari:* (*a*) Pallium violaceum. (*b*) Rami palmarum, loco florum, inter candelabra;" nec interponuntur Reliquiaria.[1]

"*Prope cornu Epistolae* in plano; (*a*) Mensa cooperta mantili albo, et super eam palmae benedicendae. (*b*) Crux processionalis tecta velo violaceo, et vitta violacea pro liganda palma in summitate Crucis."

B. De Benedictione Palmarum.

BENEDICTIO ABSQUE S. MINISTRIS.

172. "Celebrans induit (super cottam) amictum, albam, cingulum, stolam et pluviale violaceum," si habeatur. "Idem benedicit aquam, ut in Missali."

2. "Celebrans, praecedente primo clerico portante vas cum

BENEDICTIO SOLEMNIS.

Diaconus et Subdiaconus induunt amictum, albam, cingulum et planetam plicatam, si uti liceat;[2] Diaconus etiam stolam diaconalem, sine manipulis.

Procedunt ad Altare ut pro Missa solemni, praeeunte thuri-

[5] D. 1248.

[6] D. 926. 3. Velantur imagines ad luctum fidelibus inspirandum ob passionem Domini; vel quia Christus instante morte sua se occultavit, eo quod nondum venisset hora illius: *Jesus autem abscondit se.*

[7] Caer. Ep. II. 20, 4.

[1] Martinucci.

[2] V. n. 97, 2.

BENEDICTIO ABSQUE S. MINISTRIS.

aqua nuper benedicta, medius inter secundum et tertium clericum, tecto capite, procedit ad Altare et genuflectit in ejus infimo gradu pro aspersione aquae benedictae."

3. "Fit aspersio more solito, post quam primus clericus reponit Missale super legili in cornu Epistolae Altaris."

4. "Celebrans medius inter clericos ascendit Altare ac illud osculatur in medio, deinde in cornu Epistolae alta et aequali voce incipit Ant. *Hosanna*, etc., quam cum clericis prosequetur;" leget vero submissa voce, si chorus cantet.

5. "Stans ibidem dicit," vel cantat "manibus junctis: *Dominus vobiscum,* et Orationem: *Deus quem diligere,* etc."

6. "Subjungit Lectionem et post eam dicit cum clericis Responsorium: *Collegerunt,* etc.: *In monte Oliveti.*

BENEDICTIO SOLEMNIS.

ferario seu ministro portante vas aquae benedictae et acolythis cum candelabris accensis, Diaconus et Subdiaconus a lateribus Celebrantis, fimbrias pluvialis sustinentes.

Ad aspersionem aquae s. Ministri assistunt more solito, sub cujus finem, ad Orationem *Exaudi* assumunt manipulos ab acolythis porrectos.

Diaconus a dextris, Subdiaconus a sinistris Celebrantis ascendunt Altare[3] et sic ad cornu Epistolae consistunt, aliquantulum retro.

Caeremoniarius detegit palmas; deinde assistit ut ad Introitum. Cantores cantant Antiph. quam Celebrans submissa voce legit.

Initio Orationis Subdiaconus descendit lateraliter de Altari, et deposita planeta plicata adjuvante acolytho, accipit a Caeremoniario Epistolarium, et in fine Orationis genuflectit in medio, salutat chorum et comitante Caeremoniario "in loco solito cantat Lectionem in tono Epistolae"[4] et in fine "salutato choro," "osculatur manum Sacerdotis." Resumpta planeta plicata redit ad sinistram Celebrantis.

"Interim, dum cantatur Responsorium, Diaconus" descendit in planum, et deposita planeta plicata, assumit stolam latiorem, et cum solitis reverentiis "ponit librum Evangeliorum super Altare," revertitur ad dextram Celebrantis,

[3] Non genuflectunt, quando Celebrans Altare in medio osculatur (Martinucci, De Carpo contra alios.)

[4] Celebrans legere potest eamdem Lectionem, unum ex responsoriis, et stans eodem loco dicere potest *Munda cor meum* ac legere Evangelium. (Mart. II. 22, 25.)

BENEDICTIO ABSQUE S. MINISTRIS.

7. "Praemisso eodem loco *Munda cor meum,* legit Evangelium et osculatur Textum in fine."

8. "Deinde dicit" vel cantat, "*Dominus vobiscum,* Orationem et Praefationem, tenens semper manus junctas, tam ad haec, quam ad subsequentes Orationes."

9. "Clerici dicunt: *Sanctus, Sanctus,* etc.," simul cum Celebrante, mediocriter inclinando.

10. "Celebrans praemisso *Dominus vobiscum,* subjungit quinque alias Orationes."

11. "Interim primus clericus ponit ignem in thuribulo et accipit naviculam," vel utrumque ex sacristia affert.

12. "Dum dicitur quinta Oratio, tertius clericus, facta genuflexione Altari, accipit vas aquae benedictae, et una cum thuriferario accedit ad Celebrantem."

13. "Celebrans, ministrante secundo clerico, imponit incensum in thuribulo cum benedictione et osculis. Deinde ter aspergit ramos, dicens submissa voce: *Asperges me,* etc. sine psalmo, ac demum eosdem thurificat."

14. "Celebrans dicit iterum: *Dominus vobiscum* et sextam Orationem.

Primus clericus deponit thuribulum, et tertius accedit ad sinistram Celebrantis."

BENEDICTIO SOLEMNIS.

qui "ministrante Diacono naviculam, ponit incensum in thuribulo" cum benedictione. Deinde Subdiaconus descendit in planum, Diaconus per viam breviorem transiens genuflexus in ora suppedanei "dicit: *Munda cor meum,* accipit librum de Altari, petit benedictionem a Sacerdote," qui non abscedit a latere Epistolae. Ad cantandum Evangelium omnes, etiam ceroferarii, accedunt, omniaque peraguntur uti in Missa solemni.

Incensato Celebrante Diaconus stolam latiorem mutat cum planeta plicata; et ipse ac Subdiaconus redeunt ad latera Celebrantis.

Sanctus dicitur simul a Celebrante et s. Ministris, mediocriter inclinatis.

Thuriferarius praeparat thuribulum cum igne, eique adstat a dextris clericus ferens aquam benedictam in plano ad latus Epistolae; finita quinta Oratione accedunt ad Celebrantem.

Diaconus ad imponendum incensum, ad adspersionem et thurificationem ministrat; Subdiaconus interim fimbriam pluvialis dextram elevat.

15. "Celebrans sermonem habet solemnitati congruum," quod tamen prudenti ejus arbitrio relinquitur.

C. De Palmarum Distributione.

173. Distributio palmarum fit eodem plane modo, ut distributio candelarum, supra n. 162.

Celebrans igitur palmam a digniore Presbytero, vel ipse genuflexus ex Altare accipit. Tunc, nisi chorus cantet, recitat Ant. *Pueri Hebraeorum.*

2. Deinde Celebrans ramos distribuit, Clero ad Altare, populo, si ipse velit, ad cancellos; Diaconus a sinistris ramos porrigit, Subdiaconus a dextris pluviale sustollit.

Postea manus lavat in latere Epistolae. Deinde

3. "Accedit per longiorem ad Altare et in cornu Epistolae dicit (vel cantat) *Dominus vobiscum* et ultimam Orationem."

"Interim primus clericus apponit et firmat vitta violacea unam ex palmis in summitate Crucis processionalis."

D. De Processione in Dominica Palmarum absque sacris Ministris.

174. "Completa Oratione" post palmarum distributionem, "primus clericus porrigit Celebranti et aliis duobus clericis palmas et exemplaria hujus Memorialis pro recitandis in processione."

2. "Celebrans tenens palmam in manibus, vertit se ad populum et dicit," vel cantat, "in medio Altaris: *Procedamus in pace;* et clerici respondent: *In nomine Christi. Amen;* et Celebrans inchoat: *Cum appropinquaret,* etc.," vel cantores, si adsint, inchoant et prosequuntur.

3. "Dirigitur processio, praecedit primus clericus cum Cruce: sequitur Celebrans" capite tecto, post Clerum, "medius inter duos clericos, recitans alternatim cum eis alta et aequa voce more Clericorum Regularium [5] Antiphonas quae sequuntur, ad versus aptatas."

4. "Proceditur per latus dextrum Celebrantis extra portam principalem, recitando ut infra." Si Cantores adsint, "cantantur sequentes Antiphonae vel omnes vel aliquae quousque durat processio." [6] (Vid. Processionale Rom.)

[5] Mem. Rit. II. 2.

[6] Rit. Rom.

[redacted]

Antiphona.

5. (1) *Cum appropinquaret Dominus Jerosolymam, misit duos ex discipulis suis, dicens:*

(2) *Ite in castellum, quod contra vos est: et invenietis pullum asinae alligatum, super quem nullus hominum sedit:*

(3) *Solvite, et adducite mihi.*

(4) *Si quis vos interrogaverit, dicite: opus Domino est.*

(5) *Solventes adduxerunt ad Jesum: et imposuerunt illi vestimenta sua, et sedit super eum:*

(6) *Alii expandebant vestimenta sua in via: alii ramos de arboribus sternebant:*

(7) *Et qui sequebantur, clamabant: Hosanna, benedictus, qui venit in nomine Domini:*

(8) *Benedictum regnum patris nostri David: Hosanna in excelsis: miserere nobis, fili David.*

Alia Antiphona.

6. (1) *Cum audisset populus, quia Jesus venit Jerosolymam, acceperunt ramos palmarum:*

(2) *Et exierunt ei obviam, et clamabant pueri, dicentes:*

(3) *Hic est, qui venturus est in salutem populi.*

(4) *Hic est salus nostra, et redemptio Israel.*

(5) *Quantus est iste, cui Throni et Dominationes occurrunt!*

(6) *Noli timere, filia Sion: ecce Rex tuus venit tibi, sedens super pullum asinae, sicut scriptum est.*

(7) *Salve Rex, fabricator mundi, qui venisti redimere nos.*

Alia Antiphona.

7. (1) *Ante sex dies solemnis Paschae, quando venit Dominus in civitatem Jerusalem,*

(2) *Occurrerunt ei pueri: et in manibus portabant ramos palmarum,*

(3) *Et clamabant voce magna, dicentes: Hosanna in excelsis.*

(4) *Benedictus, qui venisti in multitudine misericordiae tuae: Hosanna in excelsis.*

[redacted]

Alia Antiphona.

8. (1) *Occurrerunt turbae cum floribus et palmis Redemptori obviam: et victori triumphanti digna dant obsequia:*

(2) *Filium Dei ore gentes praedicant: et in laudem Christi voces tonant per nubila: Hosanna in excelsis.*

Alia Antiphona.

9. *Cum Angelis et pueris fideles inveniamur, triumphatori mortis clamantes: Hosanna in excelsis.*

Alia Antiphona.

10. (1) *Turba multa, quae convenerat ad diem festum, clamabat Domino:*

(2) *Benedictus qui venit in nomine Domini: Hosanna in excelsis.*

175. "Primus clericus cum Cruce sistit ante portam principalem, facie ad eamdem versa. Secundus et tertius clericus," vel duo quatuorve cantores, si adsint, "intrant Ecclesiam, et clauso ostio, stantes versa facie ad processionem, dicunt," vel cantant:

2. *V. Gloria, laus, et honor, tibi sit Rex Christe Redemptor: Cui puerile decus prompsit Hosanna pium.*

3. "Celebrans extra Ecclesiam, facie ad portam, repetit tecto capite."

CEL. *Gloria, laus, et honor tibi sit Rex Christe Redemptor: Cui puerile decus prompsit Hosanna pium.*

CLER. *Israel es tu Rex, Davidis inclyta proles: Nomine qui in Domini, Rex benedicte venis.*

CEL. *Gloria, laus, etc.*

CLER. *Coetus in excelsis te laudat coelicus omnis: Et mortalis homo, et cuncta creata simul.*

CEL. *Gloria, laus, etc.*

CLER. *Plebs Hebraea tibi cum Palmis obvia venit: Cum prece, voto, hymnis, adsumus ecce tibi.*

CEL. *Gloria, laus, etc.*

CLER. *Hi tibi passuro solvebant munia laudis: Nos tibi regnanti pangimus ecce melos.*

CEL. *Gloria, laus, etc.*

[redacted]

CLER. *Hi placuere tibi, placeat devotio nostra: Rex bone, Rex clemens, cui bona cuncta placent.*

CEL. *Gloria, laus, etc.*

4. "Versibus completis, primus clericus calce hastilis Crucis [semel] percutit imam partem ipsius portae, ita ut fragor audiatur, et duo clerici, qui sunt intus Ecclesiam, portam aperiunt, et sistunt se hinc inde ad januam. Primus clericus cum Cruce ingreditur Ecclesiam, et Celebrans subsequendo, incipit Resp.: *Ingrediente Domino,* etc. Secundus, et tertius clericus excipiunt Celebrantem, et ponentes illum in medio prosequuntur cum eo Resp."

5. Si processio extra Ecclesiam exire nequeat, id quod ante portam praestandum erat, fiat ad ostium chori seu ingressum sanctuarii; stant autem tunc omnes, etiam qui dicunt vel cantant *Gloria, laus,* facie ad Altare conversa.[7]

Responsorium.

Ingrediente Domino in sanctam civitatem; Hebraeorum pueri resurrectionem vitae pronuntiantes,

Cum ramis palmarum: Hosanna, clamabant, in excelsis.

Cum audisset populus, quod Jesus veniret Jerosolymam, exierunt obviam ei;

Cum ramis palmarum: Hosanna, clamabant, in excelsis.

6. "Terminatur processio, et Responsorium ante Altare majus. Primus clericus deponit Crucem, et deinde recipit palmas a Celebrante et clericis etc."

"Celebrans in plano Epistolae, ubi alias sedetur in Missa, deponit pluviale, et accipit manipulum, et planetam. Primus clericus" si sit ordinatus "portat calicem ad Altare."

7. Celebranti Missam cantatam sine Ministris licet Passionem legere usque ad *Munda cor meum;* partemque aliam, quae sequitur, canere in tono Evangelii. Non vero tenetur totam Passionem canere in eodem tono; neque possunt ipsemet exsequi in Passione partem Christi, et laici partes Chronistae et Synagogae.[8] "*In Missa* clerici poterunt tenere palmam in manibus, dum legitur Passio, et in fine Missae legitur Evangelium S. Joannis, *In principio,* etc."

[7] Gavant, Baldeschi, De Carpo, etc.

[8] D. 13 Jun. 1899, n. 4031. 2 et 3.

E. De Processione cum sacris Ministris.

176. Oratione post palmarum distributionem finita, Celebrans in eodem cornu Epistolae imponit incensum, assistentibus Diacono et Subdiacono modo consueto. Deinde s. Ministri manipulos deponunt. Subdiaconus accipit Crucem processionalem. Caeremoniarius ordinat processionem omniaque fiunt eodem fere ordine ut in festo Purificationis.[9] Diaconus stans in medio Altaris Celebranti palmam cum osculis tradit suamque palmam a Caeremoniario accipit.

2. Diaconus igitur "vertens se ad populum dicit: *Procedamus in pace.* Et chorus respondet: *In nomine Christi. Amen.*"

"Praecedit thuriferarius cum thuribulo fumigante; deinde Subdiaconus paratus, deferens Crucem, medius inter duos acolythos cum candelabris accensis: sequitur Clerus per ordinem, ultimo Celebrans cum Diacono a sinistris, omnes (bini) cum palmis in manibus" extimis: "et cantantur Antiphonae vel omnes, vel aliquae, quousque durat processio: *Cum appropinquaret,* etc." Processio dirigitur extra Ecclesiam. [Quod si fieri nequeat, fit ad ingressum presbyterii, quod ante portam Ecclesiae praestandum esset.]

3. "In reversione processionis duo vel quatuor cantores intrant in Ecclesiam, et clauso ostio, stantes versa facie ad processionem, incipiunt versum *Gloria laus,* et decantant duos primos versus. Sacerdos vero cum aliis extra Ecclesiam,"—stans in medio versus portam, Subdiaconus cum ceroferariis vero prope limen, ac thuriferarius prope primum ceroferarium, Clerus ordinatus in duas [vel plures] alas iisdem lineis cum postibus portae,—"repetit eosdem" versus una cum choro. "Deinde, qui sunt intus, cantant alios versus sequentes, vel omnes vel partem, prout videbitur; et qui sunt extra, ad quoslibet duos versus respondent *Gloria laus,* sicut a principio."

4. "Postea Subdiaconus hastili Crucis percutit portam; qua statim aperta, processio intrat Ecclesiam, cantando Resp. *Ingrediente Domino;* et non dicitur *Gloria Patri.*" Omnes ingredientes detegunt caput, exceptis Celebrante et Diacono, qui illud detegunt in aditu presbyterii.

[9] N. 165, ubi specialiora.

5. Ante Altare majus omnes, praeter Cruciferum, reverentiam faciunt, et sedes suas petunt. Acolythi candelabra super credentia deponunt. Celebrans ad scamnum paramenta pro Missa, s. Ministri manipulos suos assumunt.

6. "Deinde dicitur **Missa**, et rami tenentur in manibus" dextris, "dum cantatur Passio, et Evangelium tantum," ab omnibus, exceptis tribus Diaconis cantantibus Passionem,[10] Caeremoniario et acolythis.

Quoad planetas plicatas vide n. 97, 4. Celebrans legens Epistolam non genuflectit ad verba *Ut in nomine Jesu,* etc., sed quando Subdiaconus ipsa cantat omnes in choro genuflectunt.[11] In Missa unica tantum Oratio dicitur, omittuntur Commemorationes et Orationes ordinario modo imperatae.

ART. VI.

DE PASSIONE IN MAJORI HEBDOMADA DICENDA.

177. *Ubinam Passio sit legenda vel cantanda?*

Passio a Celebrante in cornu Evangelii legitur vel cantatur, excepto duplici casu, quo in cornu Epistolae dicenda est:

(*a*) Quando cantantibus tribus Diaconis simul a Celebrante secreto legitur;

(*b*) Feria VI. in Parasceve.

2. *A quibusnam Passio sit cantanda?*

Passio cantanda est a tribus Diaconis vel Presbyteris vice Diaconorum fungentibus, a Ministris Missae distinctis. At eorum defectu una pars Passionis a Celebrante cantari licet.[1] Non vero permitti potest defectu Ministrorum, ut pars cantetur ab organista etsi sit in ordine subdiaconali.[2] Consuetudo, juxta quam pars Passionis, e. g. "turba" cantetur a laicis, per S. R. Congr.[3] "scandalosa et abusus" declarata est. Permittitur vero ut Diaconus qui repraesentat Synagogam eas tantum sententias cantet, quae ab uno proferuntur, ut a Petro,

10 Et ab ipsis, ubi adest consuetudo. Cf. Martinucci, Van der Stappen.

11 D. 29. Mai. 1900, n. 4057. 6.

1 D. 2740. 2.

2 D. 3110. 10.

3 D. 1588. 8.—Cf. D. 13. Jun. 1899, n. 4031. 3.

Caipha, Pilato etc.; sententiae vero turbae cantentur a schola, ordinarie ex laicis conflata.[4]

3. *Quonam ritu Passio sit cantanda?*

Si cantetur a tribus Diaconis vel Presbyteris, parantur "amictu, alba, cingulo, manipulo et stola ab humero sinistro pendente," non stola latiori,[5] "coloris violacei, et circa finem Tractus procedunt hoc ordine: Antecedit Caeremoniarius," vel thuriferarius, "tum ille qui Evangelistae personam agit [Cantor vel Chronista, cantans quae signata sunt litera *C*], portans sibi librum, deinde qui turbarum [Succentor vel Synagoga, cantans sign. lit. *S*], ultimo, qui Christi [cantans signata+], sequentibus tribus Capellanis" vel acolythis "cum cottis." In ingressu chori deponunt biretum, "et factis debitis reverentiis" ad Altare et chorum, "descendunt ad locum ubi cantant Passionem versus cornu Evangelii," stantes uti Diaconus in Missa solemni, dextra ad Altare, facie ad aquilonem versa.[6] "Et capellani tres antedicti," seu acolythi, "stant contra illos."[7] Ibi Diaconus, qui Christum agit, medium tenebit locum; qui Evangelistam, dextram (propiorem Altari); et qui turbas, sinistram Christi occupare debet.[8]

4. "Passio incipitur absolute; non dicitur *Munda cor meum*, etc." Simul Celebrans in cornu Epistolae, submissa voce Passionem legit "versus aliquantulum ad ipsos cantantes," (in Dominica Palm. manu dextra palmam tenens), assistentibus s. Ministris ut ad Introitum; dum legit verba *emisit spiritum*, non genuflectit. Lecta Passione usque ad eam partem, quae tono Evangelii cantabitur, ipse cum s. Ministris se ibidem vertit ad Diaconos cantantes Passionem: Diaconus stat ad ejus sinistram in gradu superiori, Subdiaconus ad sinistram Diaconi in plano. Ad verba *emisit spiritum* cantores in genua procumbunt versus librum, reliqui omnes in locis suis versus Altare.

5. Finita Passione cantores, facta genuflexione in medio versus Altare, et reverentia versus Celebrantem et chorum prius ex parte Evangelii, deinde Epistolae recedunt ordine quo venerant. Chorus sedet. Diaconus accipit cum osculis Cele-

[4] D. 7. Jul. 1899, n. 4044. 2.

[5] D. 12. Mart. 1897, n. 3949. 6.

[6] D. 16 Jun. 1893, n. 3804, 3. 2.

[7] Caer. Ep.

[8] Si uno tantum libro utantur, qui Evangelistam agit medium locum tenet.

brantis palmam, Caeremoniarius vero ipsam et s. Ministrorum palmas accipit.

6. *Si Celebrans, Diaconus et Subdiaconus*[9] *Missae Passionem decantent*, sequentia ab Auctoribus proponuntur:

Postquam Celebrans Tractum legit, Subdiaconus defert Missale ad cornu Evangelii (excepta feria VI. in Parasceve), et mox ante medium Altaris descendit, et si sit Diaconus vel Presbyter, imponit stolam diaconalem; facta cum Diacono similiter induto[10] genuflexione in infimo gradu, accedunt ad pulpita. Celebrans in cornu Evangelii[11] cantat signata+, et quae ab aliis cantantur, submissa voce legit (ita omnes fere auctores); Diaconus cantat signata lit. *C*, Subdiaconus signata lit. *S*. Post Passionem Subdiaconus deponit stolam, Diaconus assumit stolam latiorem, si utatur planeta plicata.

178. Finito Passionis cantu, sive a tribus Diaconis, sive a s. Ministris, Celebrans in medio Altaris dicit *Munda cor meum* et *Jube Domine*, etc., et in cornu Evangelii legit ultimam partem Passionis, non se signans, et in fine respondetur *Laus tibi, Christe.*

2. Interea Diaconus, deposita planeta plicata, si utatur, et assumpta stola latiori, librum Evangeliorum ad Altare defert, et omnia peraguntur uti ad Evangelii cantum in Missa solemni; hisce exceptis: ceroferarii non deferunt candelabra sed adstant Subdiacono manibus junctis, Diaconus non signat librum nec se ipsum, non dicit *Dominus vobiscum*, etc., sed thurificato libro statim incipit canere. Finito cantu Celebrans (in Dominica Palmarum suam palmam tradit Caeremoniario) "osculatur librum [dicens: *Per evangelica dicta*, etc.[12]] et incensatur" a Diacono. "Quae omnia et in aliis Passionibus servantur, praeterquam feria VI. in Paresceve."

3. *De Passione feriae VI. in Parasceve* notanda: Celebrans "in cornu Epistolae legit secrete Passionem usque ad finem"[13] recitans ibidem inclinatus versus Crucem *Munda cor meum* sine *Jube*, statimque absolvens ultimam Passionis partem; qua lecta se vertit ad cantores.

[9] Modo ordinem Diaconatus habeat.

[10] Qui deponit casulam plicatam, si utatur.

[11] D. 16. Jun. 1893, n. 3804. 3. 4.

[12] De Herdt, III. 28.

[13] Caer. Ep. II. 25.

Finita Passione a tribus Diaconis, Diaconus Missae Evangeliarium super Altari deponit et modo consueto "dicit *Munda cor meum*, sed non petit benedictionem nec deferuntur luminaria, neque incensum, et Celebrans in fine non osculatur librum;" ceroferarii tamen manibus junctis adstant Subdiacono librum tenenti.

CAPUT XVII.

DE MISSA ET S. FUNCTIONIBUS ADNEXIS FERIAE V. IN COENA DOMINI.

ART. I.

ANIMADVERSIONES PRAEVIAE.

179. Hac die et duabus feriis sequentibus functiones sacrae in Ecclesiis Cathedralibus, collegiatis et parochialibus solemniter fieri debent. Si ob defectum Ministrorum vel cantorum solemniter vel cum cantu fieri nequeant, "locorum Ordinarii quoad Paroecias, in quibus haberi possunt tres quatuorve saltem clerici, sacras functiones feriis V., et VI., ac Sabbato majoris Hebdomadae peragi studeant, servata forma parvi Ritualis Benedicti XIII. anno 1725 jussu editi. Quoad alias Paroecias, quae clericis," seu pueris ministrantibus, "destituuntur, indulgere valeant ob populi commoditatem, ut Parochi (petita quotannis venia) Feria V. in Coena Domini Missam lectam celebrare possint, priusquam in Cathedrali, vel Matrice conventualis incipiat."[1] Tandem ob occurrens festum quod feriationem adnexam habet, aliqui Sacerdotes Missam privatam ante solemnem celebrare possunt, ut praeceptum audiendi Sacrum impleri possit.[2] Praeter hunc duplicem casum Missae privatae in hac Feria V. omnino prohibentur.

2. In Ecclesiis, in quibus SS. Sacramentum non asservatur, non licet hac feria Missam celebrare[3] nec functiones sequentibus feriis peragere.

Si Fer. V. in Ecclesia non celebretur, non potest Fer. VI. Parasceves Sacerdos uti hostia alia die consecrata; et hoc

[1] D. 2616. 1; et 1. Febr. 1895, n. 3842. 2.

[2] D. 1883.

[3] D. 1120.

valet, etsi Parochus solus Fer. V. aegrotans sequenti die melior se habuerit.[4]

In Ecclesiis non Parochialibus omitti potest *functio Sabbati Sancti,* non tamen illa Feriae VI. in Parasceve; et fieri debet Sepulcrum.[5]

3. **De Praeparandis.**[6] "Altare solemniter ornatum et cum pallio albi coloris. Crux inter candelabra tecta velo albi coloris."

"In abaco, seu credentia: (*a*) Calix pro Missa cum ornamentis coloris albi, et duplici hostia. (*b*) Alius calix cum palla, patena, velo albo et ligula serica albi coloris." Si desint clerici ordinati, Celebrans calicem more solito portat; alterum vero calicem antea super Altari deponat. (*c*) "Velum humerale albi coloris."

Prope credentiam "Crux processionalis cooperta velo violaceo."

"Baldachinum hastatum, vel Umbella pro processione, extra cancellos. Crotalum pro signo salutationis angelicae."

4. *"In Sacello" vel alio Altari*[7] *parato pro Repositione SS. Sacramenti:*

"Locus ipse ab Altari majori distinctus, et decenter velis pretiosis, non tamen nigris, et luminibus ac floribus ornatus, sine Reliquiis aut imaginibus Sanctorum. Supra Altare ibidem erectum capsula elegans, clave firmata, pro calice servando. Corporale stratum intra capsulam. Aliud corporale super Altare. Scabellum graduatum pro repositione calicis in capsula."[8] Capsula, seu urna sit intus et foris eleganter elaborata vel pulchre ornata. Si desit, tabernaculum serico velamine albi coloris involutum adhiberi potest.

[4] D. 3219.

[5] D. 9. Dec. 1899, n. 4049. 1.

[6] Citationes sine addito desumptae sunt ex Memoriali Rituum Benedicti XIII.

[7] Rubr. Miss.

[8] "Quum propter officia lugubria non liceat solemniter hac die celebrare hujus institutionis festum, exponitur SS. Sacramentum in sacello laterali, ut fideles ipsum venerentur et adorent cum gratiarum actione pro singulari accepto beneficio." (Martinucci.) "Quasi thronus ipse erigitur, in quo tota sequenti nocte a Christianis adoratur et honoratur, quando a Judaeis maximis opprobriis est affectus." (Burius) Sacellum etiam sepulchrum appellatur quia utrumque representatur tam sepultura Domini, quam institutio Augustissimi Sacramenti (D. 15. Dec. 1896, n. 3939. 1).

ART. II.

CONSPECTUS S. FUNCTIONUM FERIAE V. IN COENA DOMINI.

180. I. Missa, in qua post sumptionem altera hostia ponitur in calice.—Communio Cleri.—Missa completur ritu, uti coram Sanctissimo exposito.

II. Assumpto pluviali incensatur Sanctissimum, et fit processio ad Repositorium (*Pange lingua*).

III. In Repositorio: *Tantum ergo,* etc.; incensato Sanctissimo capsula clauditur.

IV. Defertur pyxis. Denudantur Altaria a Celebrante et s. Ministris indutis stolis violaceis, recitando Ps. XXI., cum Ant. *Diviserunt.*

ART. III.

DE MISSA.

A. De Missa absque sacris Ministris.

181. Omittitur Ps. *Judica.* "Ad *Gloria* pulsantur campanae" et organa, "quae deinde silent usque ad Sabbatum Sanctum" ad *Gloria.*[1] Porro interea signa dantur instrumento ligneo seu crotalo.

2. "Ultra hostiam consuetam consecratur et alia."

"Dum Celebrans dicit Orationes ante Communionem, primus clericus portat ex abaco ad Altare calicem vacuum cum palla, patena, et velo albi coloris."

3. "Celebrans, sumpto Sanguine, et cooperto calice, ex quo sumpsit, alterum calicem ponit in medio corporalis, et detegit. Genuflectit, et alteram hostiam consecratam reponit in calice, cooperit palla, et patena inversa, et velum desuper expandit, et genuflectit." Si unus tantum calix habeatur, remanet s.

[1] Quia nempe Apostoli tempore Passionis tacuerunt.

hostia in loco suo, et post calicis ablutionem et extersionem in eo ponitur. Digiti deinde in alio vase abluendi sunt.[2]

4. "Accipiat pyxidem, et ponit eam ante calicem velatum: discooperit" et tunc more solito, dicto *Confiteor,* etc. "fit Communio clericorum apud Altare, deinde virorum et mulierum ad cancellos."

5. "Deinde dicto: *Quod ore,* etc. se purificat, et facta genuflexione, abluit digitos super calicem et super Altare de more: et reaccedens ad medium, genuflectit, et sumit ablutionem digitorum. Calix Missae defertur ad credentiam" si adsit clericus ordinatus.

6. "Accenduntur cerei in sacello Sepulchri: disponitur baldachinum, sive umbella, et distribuuntur cerei pro sodalibus, si adsint, vel cultioribus de populo."

7. "Celebrans prosequitur Missam," in qua observabit ritum coram Sanctissimo exposito servandum.

8. "Celebrans completa Missa accedit ad medium, genuflectit, et per breviorem descendit ad planum Epistolae. Ibi per manus clericorum deponit planetam et manipulum, et accipit pluviale albi coloris."

B. De Missa Solemni.

182. Celebrans observat num. praec. notata. "Pax non datur."[3] Itaque Diaconus et Subdiaconus post *Agnus Dei* permutant loca.

2. Paulo ante *Domine non sum dignus* Caeremoniarius, vel ipso deficiente Subdiaconus, portat ex credentia calicem vacuum cum palla etc. et ponit super Altare in latere Epistolae.

3. Post sumptionem Sanguinis Subdiaconus calicem palla cooperit, et facta genuflexione transit ad sinistram, Diaconus ad dextram Celebrantis. Tunc genuflectunt simul cum Celebrante; Diaconus calicem vacuum tenet ante Celebrantem, qui s. hostiam imponit. Diaconus calici imponit pallam, deinde patenam inversam super pallam et "desuper velum expandit et in medio Altaris collocat" atque vitta ad pedem devincit.

4. "Deinde fit Communio" Cleri et populi more solito. Pro-

[2] Baldeschi.

[3] In detestationem osculi Judae.

inde Diaconus detecta pyxide stans in plano [4] lateris Epistolae, profunde inclinatus cantat solus vel recitat *Confiteor.* Post *Indulgentiam* s. ministri communicaturi primi procedunt et in ora suppedanei genuflectunt; sumpta Communione ad Celebrantem accedunt, Diaconus per latus Evangelii ad dextram, Subdiaconus ad sinistram, et assistunt usque ad finem Communionis etiam laicorum. Post sacros Ministros accedunt Presbyteri stolis (coloris Missae), Diaconi stolis super cottam transversis et reliqui clerici cottis seu superpelliceis induti.[5]

5. Acolythi observent ritum Missae solemnis consuetum et supra n. 181, 1. Communione finita discedunt ad credentiam.

Celebrans ante ablutionem fragmenta de Altari eo loco, quo s. hostia erat, et de patena a Diacono adhibita colligit.

"Completur Missa" uti coram Sanctissimo exposito.

ART. IV.

DE PROCESSIONE SS. SACRAMENTI AD SACELLUM.

A. In Functione absque s. Ministris.

183. "Celebrans accedit ante Altare et facta genuflexione in plano, orabit genuflexus in inferiori gradu." Interea ordinatur processio. Celebrans more solito "imponit thus et incensat SS. Sacramentum in calice. Deinde accipit velum humerale, et surgens accedit ad mensam Altaris, genuflectit, surgit, et ad cautelam firmat velum calicis ligula serica albi coloris. Accipit calicem sinistra per nodum, submittens eam velo et dextram ponit supra calicem, supra quam secundus clericus extendit extremitatem veli humeralis."

2. "Celebrans cum calice" conversus ad populum "incipit hymnum: *Pange lingua,*" nisi adsint cantores clerici. "Proceditur ordine sequenti ad Sacellum Sepulchri" seu ad "locum

4 D. 2682. 14.

5 Cf. n. 285, 5 h. Comp. Ubi adsunt Canonici, ipsi S. Eucharistiam recipiunt ante Diaconum et Subdiaconum Missae, quoties isti tales non sunt. Nec stola superimponitur pluviali vel dalmaticae. D. 3029. 14.

vel Altare paratum:"[1] 1° "Vexillum consuetum in delatione SS. Viatici;[2] 2° Sodales, vel pii viri cum luminibus. 3° Crux processionalis delata a tertio clerico. 4° Primus clericus cum thuribulo fumigante; 5° Celebrans sub baldachino, vel sub umbella, et a sinistris ejus secundus clericus elevans vestis anterioris ejus extremitates, dum descendit gradus vel ascendit, recitantes" [cantores, si adsint, cantant] "hymnum: *Pange lingua,* etc." Transeunt circa per longiorem viam, non vero extra Ecclesiam.

3. "Ad Sacellum omnes se disponunt per duas partes ita ut thuriferarius, et Celebrans sub baldachino possint transire per medium illorum. Deferentes labarum [vexillum] et Crucem sistent e regione sacelli," seu a latere, crucifer prope cornu Evangelii, deponens Crucem, thuriferarius prope cornu Epistolae.

4. "Celebrans ascendit Altare Sacelli et deponit calicem supra Altare; genuflectit, descendit primum gradum, et genuflexus in suppedaneo," vel infimo gradu[3] "deponit velum humerale. Interim deferentes baldachinum asportant illud ad locum congruum."

5. "Celebrans surgens imponit iterum thus in thuribulo sine benedictione et sine osculis, et genuflexus super suppedaneo" vel infimo gradu, "Sacramentum incensat, et clerici recitabunt" vel cantores cantabunt "Vers. *Tantum ergo,* etc." Completo *Genitori* "ascendit Altare, genuflectit, et accipiens calicem, illum recondit in capsula, admoto per secundum clericum scabello gradato, si opus erit. Iterum genuflectit, et postea claudit capsulam, genuflectit et descendit in plano Sacelli."

6. "Celebrans genuflectit in gradu infimo Altaris, et post aliqualem orationem surgit, et facta genuflexione ambobus genibus in plano,[4] praecedente Cruce, medius inter clericos revertitur ad Altare, tecto capite" extra conspectum Sanctissimi.

[1] Rubr. Miss.

[2] "The banner, if there be any." Cerem. U. S.

[3] Auctores.

[4] Sanctissimum in Repositorio hodie ab omnibus adorandum, uti publice expositum.

B. In functione Solemni.

184. "Finita *Missa* accenduntur intortitia" seu candelae pro Clero, "et fit processio more solito, alio tamen Subdiacono parato" i. e. cum tunicella sine manipulo "Crucem ferente."[5]

2. Celebrans lecto ultimo Evangelio more solito, praecedentibus Diacono et Subdiacono per gradus laterales ad scamnum descendit. Ibi deponunt manipulos, Celebrans etiam planetam, adjuvante Caeremoniario, et pluviali induitur.

3. Ceroferarii a lateribus Subdiaconi cruciferi procedunt ad aditum presbyterii.

Celebrans medius inter s. Ministros fimbrias pluvialis sustinentes, accedit ante medium Altaris; et ibi in plano genuflectunt utroque genu, surgunt et in infimo gradu genuflectunt paulisper orantes. Deinde assistentibus s. Ministris "stans imponet incensum in duobus thuribulis," quae a thuriferariis stantibus offeruntur; et "cum altero thuribulo incensat ter Sacramentum" more solito. Thuriferarii, facta in medio genuflexione, se sistunt ante Altare eadem fere linea cum angulo graduum.

4. Diaconus velum a Caeremoniario acceptum, vel Caeremoniarius imponit humeris Celebrantis, quod a Subdiacono ante pectus alligatur.

Deinde Diaconus ascendit ad Altare, genuflectit, accipit calicem cum Sanctissimo dextra infra cuppam, sinistra infra pedem et porrigit illum Celebranti, genuflexo simul cum Subdiacono in ora suppedanei. Celebrans calicem accipit, ponens sinistram ad nodum et dextram supra patenam. Diaconus statim genuflectit, assurgit, calicem extremitatibus veli humeralis cooperit, prout et Subdiaconus; dum Celebrans Altare ascendit et se ad populum convertit, transeunt Diaconus ad ejus dextram, Subdiaconus ad sinistram, et fimbrias pluvialis sustinent.

5. Tunc, et non prius, cantores incipiunt hymnum *Pange lingua,* quem prosequuntur processionis tempore, exceptis ultimis strophis *Tantum ergo,* etc.; et si opus fuerit, repetunt a secunda stropha *Nobis datus.* Intonato *Pange lingua* omnes surgunt.

[5] Rubr. Miss.

6. Processio fit ordine, ut supra (n. 183, 2), sed Crucem fert Subdiaconus paratus, si adsit, medius inter duos ceroferarios; quem sequuntur cantores (si superpelliceis sint induti), dein clerici, juniores primi, omnes bini, portantes candelas in manu extima, et biretum in manu altera; thuriferarii hinc inde ante Celebrantem, facie ad Sacramentum semiversa in incessu[6] et "Sacramentum continuo incensantes usque ad locum praeparatum." Celebrans "sub baldachino" cum s. Ministris recitat *Pange lingua* et psalmos absque *Gloria Patri*. (Interea bireta Celebrantis et s. Ministrorum ad Sacellum portantur.) "Processio non exibit ex Ecclesia, sed ipsam circumibit juxta ejus capacitatem et secundum positionem Sacelli, in quo SS. Sacramentum exponatur."[7]

7. Quum ad locum paratum pervenerint, Crucifer et ceroferarii subsistent prope aditum versus latus Evangelii, facie ad processionem versa; reliqui hinc inde manent in unum aut plures ordines, ita ut digniores sint propiores Altari, facie ad invicem conversa. Thuriferarii consistent hinc inde a lateribus Altaris. Ad adventum SS. Sacramenti omnes genuflectunt.

8. Celebrans procedit ante Altare vel ante supremum gradum, et "Diaconus genuflexus a Sacerdote stante accipit calicem cum Sacramento;" tunc Celebrans genuflectit et profunde inclinat, Subdiaconus vero velum de humeris ejus tollit. Diaconus "ponit calicem primo super Altare" in corporali (vel in capsula, quam adhuc relinquit apertam[8]), et facta genuflexione descendit.

Tunc cantatur *Tantum ergo*, etc. Post *Veneremur cernui*, vel ad *Genitori* thus imponitur, et incensatur more solito. Tunc Diaconus calicem "reponit in capsula" et facta genuflexione ostiolum claudit et obserat,[9] et claviculam tradit Caeremoniario.

9. Completo cantu V. *Genitori*, etc. clerici candelas suas extinguunt, et facta genuflexione utroque genu redeunt ad Altare majus ad Vesperas recitandas.

Celebrans et s. Ministri, praecedentibus crucifero et ceroferariis, redeunt ad sacristiam, tecto capite extra conspectum Sanctissimi.

[6] D. 2368.
[7] Martinucci, II. 25.
[8] Caer. Ep. II. 23, 13.
[9] D. 2148. 6. Caer. Ep. ib.

ART. V.

DE PYXIDIS ASPORTATIONE.

185. Celebrans, vel alius Sacerdos superpelliceo et stola alba indutus (dum "in Choro dicuntur Vesperae sine cantu") praecedentibus duobus acolythis cum candelis ad Altare, "extrahit e tabernaculo pyxidem cum Particulis, collocat eam super corporale, et genuflectit. Descendens genuflectit in suppedaneo et accipit velum pro humeris. Ascendit Altare, genuflectit, et manibus velatis accipit pyxidem, et praecedentibus clericis cum cereis accensis, portat pyxidem" ad alium locum ab Ecclesia separatum, aut ad sacristiam, si adsit tabernaculum cujus ostiolum claudi possit.

Pyxis cum Particulis consecratis pro infirmis reponi nequit in urnula seu sepulchro una cum Hostia consecrata, quae reservatur pro Missa Praesanctificatorum.[1]

2. Collocata pyxide super Altare in corporali "genuflectit; deinde descendens genuflectit in suppedaneo, ubi per manus clerici deponit velum: iterum ascendit et genuflectit, aperit capsulam et recondit in ea pyxidem. Genuflectit et claudit capsulam et facta oratione in infimo gradu, genua flectit in plano, et revertitur, tecto capite, in sacristiam."

3. Tunc lampades et candelae extinguuntur exceptis iis, quae sunt in Repositorio et Altari pro Vesperis.

His tribus diebus "retinenda est consuetudo amovendi aquam benedictam a vasis Ecclesiae," [2] quamvis datum non sit explicitum praeceptum.[3] "Si soleat relinqui in vasis suis, licebit hanc consuetudinem servare." [4]

ART. VI.

DE ALTARIUM DENUDATIONE.

186. "Celebrans paratus, ut supra," i. e. stola violacea super albam, "associatus a clericis accedit ad Altare" capite cooperto. In functione solemni s. Ministri induti alba, Dia-

1 D. 9. Dec. 1899 n. 4049. 4.
2 D. 2682. 54.
3 Gardellini.
4 Martinucci, I

[redacted]

conus stola diaconali violacea, et acolythi manibus junctis praecedunt, et omnes ante Altare majus in plano genuflectunt praeter Celebrantem, qui profunde inclinat.

2. Celebrans cum Ministris et clericis ascendit Altare et "stans inchoat alta voce

"Ant. *Diviserunt sibi vestimenta mea: et super vestem meam miserunt sortem,* quam prosequitur cum psalmo: *Deus, Deus meus respice in me* [1] recitans illum cum clericis," vel s. Ministris.

3. Si chorus adsit, proceditur ad denudationem Altarium circa finem Vesperarum. Antiphonam *Diviserunt* per Celebrantem inchoatam chorus prosequitur simul cum psalmo; at ita sensim, ut (absque repetitione) cum denudatione Altarium prorsus absolvatur.

4. Celebrans adjuvantibus Ministris "Altare denudat amovendo tobaleam superiorem et alias," relicta tantum tobalea cerata. Acolythi vel clerici "recipiunt tobaleas, et amovent ab Altari vasa florum, pallium, tapete etc., adeo ut in Altari non remaneant nisi Crux et [sex] candelabra cum candelis extinctis." Tabernaculum a S. Specie vacuum relinquendum est apertum, ne fideles simplices in errorem circa praesentiam Sanctissimi incidant.[2]

5. "Celebrans, denudato Altari majori, procedet ad denudationem reliquorum Altarium." Si Altaria magno essent numero, poterunt aliqua denudari ab aliis Sacerdotibus superpelliceo et stola violacea indutis.

6. "Denudatis Altaribus Celebrans redit ante Altare majus: ubi post ultimum versum psalmi, repetita antiphona *Diviserunt,* genuflectit ad signum meridianum *Salutationis Angelicae.* Clericus cum crotalo dat signum Salutationis Angelicae, ad quod omnes genuflectunt." [3] Revertuntur in sacristiam, uti venerant. Postea "clericus amovebit a Cruce Altaris majoris vestem coloris albi, remanente consueta veste violacea."

[1] Ps. XXI. ex fer VI. ad Primam.—Altarium denudatio adumbrat Christi flagellati et Crucifixi nuditatem. Altare enim lapideum repraesentat Christum. Ps. XXI. totus est de Passione Christi.

[2] De Herdt.

[3] Hoc triduo laudabiliter recitatur *Angelus* ter in die et obtinentur indulgentiae. S. C. I. 19 Jun. 1885.

7. Hoc sancto triduo omnes transeuntes ante Crucem Altaris majoris debent reverentiam facere per genuflexionem excepto Celebrante parato, qui tantum profunde inclinat, nisi aliter notetur. Coram Sanctissimo in Repositorio seu Sepulchro sic dicto utrumque genu flectendum est.

8. "Curabit Parochus, ut assidue adsint qui orent ante SS. Sacramentum in Sacello Sepulchri, utque decens numerus cereorum" sex saltem lumina cerea[4] "in eo colluceant."

Prorsus interdicta est quaevis Benedictio cum Sanctissimo vel Expositio publica etiam per modum Quadraginta Horarum per sacrum triduum "a mane feriae quintae usque ad mane Sabbati Sancti" Missa finita.[5]

Si nulla Feria V. habeatur functio, sacra Pyxis in suo Altari servari potest usque ad solis occasum, ut fideles loco Sepulchri ad Ssmam Eucharistiam adorandam accedere valeant.[6]

9. Si urna in Altari parato per noctem non satis tuta esset, s. calix ad vesperam in tabernaculum solitum deferri, et mane feria sexta ad Repositorium referri possit.[7]

[4] Martinucci, III. 4, 92.
[5] D. 1190.
[6] D. 1. Feb. 1895, n. 3842. 3.
[7] De Herdt, III. 39.

CAPUT XVIII.

DE MISSA PRAESANCTIFICATORUM, SEU DE SACRIS RITIBUS IN FERIA VI. IN PARASCEVE PERSOLVENDIS.

ART. I.

DE PRAEPARANDIS.

187. *In Altari majori:* "Altare ipsum undequaque nudum cum sex candelabris habentibus cereos extinctos cerae communis. Crux lignea in eodem cooperta velo" violacei[1] coloris, "quod facile removeri possit." Si Crux ordinaria pro denudatione etc. adhiberi nequeat, alia Crux in Altari mane apponatur. "Pulvinar violaceum in secundo gradu Altaris;" in officio solemni duo alia pro s. Ministris.

2. "*In credentia.* Mappa unica plicata pro Altari. Legile cum Missali. Bursa nigri coloris cum corporali, palla et purificatorio; velum nigrum pro calice." In Officio solemni duo candelabra pro acolythis.

3. "*Prope credentiam.* Tapete, pulvinar violaceum et velum album serico violaceo contextum" pro adoratione Crucis. "Crux processionalis."

4. "*In Sacello Sepulchri.* Corporale stratum super Altare. Velum humerale album. Baldachinum sive Umbella albi coloris. Intortitia et cerei pro processione."

ART. II.

CONSPECTUS RITUUM HUJUS FERIAE.

188. I. Prostratione ante Altare facta, dicuntur in cornu Epistolae: Prophetia cum Tractu; Oratio; Lectio cum Tractu; Passio.—(*Concio.*)

[1] D. 30. Dec. 1881, n. 3535. 8.

Octo Monitiones cum Orationibus. Deponitur casula.

II. Denudatio Crucis cum *Ecce lignum*, etc.; deponuntur manipuli et calceamenta; adoratio Crucis. Resumptis calceamentis, manipulis et casula:[2] Improperia et *Pange lingua gl. l. certaminis* cum v. *Crux fidelis*. Candelae accenduntur.

III. Ad Sacellum. Sanctissimo ibi incensato processio (*Vexilla Regis*) ad Altare majus, ubi Sanctissimum incensatur.

IV. Hostia in corporali deponitur, infunditur vinum et aqua; incensantur oblata, Crux et Altare. Lotio manuum.

In medio Altaris: *In spiritu humilitatis. Orate fratres. Oremus, Praeceptis salutaribus,* cum *Pater noster. Libera nos.* Elevatio hostiae; ejusdem fractio. *Perceptio Corporis. Panem coelestem.* Ter *Domine non sum dignus. Corpus Domini n.* Sumptio hostiae, calicis et (unius) ablutionis digitorum nil dicendo. *Quod ore sumpsimus.*

ART. III.

DE PRINCIPIO OFFICII USQUE AD DENUDATIONEM CRUCIS.

A. De Officio absque s. Ministris.

189. Celebrans lotis manibus accipit paramenta nigri coloris, uti pro Missa. "Praecedentibus clericis manibus junctis accedit ad Altare majus tecto capite. Detecto capite genuflectit in plano Altaris, et procumbit super pulvino posito in secundo gradu, et orat spatio unius *Miserere.*"

2. "Primus clericus, accepta mappa, illam extendit per longum super Mensam Altaris adjuvante secundo clerico, non explicando eam per latitudinem; ita ut duplicatio sit versus medium Altaris, et partes explicandae versus frontem ejusdem Altaris;" seu ita ut remaneat complicata versus candelabra. "Tertius clericus collocat legile cum Missali in cornu Epistolae."

3. "Celebrans surgit, et amoto per clericum pulvinari, ascendit Altare et osculatur illud in medio. Accedens ad

[2] In officio non solemni Celebrans casulam resumit, postquam improperia recitavit et Crucem ad Altare reportavit.

cornu Epistolae legit primam Lectionem cum Tractu," manibus Missali appositis. "Deinde dicit: *Oremus*, et genuflectens cum omnibus: *Flectamus genua*, et secundus clericus primo surgens dicit: *Levate*, et Celebrans subjungit Orationem: *Deus, a quo*, etc."

4. "Deinde legit secundam Lectionem et Tractum" uti supra, "ac successive Passionem. Dicit ibidem" inclinatus versus Crucem: "*Munda cor meum*" absque *Jube*, et "prosequitur eam partem quae cantaretur in tono Evangelii."

5. "In fine non osculatur librum, sed immediate, (nisi habendus sit *sermo* de Passione) incipit in eodem cornu Epistolae monitiones" *Oremus dilectissimi*, etc. junctis manibus, "et Orationes" extensis manibus, in tono feriali Missæ; ad *Oremus* ante Orationes extendendae et jungendae sunt manus et caput est inclinandum. Si adsint cantores, omnia cantantur. *Flectamus genua*, etc. ut supra.

6. "Circa finem Orationum primus clericus adjuvante tertio, extendit ante gradus Altaris vel presbyterii tapete, et super primos ejus gradus" in medio "pulvinar violaceum, et velum album serico violaceo contextum expandunt per longum" ad Crucem desuper collocandam.

B. De Officio Solemni.

190. Diaconus et Subdiaconus induti sunt planetis ante pectus plicatis, vel solummodo alba cum manipulo, et Diaconus stola quoque humerali nigri coloris.

Omittuntur hac tota feria oscula manus Celebrantis etc., et reverentiae ad chorum.

2. Praecedentibus thuriferario et ceroferariis "sine luminaribus et incenso," s. Ministri ante Celebrantem capite tecto incedunt. Celebrans et s. Ministri se prosternunt, ponentes capita et brachia in cussinis in superiore gradu positis, dum reliqui genuflectunt capite inclinato, Caeremoniarius ad latus Epistolae, thuriferarius retro ad sinistram Celebrantis; interim acolythi unam tobaleam extendunt super Altare, ut supra n. 189, 2; tunc Caeremoniarius legile cum Missali aperto in cornu Epistolae collocat.

3. Diaconus et Subdiaconus simul cum Celebrante ascendunt eique assistunt in cornu Epistolae hoc modo: ad

[redacted]

Lectiones et Passionem stant a dextris Celebrantis, uti ad Introitum; ad Orationes ac Monitiones (*Oremus dilectissimi,* etc.) retro post Celebrantem, uti ad Orationes Missae. Post *Oremus* Diaconus cantat *Flectamus genua,* omnesque genuflectunt, excepto Celebrante,[1] Subdiaconus *Levate,* omnesque surgunt.

4. Lector, superpelliceo indutus, cantat Prophetiam, et Subdiaconus Lectionem tono Epistolae; nempe "in loco ubi legitur Epistola," accipientes librum a Caeremoniario qui ipsos comitatur, et genuflectentes in medio ante et post, sed absque salutatione chori et osculo manus Celebrantis. Subdiaconus ante Lectionem planetam plicatam adjuvante Caeremoniario ad scamnum deponit et postea resumit.

5. De *Passione* vide n. 177.—Diaconus, antequam dicat *Munda cor meum,* etc., deponit planetam plicatam et induit stolam latiorem, quam post Communionem Celebrantis infra ablutionem (seu in fine Officii) mutat cum planeta plicata.

6. Chorus sedet ad Lectiones, stat ad Orationes et ad Passionem. Thuriferarius et acolythi manebunt apud credentiam; circa Orationem pro haereticis acolythi extendunt tapete cum pulvillo et velo pro Cruce adoranda.

7. Ante Orationem pro Judaeis omittitur *Oremus, Flectamus genua.*[2]

ART. IV.

DE CRUCIS DENUDATIONE ET ADORATIONE.

A. De Officio absque s. Ministris.

191. "Completis Orationibus Celebrans" de Altari per gradus laterales descendit et "stans in eodem cornu Epistolae deponit planetam tantum. Deinde genuflectit in medio" in

1 Qui non genuflectit nisi ipse dicat *Flectamus g.*

2 Quia, inquit Alcuinus, Judaei flexis genibus Christo illuserunt.

Per *Confessores* in tertia Oratione ii intelliguntur, qui in Ecclesia ad officium divinum cantandum sunt deputati. In Psalmis *confiteri* et *psallere* sunt voces synonymae.

Monitio et Oratio pro Imperatore Romano est omittenda.

infimo gradu "Altaris, [ascendit] et accipit Crucem, et primus clericus accipit Missale." In officio solemni Diaconus Crucem tradit.)

2. Tunc descendens per gradus laterales "Celebrans accedit ad angulum posteriorem cornu Epistolae," in plano quasi collateralis candelabris Altaris, "facie versa ad populum, et clericus sustinebit Missale ante illum. Celebrans manu dextra detegit summitatem Crucis usque ad transversum illius exclusive, et Crucem ambabus manibus aliquantulum elevans, gravi voce legit" vel cantat: "*Ecce lignum Crucis;* et clerici eadem voce prosequuntur: *In quo salus mundi pependit;* et genuflectentibus omnibus praeter Celebrantem, subjungunt: *Venite adoremus,* ac deinde surgunt."

3. "Celebrans in anteriori parte cornu Epistolae" super suppedaneo "discooperiens brachium dextrum Crucis et caput Crucifixi, et magis elevans Crucem et vocem" etsi non cantet, "secundo dicit: *Ecce lignum Crucis*" et reliqua "ut prius."

4. "Celebrans tandem in medio Altaris totam discooperiens Crucem, et altius illam et vocem elevans, dicit tertio: *Ecce lignum Crucis.* Clerici prosequuntur, respondent et genuflectunt ut supra." [1]

5. "Clericus reponit Missale super legile, et discooperitur Crux processionalis et aliae omnes per Ecclesiam." Si tunc commode fieri nequeat, detegantur post officium.

6. "Celebrans descendens per latus Evangelii" ex parte anteriori graduum "portat devote Crucem ambabus manibus elevatam ad locum praeparatum. Ibi genuflexus collocat Crucem super velum pulvino superpositum et firmat eam cordulis," si opus sit.

"Surgit et facta genuflexione, vadit ad planum Epistolae, ibique sedens in scabello deponit" manipulum,[2] et "calceamenta, clericis adjuvantibus."

[1] In tres vices denudatur Crux, quia ter in passione sua Christus illusus est: Primo in praetorio, velata ipsius facie. Secundo, quando milites coronam de spinis imposuerunt capiti ejus et conspuebant faciem ejus et posuerunt arundinem in dextra ejus; quare secunda vice detegitur brachium et caput Crucifixi. Tertio, quando Christo in Cruce posito omnes transeuntes illudebant ei.—Ter postmodum Crux adoratur, ut nimirum tres istae illusiones compensentur. Olim Hierosolymis vera Christi Crux hac dumtaxat die fidelium adorationi exhiberi consuevit. De Carpo, Bibl. liturg.

[2] D. 2326. 4.

7. "Celebrans excalceatus procedit ad adorationem Crucis, quam primo, secundo, et tertio cum debita distantia," i. e. intervallo trium fere passuum inter primam et secundam atque inter secundam et tertiam genuflexionem "adorat" genuflexione utroque genu cum brevi pausa;[3] in tertia genuflexione, quin prius surgat, "osculatur Crucem," i. e. pedes Crucifixi.

8. "Surgit et facta genuflexione" simplici[4] "Cruci, redit ad scabellum et calceamenta resumit" atque manipulum; et biretum imponit.[5]

9. "Clerici deponunt et ipsi calceamenta," si consuetudo talis sit, "et post Celebrantem ante omnes alios de populo adorabunt Crucem eodem modo quo Celebrans, et reversi ad sua loca, calceamenta resumunt."

10. "Post clericos adorabunt sodales cum saccis, si adsint, deinde viri, ultimo mulieres: omnes bini, devote ac graviter."

Pro hac adoratione alia Crux loco apto super tapetum apponi, vel ad cancellos a Sacerdote fidelibus osculanda offerri potest.[6]

11. "Interim primus clericus assistit adorantibus, et secundus et tertius clericus accedunt ad Celebrantem, et alta et clara voce recitant cum eo *Improperia* ut hic." Celebrans illa recitat solus, si clerici nonnisi inepte respondere valeant. Celebrans sedens coopertus legit improperia[7] et quidem "ex toto, quamvis esset completa adoratio."[8]

Quoniam improperia propter abbreviationes ex Missali a Celebrante et clericis [Diacono et Subdiacono] difficile recitari possunt, hic apponuntur.

[3] Dicens secreto, si velit: *Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi: quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum.* Indulg.

[4] D. 10. Mai. 1895, n. 3855. 10.

[5] Casulam hic in officio solemni assumit.

[6] "One or two clergymen, in surplice and stole present the crucifix to be kissed at the railing." Cerem. U. S.

[7] Caer. Ep. II. 25, 26.

[8] Martinucci, III. 5, 66.

IMPROPERIA.

RECITANDA A CELEBRANTE CUM SECUNDO ET TERTIO CLERICO, VEL CUM DIACONO ET SUBDIACONO.

Prima Pars.

192. CELEBR. V. *Popule meus, quid feci tibi? aut in quo contristavi te? responde mihi.*

V. *Quia eduxi te de terra Aegypti: parasti crucem Salvatori tuo.*

2 CLER. [Diac.] R. *Agios o Theos.*
3 CLER. [Subd.] *Sanctus Deus.*
2 CLER. *Agios ischyros.*
3 CLER. *Sanctus fortis.*
2 CLER. *Agios athanatos, eleison imas.*
3 CLER. *Sanctus immortalis, miserere nobis.*

CELEBR. V. *Quia eduxi te per desertum quadraginta annis, et manna cibavi te, et introduxi te in terram satis bonam: parasti crucem Salvatori tuo.*

2 CL. R. *Agios o Theos.*
3 CL. *Sanctus Deus.*
2 CL. *Agios ischyros.*
3 CL. *Sanctus fortis.*
2 CL. *Agios athanatos, eleison imas.*
3 CL. *Sanctus immortalis, miserere nobis.*

CELEBR. V. *Quid ultra debui facere tibi, et non feci? Ego quidem plantavi te vineam meam speciosissimam: et tu facta es mihi nimis amara: aceto namque sitim meam potasti: et lancea perforasti latus Salvatori tuo.*

2 CL. R. *Agios o Theos.*
3 CL. *Sanctus Deus.*
2 CL. *Agios ischyros.*
3 CL. *Sanctus fortis.*
2 CL. *Agios athanatos, eleison imas.*
3 CL. *Sanctus immortalis, miserere nobis.*

Secunda Pars.

Celebr. V. *Ego propter te flagellavi Aegyptum cum primogenitis suis: et tu me flagellatum tradidisti.*

2 et 3 Cl. [Diac. et Subd.] R. *Popule meus, quid feci tibi? aut in quo contristavi te? responde mihi.*

Celebr. V. *Ego eduxi te de Aegypto, demerso Pharaone in Mare rubrum: et tu me tradidisti principibus sacerdotum.*

2 et 3 Cl. R. *Popule meus, quid feci tibi? aut in quo contristavi te? responde mihi.*

Celebr. V. *Ego ante te aperui mare: et tu aperuisti lancea latus meum.*

2 et 3 Cl. R. *Popule meus, quid feci tibi? aut in quo contristavi te? responde mihi.*

Celebr. V. *Ego ante te praeivi in columna nubis: et tu me duxisti ad praetorium Pilati.*

2 et 3 Cl. R. *Popule meus, quid feci tibi? aut in quo contristavi te? responde mihi.*

Celebr. V. *Ego te pavi manna per desertum: et tu me cecidisti alapis et flagellis.*

2 et 3 Cl. R. *Popule meus, quid feci tibi? aut in quo contristavi te? responde mihi.*

Celebr. V. *Ego te potavi aqua salutis de petra: et tu me potasti felle et aceto.*

2 et 3 Cl. R. *Popule meus, quid feci tibi? aut in quo contristavi te? responde mihi.*

Celebr. V. *Ego propter te Chananaeorum reges percussi: et tu percussisti arundine caput meum.*

2 et 3 Cl. R. *Popule meus, quid feci tibi? aut in quo contristavi te? responde mihi.*

Celebr. V. *Ego dedi tibi sceptrum regale: et tu dedisti capiti meo spineam coronam.*

2 et 3 Cl. R. *Popule meus, quid feci tibi? aut in quo contristavi te? responde mihi.*

Celebr. V. *Ego te exaltavi magna virtute: et tu me suspendisti in patibulo crucis.*

2 et 3 Cl. R. *Popule meus, quid feci tibi? aut in quo contristavi te? responde mihi.*

Tertia Pars.

Celebr. V. *Crucem tuam adoramus, Domine: et sanctam resurrectionem tuam laudamus, et glorificamus: ecce enim propter lignum venit gaudium in universo mundo.*

Psalm. 66. *Deus misereatur nostri, et benedicat nobis.*

2 et 3 Cl. R. *Illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri.*

Celebr. V. *Crucem tuam adoramus, Domine: et sanctam resurrectionem tuam laudamus, et glorificamus: ecce enim propter lignum venit gaudium in universo mundo.*

2 et Cl. R. *Crux fidelis, inter omnes arbor una nobilis: nulla silva talem profert, fronde, flore, germine.*

Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustinet.

Celebr. V.[1] *Pange lingua gloriosi lauream certaminis, et super crucis trophaeo dic triumphum nobilem: qualiter Redemptor orbis immolatus vicerit.*

2 et 3 Cl. R. *Crux fidelis, inter omnes arbor una nobilis: nulla silva talem profert, fronde, flore, germine.*

Celebr. V. *De parentis protoplasti fraude Factor condolens, quando pomi noxialis in necem morsu ruit: ipse lignum tunc notavit, damna ligni ut solveret.*

2 et 3 Cl. R. *Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustinet.*

Celebr. V. *Hoc opus nostrae salutis ordo depoposcerat: multiformis proditoris ars ut artem falleret: et medelam ferret inde, hostis unde laeserat.*

2 et 3 Cl. R. *Crux fidelis, inter omnes arbor una nobilis: nulla silva talem profert, fronde, flore, germine.*

Celebr. V. *Quando venit ergo sacri plenitudo temporis, missus est ab arce Patris Natus, orbis Conditor: atque ventre virginali carne amictus prodiit.*

2 et 3 Cl. R. *Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustinet.*

Celebr. V. *Vagit infans inter arcta conditus praesepia: membra pannis involuta Virgo mater alligat: et Dei manus, pedesque stricta cingit fascia.*

1 Hymnus *Pange lingua*, et *post* quemlibet ejus versum repetitur *Crux fidelis*, vel *Dulce lignum*, ut ibi.

[redacted]

2 ET 3 CL. R. *Crux fidelis, inter omnes arbor una nobilis: nulla silva talem profert, fronde, flore, germine.*

CELEBR. V. *Lustra sex qui jam peregit, tempus implens corporis, sponte libera Redemptor passioni deditus, Agnus in crucis levatur immolandus stipite.*

2 ET 3 CL. R. *Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustinet.*

CELEBR. V. *Felle potus ecce languet: spina, clavi, lancea mite corpus perforarunt, unda manat, et cruor: terra, pontus, astra, mundus, quo lavantur flumine.*

2 ET 3 CL. R. *Crux fidelis, inter omnes arbor una nobilis: nulla silva talem profert, fronde, flore, germine.*

CELEBR. V. *Flecte ramos arbor alta, tensa laxa viscera, et rigor lentescat ille, quem dedit nativitas: et superni membra Regis tende miti stipite.*

2 ET 3 CL. R. *Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustinet.*

CELEBR. V. *Sola digna tu fuisti ferre mundi victimam: atque portum praeparare arca mundo naufrago: quam sacer cruor perunxit, fusus Agni corpore.*

2 ET 3 CL. R. *Crux fidelis, inter omnes arbor una nobilis nulla silva talem profert, fronde, flore, germine.*

CELEBR. V. *Sempiterna sit beatae Trinitati gloria: aequa Patri, Filioque; par decus Paraclito: Unius, Trinique nomen laudet universitas. Amen.*

2 ET 3 CL. R. *Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustinet.*[2]

193. De fine adorationis. "Circa finem adorationis Crucis accenduntur candelae super Altare," et si adsint ceroferarii, super credentiam. "Tertius clericus amovet legile cum Missali ab Altari. Deinde secundus et tertius clericus explicat

[2] Improperia vocantur versus exprimentes et improperantes [improbantes] ingratissimum Judaeorum animum erga Dominum Salvatorem. Post quodlibet improperium canitur celebre trisagium *Sanctus Deus* etc., ut nempe opponatur ingrato Judaeorum animo, et ad implorandam divinam misericordiam pro peccatis nostris, quae fuerunt causa mortis Christi. Dicitur graece et latine, ut *omnis lingua confiteatur, quia D. J. Chr.* etc. (De Carpo, Biblioth. liturg. III. 150.)

tobaleam Altaris," quae hactenus relicta fuerat complicata versus candelabra. "Successive secundus clericus portat ad Altare bursam cum corporali incluso, et super eam purificatorium, et explicat corporale, et prope illud in parte Epistolae extendit purificatorium." Deficiente vero clerico, haec per Celebrantem perficiuntur, postquam Crucem ad Altare reportavit.

"Tertius clericus collocat Missale cum legili in cornu Evangelii apertum et inversum ut in Missa."

"Completa adoratione" et recitatione improperiorum, "Celebrans reportabit Crucem ad Altare cum debitis genuflexionibus." [In Officio solemni Diaconus.]

Descendit per gradus laterales ad scamnum. "Clerici amovent tapete, pulvinar ac velum, et apponitur ignis in thuribulo."

"Celebrans apud scabellum resumit planetam, et aperto capite accedit ante Altare."

B. De Officio Solemni.

194. *Celebrans,* ut in praeced. (n. 191) paucis exceptis, ibi notatis.

Diaconus et Subdiaconus completis Monitionibus (*Or. dil.*), et Orationibus, comitantur Celebrantem ad scamnum; depositis planetis assistunt in denudatione Crucis, Subdiaconus a sinistris facie ad populum versa. Diaconus, comitante Caeremoniario, per latus ascendit ad Altare et, facta genuflexione, accipit Crucem, quam, effigie ad se conversa, defert eadem via et Celebranti tradit; se sistit a dextris ejus eumque adjuvat in detegenda Cruce; Caeremoniarius assistit prope Subdiaconum.

2. Sacri Ministri post *Ecce lignum Crucis* cum Celebrante prosequuntur: *in quo salus mundi pependit.* "Choro autem cantante *Venite adoremus* omnes se prosternunt excepto Celebrante." Ita pro prima vice in plano ad cornu Epistolae, pro secunda in suppedaneo ad latus Epistolae, pro tertia in medio Altaris: tunc genibus flexis manebunt, donec Celebrans, comitante Caeremoniario, Crucem in cussino collocaverit.

3. Tunc sacri Ministri cum Celebrante surgunt, et, facta genuflexione versus Crucem, via breviori ad scamnum acce-

dunt. Ibi stant in locis suis, donec Celebrans Crucem adoraverit; qui iterum "accipit calceamenta, manipulum et casulam." Cruce per Celebrantem adorata s. Ministri deponunt manipulos, et juxta consuetudinem loci "quae servetur,"[3] etiam calceamenta. Deinde, uti Celebrans fecerat, tribus genuflexionibus simul adorant Crucem, et Crucifixi pedes primo Diaconus, dein Subdiaconus a sinistris ejus genuflexus osculatur. (No. 191, 7.)

4. Ad scamnum imponunt calceamenta ac manipulos, et Subdiaconus planetam; tunc capite tecto sedentes alternatim cum Celebrante recitant improperia, uti supra primus et secundus clericus. (No. 192.)

5. "Deinde alii clerici et laici, bini et bini, ter genibus flexis, ut dictum est [No. 191, 7], Crucem adorant,"[4] ita ut dum duo primi secundo genuflectunt, duo sequentes genuflectant primo. "Interim, dum fit adoratio Crucis, cantantur improperia, et alia quae sequuntur, vel omnia, vel pars eorum, prout multitudo adorantium vel paucitas requirit;"[5] at Celebrans cum s. Ministris omnia recitat.

6. "Circa finem adorationis Crucis accenduntur candelae super Altare" et credentiam ab acolythis. Subdiaconus ferens Crucem processionalem induit amictum, albam, cingulum, et si uti liceat, planetam plicatam; si desit alter Subdiaconus (praeter Subdiaconum Missae), acolythus superpelliceo indutus fert Crucem.

Duo thuriferarii praeparant ignem.

7. "Diaconus accipiens bursam corporalium," cum purificatorio desuper, per viam breviorem ad Altare accedit et "extendit corporale more solito et juxta illud ponit purificatorium," genuflectens in suppedaneo versus Crucem ante et post. Simul Caeremoniarius affert Missale ad cornu Evangelii.

8. "Finita adoratione" Diaconus comitante Caeremoniario accedit ad locum ubi Crux posita erat, et facta unius genu flexione "Crucem reverenter," i. e. flectens utrumque genu, "accipit et reportat ad Altare." Interim Celebrans omnesque alii genua flectunt. Diaconus, facta genuflexione, ad Celebrantem redit. Omnes sedent. "Ordinatur processio."

[3] D. 2769. 10. 5.

[4] Rubr. Miss. propr.

[5] Ib.

ART. V.

DE PROCESSIONE AD SACELLUM ET REGRESSU AD ALTARE CUM SS. SACRAMENTO.

A. De Officio absque s. Ministris.

195. "Celebrans stans ante Altare" in plano "imponit sine benedictione et sine osculis incensum in thuribulo.[1] Dirigitur Processio" per viam breviorem "ad Sacellum, ubi asservatur SS. Sacramentum, hoc ordine: 1° Vexillum viatici[2] [seu Confraternitatis]; 2° Sodales sive pii viri; 3° thuriferarius; 4° Crux processionalis denudata, et delata a tertio clerico; 5° Celebrans cum planeta, habens ante ipsum a sinistris secundum clericum."

2. "Ad Sacellum: Labarum et Crux e regione Altaris" ad latus Evangelii, thuriferarius ad cornu Epistolae; "praecedentes hinc inde Sacellum in duas lineas, et juniores prope Labarum, seniores propinquiores erunt Altari."

3. "Celebrans, facta genuflexione in plano Capellae, genuflectit in primo gradu Altaris, et orat parumper cum omnibus." Interim "accenduntur cerei pro processione, et disponitur baldachinum sive umbella."

4. Celebrans "surgit, aperit capsulam, genuflectit" unico genu, "descendit et stans imponit incensum et incensat Sacramentum in capsula" more solito; "surgit et facta genuflexione, extrahit e capsula calicem et ponit super Altare. Genuflectit, claudit capsulam, in qua [i. e. si in ea] remanet pyxis cum Particulis: iterum genuflectit et descendit primum gradum. Genuflexus in suppedaneo accipit velum humerale, surgit et facta genuflexione, stans accipit, ut heri, calicem et secundus clericus velo cooperit."

5. "Celebrans facie ad processionem versa, inchoat alta voce," si cantores desint, "hymnum: *Vexilla Regis prodeunt* etc., quem cum secundo clerico prosequitur ut infra."

[1] Haec incensi impositio potius omittitur. Martinucci III. 5, 78, et II. 26, 69.

[2] The banner, if there be any. Cerem. U. S.

[redacted]

Vexilla Regis prodeunt:
Fulget Crucis mysterium:
Qua vita mortem pertulit,
Et morte vitam protulit.

Quae vulnerata lanceae
Mucrone diro, criminum
Ut nos lavaret sordibus,
Manavit unda et sanguine.

Impleta sunt quae concinit
David fideli carmine,
Dicendo nationibus:
Regnavit a ligno Deus.

Arbor decora, et fulgida,
Ornata Regis purpura,
Electa digno stipite
Tam sancta membra tangere.

Beata, cujus brachiis
Pretium pependit saeculi,
Statera facta corporis,
Tulitque praedam tartari.

O Crux, ave, spes unica,
Hoc passionis tempore,
Piis adauge gratiam,
Reisque dele crimina.

Te, fons salutis, Trinitas,
Collaudet omnis spiritus;
Quibus Crucis victoriam
Largiris, adde praemium. Amen.

6. "Revertitur processio ad Altare" per viam longiorem, at intra Ecclesiam, ordine quo venerat, excepto thuriferario, qui thuribulum agitans immediate ante SS. Sacramentum praecedit; "Celebrans sub baldachino, habens secundum clericum [cum libro aperto] ante se a sinistris."

"In Sacello remanent quatuor candelae accensae," si adsit pyxis.

7. "Vexillum et baldachinum reponitur extra cancellos; Crux processionalis prope credentiam. Sodales et pii viri remanent extra cancellos, ibique dispositi cereos usque ad Officii finem in manibus tenebunt."

8. "Celebrans ascendit Altare et calicem ponit super corporale: deinde genuflectit, surgit, et descendit primum gradum Altaris," vel in planum,[3] "deponit velum, et stans imponit incensum, et genuflexus Sacramentum incensat."

B. De Officio Solemni.

196. Cruce per Diaconum reposita statim ordinatur processio ad Repositorium. Celebrans cum s. Ministris stans in plano ante Altare incensum imponit sine benedictione.[4] "Praecedit Subdiaconus [alter cum planeta plicata, vel alba sine dalmatica] cum Cruce inter duos acolythos deferentes candelabra cum cereis accensis," immediate post thuriferarios;[5] deinde cantores, "et Clerus per ordinem," omnes bini; "ultimus Sacerdos cum ministris" praeeuntibus capite tecto per viam breviorem usque ad aditum Sacelli. Omnes, excepto crucifero, genuflectunt, antequam discedant.

2. "Cum perventum fuerit ad locum Sacramenti," omnes, excepto crucifero, flectunt genua. Qui primi in processione incedunt, consistunt propius aditum, ceteri versus Altare, uterque thuriferarius in latere Epistolae. Celebrans cum s. Ministris in plano ante Altare flectit utrumque genu, et in infimo gradu genuflectens "orat aliquantulum." Interim "accenduntur intortitia, quae non extinguuntur, nisi post sumptionem Sacramenti."

3. Facta genuflexione "Diaconus interim aperit capsulam, in qua reconditum est Corpus Domini," quin extrahat, et repetita genuflexione redit ad locum suum. "Postea Sacerdos surgens, absque benedictione imponit incensum in duobus thuribulis, Diacono naviculam ministrante, et genuflexus incensat Sacramentum."

[3] Martinucci et alii.

[4] Caer. Ep. II. 25, 29, et plures auctores contra Martinucci etc.

[5] Quando hi nondum adsint in Sacello. (Martinucci.)

4. Tunc Caeremoniarius Celebranti imponit velum quod Subdiaconus alligat, "Diaconus" facta genuflexione, "extrahens calicem cum Sacramento de capsula, dat ad manus Sacerdotis" genuflexi, "et tegit extremitatibus veli," genuflectit et transit ad dextram, Subdiaconus ad sinistram Celebrantis ad populum conversi; statimque "cantatur hymnus *Vexilla Regis prodeunt* (n. 195, 5), et procedunt ordine quo venerunt," per viam longiorem, si placet, ad Altare majus.

5. Ibi acolythi recta ibunt ad credentiam, ubi candelabra deponunt; item crucifer, seposita Cruce exuit sacras vestes; clerici absque genuflexione versus Crucem statim ad sedes suas reversi flectunt genua; vel, si chorus sit retro post Altare, omnes simul cum ferentibus intortitia mox hinc inde in genua procumbunt, et quando Celebrans ad Altare venerit, ante idem semicirculum efficiunt.

6. "Cum venerit Sacerdos ad Altare," stans tradit Diacono genuflexo calicem, genuflectit cum Subdiacono, qui ei detrahit velum humerale; Diaconus vero Sanctissimum in medio Altari collocat, genuflectit et solvit vittam, qua velum calicis ligatum erat, et velum extendit prout fit initio Missae. Genuflectit et descendit ad dextram Celebrantis.

7. Deinde more solito thus imponitur et Sacerdos Sanctissimum "genuflexus rursum incensat," Diacono et Subdiacono partem posteriorem planetae sustollentibus. **Secundus** thuriferarius thuribulum seponit.

ART. VI.

DE RELIQUO OFFICIO HUJUS FERIAE.

A. De Officio absque s. Ministris.

197. Facta incensatione "Celebrans surgens accedit ad Altare et genuflectit; deinde solvit et amovet velum a calice, et ponit patenam super corporale. Accepto calice deponit ex eo sacram hostiam super patenam," faciens eam leviter effluere super patenam; "deinde ambabus manibus patenam ipsam accipiens, collocat hostiam super corporale, nihil

dicens, neque signans, et patenam ponit ubi alias, sed super corporale, non subtus." Si fors s. hostiam tetigerit, abluat digitos.

2. "Celebrans, facta genuflexione, accipit calicem (quem prius non extergit), et accedit versus cornu Epistolae, et calicem sinistra tenens ponit in eo vinum et aquam sine benedictione et nihil dicens. Calix non abstergitur sed ponitur in latere corporalis. Celebrans accedit in medium, et facta genuflexione reponit calicem in loco solito sine signo Crucis, et cooperit palla."

3. "Ibidem stans imponit incensum in thuribulo absque benedictione et osculis. Accepto thuribulo genuflectit, et incensat oblata, dicens de more: *Incensum istud* etc. Incensatis oblatis iterum genuflectit, et incensabit Crucem,[1] dicens: *Dirigatur Domine* etc. et repetita genuflexione Cruci, prosequetur more solito incensationem Altaris, semper genuflectens, quoties transit per medium." Secundus vero clericus interim partem posteriorem planetae ejus sublevabit, tertius clericus amovebit ab Altari legile cum Missali illudque suo tempore reponit. Celebrans "incensato Altari dat thuribulum in manu thuriferarii, dicens: *Accendat in nobis* etc., et ipse non incensatur."

4. "Celebrans immediate, advertens, ne terga vertat Sacramento, descendit e suppedaneo in secundo gradu" vel in planum per sinistram suam, "versa facie ad populum, lavat manus, nihil dicens. Redit ad medium Altaris, genuflectit, surgit, et junctis manibus super Altari, mediocriter inclinatus dicit submissa, sed intelligibili voce: *In spiritu humilitatis* etc."

5. "Celebrans osculatur Altare, genuflectit, et versus populum in cornu Evangelii dicit: *Orate fratres,* et redit per eamdem viam, non perficiens circulum, et iterum genuflectit. Non respondetur: *Suscipiat."*[2]

6. "Celebrans junctis manibus ante pectus in tono feriali dicit [vel cantat]: *Oremus: Praeceptis salutaribus* etc. et dum

[1] Hodie incensatur Crux, quamvis super Altari sit SS. Sacramentum, quia Ecclesia in hac feria speciali cultu Crucem *veneratur.*

[2] Ibi enim mentio fit Sacrificii proprie dicti; in Celebrantis vero verbis referri potest ad Missam diei praecedentis, cujus est consummatio.

dicit: *Pater noster* etc. extendit manus. Clerici respondent: *Sed libera nos a malo,* et Celebrans: *Amen* sub silentio; et adhuc tenens manus extensas, subjungit in priori tono feriali ["quo dixit *Pater noster*"]: *Libera nos* etc. et clerici in fine respondent: *Amen.*"

7. "Celebrans genuflectit, surgit, discooperit calicem, supponit patenam hostiae, et tenens manu sinistra patenam super Altare, elevat dextera hostiam, ut ab omnibus videri possit.[3] Declinat hostiam immediate super calicem jam discoopertum, et statim dividit eam in tres partes, more solito, nihil dicens, quarum ultimam immittit in calicem, pariter nihil dicens nec signans."

8. "Cooperto calice genuflectit, et postmodum surgens, manibus junctis super Altari et inclinatus dicit secreto *Perceptio corporis* etc. omissis duabus aliis Orationibus. Iterum genuflectit, deinde accepta patena cum hostia, ut alias, dicit: *Panem coelestem* etc. *Domine non sum dignus* etc. more solito ter percutiens pectus. Hostia se signat, dicendo: *Corpus Domini nostri* etc. et se communicat."

9. "Facta brevi meditatione, discooperit calicem et genuflectit. Surgit et collectis de more fragmentis, accipit ambabus manibus calicem," vel sinistra patenam, "nihil dicens nec se signans, et sumit reverenter ex eo particulam hostiae cum vino."

10. "Omissa consueta calicis purificatione, more solito abluit digitos super calicem cum vino et aqua. — Surgunt interim omnes, et cerei extinguuntur."

11. "Celebrans, sumpta in medio ablutione calicem tergit, cooperit atque componit; et" paululum "inclinatus, manibus junctis ante pectus, dicit secreto: *Quod ore sumpsimus* etc."

"Descendens in planum Altaris et facta cum clericis genuflexione Cruci, cooperto capite revertitur in sacristiam."

198. De Pyxidis Repositione. Si pyxis cum SS. Sacramento in capsula sepulchri asservatur, Celebrans indutus superpelliceo et stola alba "vadit ad sacellum," et sicuti pridie, "accipit velum pro humeris, et praecedentibus clericis cum cereis accensis reportat pyxidem, servandam in tabernaculo posito super

[3] Elevatur altera tantum manu nec fimbriae planetae sustolluntur nec thus adhibetur, ne hac die de novo consecrata putetur.

Altare alicujus remotioris capellae in Ecclesia, vel (quod congruentius) in sacristia; et ante eam lampas continuo ardeat."

2. "Si autem non adsit sacristia vel capella remotior, pyxis remaneat in loco, ubi calix repositus erat, et lampas ardens jugiter adsit."

3. "Reposita pyxide, datur signum meridianum *Salutationis angelicae* cum crotalo."

B. De Officio Solemni.

199. Incensato SS. Sacramento Diaconus et Subdiaconus simul cum Celebrante ascendunt ad Altare et genuflectunt; Subdiaconus accedit ad dextram Diaconi et iterat genuflexionem. Diaconus depromit ex calice velum, quod tradit Caeremoniario in credentia reponendum; deinde tollit patenam et pallam; patenam sustinet elevatam super corporale ante Celebrantem, qui accipit calicem et ex eo s. hostiam super patenam deponit; Celebrans reponit calicem et utraque manu "accipiens patenam de manu Diaconi hostiam sacram ponit super corporale nihil dicens. Si tetigerit Sacramentum, digitos abluat in aliquo vase." Patenam reponit super corporale a dextris suis.

2. Interim Caeremoniarius vel acolythus affert ampullas etc. et "Diaconus imponit vinum in calicem," quem sinistra elevatum tenet, "et Subdiaconus aquam, quam Sacerdos non benedicit, nec dicit super eam Orationem consuetam." Subdiaconus transit ad sinistram Celebrantis, genuflectens ante et post. Sacerdos "accipiens calicem a Diacono, ponit super Altare, nihil dicens: et Diaconus illum cooperit palla."

3. "Deinde Celebrans imponit incensum in thuribulo absque benedictione, et incensat oblata," deinde Crucem[4] "et Altare more solito" uti in Missa solemni, dicendo *Incensum istud* etc. et *Dirigatur* etc. "Quando reddit thuribulum Diacono, dicit *Accendat* etc. et ipse non incensatur."

Thuriferarius thuribulum reportat in sacristiam.

4. "Postea Sacerdos aliquantulum extra Altare in cornu Epistolae" in alterum gradum vel in planum descendens "lavat manus nihil dicens" facie ad populum versa, dum Diaconus manutergium, Subdiaconus aquam ei ministrat.[5]

[4] D. 2003. 3.

[5] *Vel forsitan* melius cerofe- rarii aquam ac manutergium porrigunt.

[redacted]

Celebrantem sequentes, Diaconus per secundum gradum, Subdiaconus in plano, genuflectunt in medio et se sistunt retro post Celebrantem. Qui dicit: *In spiritu humilitatis* etc. deinde *Orate fratres* etc. Non respondetur *Suscipiat.*

5. Postea in cantu feriali Celebrans dicit: *Oremus: Praeceptis salutaribus* etc. Sub finem Orationis *Libera nos* Diaconus ascendit ad dextram, Subdiaconus ad sinistram Celebrantis, et genuflectunt in supremo suppedaneo ad elevationem s. hostiae, at non sustollentes planetam. Statim, dum Celebrans demittit s. hostiam non iterans genuflexionem post elevationem, s. Ministri ascendunt ad latera Celebrantis; Diaconus detegit calicem; et postquam Celebrans s. hostiam in tres partes divisit ultimamque partem in calicem immisit, Diaconus calicem cooperit, Celebrans cum ministris genuflectit, qui loca mutant iterumque genuflectunt.

6. Post Orationem *Perceptio corporis* genuflectunt cum Celebrante, pectus ad *Domine non sum dignus* percutiunt et ad Communionem se inclinant. Subdiaconus calicem suo tempore detegit, vinum et aquam pro una ablutione digitorum infundit.

7. Surgunt omnes et candelas suas extinguunt.

Subdiaconus transit ad latus Evangelii, genuflectens in medio infimi gradus, et extergit componitque calicem, ut in Missa solemni, altero acolytho afferente velum, atque calicem ad credentiam defert; deinde revertitur ad sinistram Celebrantis.

Diaconus interim prope credentiam deposita stola latiori resumit planetam plicatam et revertitur ad dextram Celebrantis.

8. Dicta Oratione *Quod ore sumpsimus* clauditur Missale et omnes de Altari descendunt, genuflectunt in plano[6] et capite tecto discedunt, praecedentibus thuriferario sine thuribulo et acolythis sine candelabris.

9. "Et dicuntur Vesperae sine cantu," relictis super Altare candelis accensis, "et denudatur Altare" ab acolytho sine alia caeremonia.

[6] D. 3059. 4.

[redacted]

CAPUT XIX.

DE SABBATO SANCTO.

ART. I.

DE PRAEPARANDIS PRO OMNIBUS S. FUNCTIONIBUS.

200. "*Extra portam principalem,*" in atrio seu in aditu ipso:

(*a*) "Mensa cum mantili albo, et super eam:

(*b*) "Legile parvum cum Missali.

(*c*) "Patera argentea," vel argenteo colore obducta, "cum quinque globulis incensi;

(*d*) "Thuribulum et navicula cum thure.

(*e*) "Vas aquae benedictae cum aspersorio;" nisi haec (*c–e*) a clericis portentur.

(*f*) "Manipulus, stola et dalmatica albi coloris."

Pro officio solemni manipulus violaceus Subdiaconi.

(*g*) "Laterna cum candela" et ramentum sulphuratum ad accendendum lumen.

(*h*) "Item prope mensam tripes cum foculo[1] in quo carbones accendendi pro novo igne."

(*i*) "Forcipes ferreae."[2]

(*k*) "Arundo ornata cum tribus candelis in summitate."[3]

2. "*In Altari majori:* (*a*) Duplex in eo Pallium [Antipendium], album subtus et violaceum desuper." Tabernaculi ostiolum relinquatur apertum.

(*b*) "Pes ligneus vel basis marmorea in latere Evangelii pro firmanda arundine.

(*c*) "Legile pro Praeconio" panno albo contectum.

[1] Chafing dish.

[2] Tongs.

[3] Candelas oportet conjungi in ima parte et quid unum veluti efformare, exinde in tres distingui aeque inter se dissitas, adeo ut trianguli similitudo in vertice oriatur: ad mysterium nempe Unitatis et Trinitatis per symbola exprimendum. (Gavant.)

[redacted]

(*d*) "Cereus benedicendus,[4] aptatus in candelabro magno a latere Evangelii."

(*e*) Aliud legile nudum ad legendas prophetias, in medio presbyterii ponendum.

(*f*) "Lampades compositae."

3. "*In credentia:* mensa mantili albo cooperta" etc.

Pro officio solemni: duo candelabra pro acolythis, in benedictione fontis; tres cussini violacei.

Ibidem vel *ad scamnum:* planeta et manipulus violaceus pro Celebrante et manipulus viol. pro Diacono.

4. "*In sacristia:* (*a*) Stola et pluviale coloris violacei; manipulus, stola et planeta violacea" nisi ponantur in scamno.

(*b*) Paramenta alba pro Missa.

Pro officio solemni planetae plicatae violaceae pro Diacono et Subdiacono.

5. "*In Baptisterio:* (*a*) Mensa cooperta albo mantili.

(*b*) Manutergia duo.

(*c*) Vas pro aqua benedicta et aspersorium.

(*d*) Vasa ad extrahendam aquam e fonte.

(*e*) Ampullae oleorum Chrismatis et Catechumenorum.

(*f*) Vasa ad lavandas manus cum mica panis.

(*g*) Bombacium ad manus inunctas tergendas."

Fons diebus praecedentibus purgandus est.

ART. II.

CONSPECTUS FUNCTIONUM SABBATI SANCTI.

201. I. *Benedictio ignis et granorum incensi:* Sacerdos indutus pluviali violaceo, crucifer etc. procedunt ante portam, et ignis ac 5 grana benedicuntur. Sacerdos [Diaconus] induit dalmaticam etc. albi coloris; imposito thure processio ad Altare; *Lumen Christi* (*a*) ad ingressum, (*b*) in medio Ecclesiae, (*c*) ante Altare.

[4] Cereus Paschalis renovari non debet quotannis ex toto; sed potest et debet renovari tantum, quum pars accendenda non sufficiat pro toto tempore Paschali. D. 27 Mar. 1896, n. 3895. V.

II. *Exsultet:* Dicto *Jube Domine* [*Domne*] *benedicere* etc., et incensato libro in latere Evangelii: *Exsultet.*

Deponuntur paramenta alba.

III. *Prophetiae:* Sacerdos indutus manipulo, stola et casula violacea in cornu Epistolae legit 12 prophetias etc. Deponit casulam et manipulum, et si fons sit benedicendus, resumit pluviale violaceum.

IV. *Benedictio fontis:* processio ad Baptisterium, *Sicut cervus;* duae Orationes et Praefatio; aspergitur Clerus et populus; infunduntur s. olea; processio ad Altare.

V. *Litaniae,* intra quas, si cantores adsint, Sacerdos [et s. Ministri] sint prostrati; ad *Peccatores* in sacristiam; accenduntur candelae, desumitur antipendium violaceum, (detegitur imago imminens Altari,) etc.

VI. *Missa* sine Introitu, Credo, Offertorio, Agnus Dei, osculo pacis. Vesperae loco Communionis etc.

Reportatur pyxis cum s. Particulis.

ART. III.

DE PRINCIPIO OFFICII USQUE AD BENEDICTIONEM CEREI.

A. De Officio absque s. Ministris.

202. "Extra Ecclesiam" per sacristam vel alium ministrum "excutitur novus ignis e silice, et ex eo accenduntur carbones in foculo." Postea saltem "quatuor clerici accipiunt superpellicea. Dato signo cum crotalo Celebrans lotis manibus accipit amictum, albam, cingulum, stolam et pluviale coloris violacei," vel "sine casula." [1]

2. "Proceditur ad portam principalem hoc ordine:

(*a*) "Primus clericus manibus junctis" (thuriferarius);

(*b*) "Tertius clericus cum Cruce processionali;"

(*c*) Clerus, si adsit;

(*d*) "Celebrans inter clericos secundum et quartum."

3. "Extra portam clericus cum Cruce sistit in limine portae renes eidem vertens, facie Crucifixi versa ad Celebrantem; qui

[1] Rubr. Miss.

[redacted]

ante mensam collocatam inter ipsum et Crucem stans benedicit ignem tribus Orationibus: deinde unica Oratione grana incensi.

"Dum Celebrans benedicit incensum primus clericus forcipe novum ignem benedictum ponit in thuribulo. Celebrans imponit cum benedictione [*Ab illo benedicaris* etc.] et osculis incensum in thuribulo, deinde adspergit ignem et grana, dicens Ant. *Adsperges me* etc., et eadem thurificat. Thuriferarius recepto thuribulo ponit" vel addit "alium novum ignem in eo" si opus fuerit.

4. "Celebrans," sin adsit Diaconus vel alius Sacerdos pro *Exsultet*, "deposito pluviali ac stola coloris violacei, accipit manipulum, stolam in humero sinistro et dalmaticam albi coloris. Interim secundus clericus accendit candelam de novo igne, et recondit in laterna, et quartus accipit pateram cum granis incensi."

5. "Celebrans iterum ponit incensum in thuribulo cum benedictione et osculis, et postea [Diaconus] accipit arundinem. Proceditur ad benedictionem cerei ordine sequenti:

(*a*) Clericus cum granis incensi a dextris, et thuriferarius a sinistris;

(*b*) Tertius clericus cum Cruce;"

(*c*) Clerus, si adsit;

(*d*) "Celebrans [post Diaconum] cum arundine et clericus cum laterna a sinistris ejus.

Ingrediuntur Ecclesiam et sistunt, quando Celebrans ingressus fuerit januam Ecclesiae."

6. "Celebrans ingressus Ecclesiam inclinat arundinem, et accensa ex laterna una ex tribus candelis per secundum clericum, genuflectit, genuflectentibus omnibus excepto clerico portante Crucem. Celebrans [Diaconus] genuflexus clara voce dicit [cantat si adsint cantores]: *Lumen Christi:* tum surgit, surgentibus omnibus, et clerici respondent: *Deo gratias.*

Proceditur usque ad medium Ecclesiae, ubi secundo fiunt ut supra, accensa secunda candela; praeter modulationem vocis, quae alta esse debet ["altius cantat"].

Proceditur tandem ante gradus Altaris, et accensa tertia candela, tertio fiunt antedicta cum altiori voce.

B. De Officio Solemni.

203. Celebrans ut num. praecedenti.

Diaconus et Subdiaconus[1] induunt albas, et planetas plicatas si uti liceat, sine manipulis; Diaconus etiam stolam humeralem coloris violacei.

2. Proceditur ad portam ordine sequenti:

(*a*) Tres acolythi: medius cum vasculo aquae benedictae; a dextris ejus thuriferarius cum thuribulo vacuo et navicula, a sinistris afferens grana;

(*b*) Subdiaconus Missae ferens Crucem;

(*c*) Clerus;

(*d*) Celebrans et Diaconus a sinistris ejus, capitibus tectis.

3. In atrio aut extra portam Crucifer se sistit contra portam vel in limine; facie ad Celebrantem versa; Diaconus a dextris Celebrantis, Caeremoniarius a sinistris, acolythi cum thuribulo et granis prope Celebrantem retro a dextris; Clerus dispositus in unum vel plures ordines, seniores propiores Celebranti juniores Crucifero. Caeremoniarius accipit bireta Diaconi et Celebrantis. Acolythus vasculum aquae benedictae deponit et sustinet Missale ante Celebrantem. Novus ignis reperiatur accensus.

4. Benedictio ignis et granorum fit uti in Missali, et supra (A) notatur. Diaconus et Caeremoniarius ministrant ad adspersionem et incensationem; thuriferarius ut supra (A).

5. Tum Diaconus exuit paramenta violacea et assumit manipulum, stolam humeralem et dalmaticam albi coloris, adjuvante Caeremoniario; Subdiacono acolythus manipulum violaceum imponit; acolythus ex igne benedicto parvam candelam accendit. Celebrans, Diacono ministrante, imponit thus pro processione et incensatione libri ad *Exsultet*. (Paramenta deposita et biretum Diaconi clerici ad scamnum deferunt.)

6. Processio dirigitur hoc ordine:

(*a*) "Praecedit thuriferarius, cum acolytho deferente in vase quinque grana incensi" a dextris ejus;

[1] Celebrans et s. Ministri pro benedictione cerei, pro Prophetiis et *Exsultet*, ac pro benedictione fontis iidem debent esse ac pro Missa (D. 2783. 1; et 2965. 3.), nisi necessitas vel ratio justa excuset.

(*b*) "Sequitur Subdiaconus cum Cruce" solus;

(*c*) "Et Clerus per ordinem;"

(*d*) "Deinde Diaconus cum arundine" et a sinistris ejus acolythus cum candela accensa."

(*e*) "Post eum Celebrans" capite tecto.

7. "Cum Diaconus" et Celebrans "ingressus est Ecclesiam," consistunt omnes, et Diaconus "inclinat arundinem, et acolythus deferens candelam accensam de novo igne accendit unam ex illis tribus candelis; et Diaconus elevans arundinem genuflectit, similiter et omnes alii cum eo, praeter Subdiaconum Crucem ferentem, et cantat solus: *Lumen Christi;*" choro respondente: *Deo gratias* omnes surgunt et progrediuntur.

8. Ita porro in medio Ecclesiae *Lumen Christi* etc. et ante Altare eadem verba "cantans altius,"[2] ubi consistunt Subdiaconus et thuriferarius cum socio suo ante infimum gradum, reliqui de clero hinc inde, vel ob loci angustiam petunt subsellia chori, Diacono et Celebrante pergentibus usque ad medium fere presbyterii.

ART. IV.

DE BENEDICTIONE CEREI.

A. De Functione absque s. Ministris.

204. "Responso pro tertia vice post *Lumen Christi,* a clericis *Deo gratias,* omnes formant rectam lineam cum Celebrante in medio eorum ante Altare. Secundus clericus deponit laternam super credentiam et accipit Missale pro Praeconio, et tradit illud Celebranti, qui vicissim dat illi arundinem."

2. "Celebrans tenens Missale genuflectit in infimo gradu Altaris, dicit tantum: *Jube Domine benedicere. Dominus sit in corde meo, et in labiis meis: ut digne et competenter annuntiem suum paschale praeconium. Amen.* Deinde surgens, ac facta cum omnibus genuflexione Altari," exceptis Crucifero et acolytho tenente arundinem, "accedit ad legile paratum in plano Evangelii pro praeconio hoc ordine:

[2] e. g. notas musicas: 1° *A.*, 2° *B.*, 3° *C sharp.*

"Thuriferarius habens a dextris clericum cum granis.

"Clericus cum Cruce habens a sinistris clericum cum arundine.

"Celebrans cum Missali."

3. "Ad legile in plano Evangelii sic se disponunt recta linea, et vertentes faciem sicut Celebrans," nempe versus aquilonem prout fit ad cantum Evangelii nisi cantetur in ambone.[1]

(c) Thurif.	▯	(a) "Celebrans ponit Missale super legile;"
(b) Crucif. [vel Subd.[2]]	▯	(b) "Clericus cum Cruce a dextris Celebrantis;"
(a) Celebr. [vel Diac.[2]]	▯	(c) "Thuriferarius a dextris supradicti;"
(d) Arund.	▯	(d) "Clericus cum arundine a sinistris;"
(e) Grana.	▯	(e) "Clericus cum granis a sinistris arundinis."

4. "Celebrans accedente thuriferario incensat Missale apertum super legile et incipit praeconium *Exsultet* etc. clara et hilari voce. Ad verba: *Curvat imperia,* infigit grana incensi hoc ordine: $\begin{smallmatrix} & 1 & \\ 4 & 2 & 5 \\ & 3 & \end{smallmatrix}$ Quartus clericus deponit in credentia pateram, ubi erant grana incensi, et accipit virgam cum candelula superinflexa, et redit ad pristinum locum.

Ad verba: *Rutilans ignis accendit,* Celebrans ex arundine cereum accendit. Ad verba: *Apis mater eduxit,* quiescit, donec quartus clericus ex cereo per candelulam in virga lampadem vel lampades accendat." (Oratio pro Rom. imperio *Respice* usque ad *Per eumdem D.* omittenda est.)

5. "Finito praeconio Celebrans claudit Missale: secundus clericus firmat arundinem in sua basi a latere Evangelii: tertius deponit Crucem. Praecedentibus clericis, facta genuflexione Altari, revertitur ad sacristiam" vel ad scamnum. "Ibi depositis paramentis albis accipit manipulum, stolam et planetam coloris violacei."

[1] D. 29. Mai. 1900, n. 4057. [2] In functione solemni.

B. De Functione Solemni.

205. Postquam *Lumen Christi* etc. tertia vice cantatum est, "Celebrans ascendit ad Altare," quod osculatur in medio, et se sistit "in cornu Epistolae et Diaconus dat arundinem uni acolytho" scil. socio qui parvam candelam deposuerat. Diaconus a Caeremoniario accipit librum, ascendit ad Altare ibique "petit a Celebrante benedictionem ut fit ad Evangelium," dicens tantum *Jube Domne benedicere,* "Sacerdote dicente: *Dominus sit*" etc., nempe pro verbo *Evangelium suum* dicet *suum paschale praeconium;* et omittit osculum manus.[3]

2. Diaconus descendit in planum et ibi una cum ministris, exceptis Crucifero et acolytho cum arundine, genuflectit, ipse in gradu, reliqui in plano; tunc subsequens alios "vadit ad pulpitum et ponit super eo librum;" omnes stant ut supra n. 204, 3.

3. Diaconus librum incensat ut ad Evangelium. Omnes surgunt et Celebrans se convertit "ut fit ad Evangelium. Diaconus cantat *Exsultet,*" omniaque perficit ut in Missali et num. praecedenti notatur.[4]

4. Completa benedictione cerei Diaconus, clauso libro, una cum Subdiacono, qui acolytho Crucem seponendam tradit, vadit ad scamnum, ubi "depositis albis sumit violacea paramenta," i. e. manipulum, stolam et planetam plicatam. Simul Celebrans per latus descendit et "exuitur pluviali, et sumit manipulum et casulam violacei coloris." Adjuvant Caeremoniarius et acolythi.

ART. V.

DE PROPHETIIS.

A. De Functione absque s. Ministris.

206. "Celebrans paratus ut supra (planeta violacea etc.) praecedentibus clericis procedit ad Altare. Facta reverentia Cruci ascendit ad Altare, osculatur illud in medio, et accedit

[3] Caer. Ep. II, 27. 9.

[4] Durante praeconio crux Cerei Paschalis debet respicere Celebrantem, post praeconium populum. D. 1. Feb. 1907, n. 4198. 7. 8.

ad cornu Epistolae;" vel a scamno ascendit per gradus laterales. "Ibi alta voce legit duodecim Prophetias, Orationes et Tractus genuflectens cum omnibus, dum ante Orationes, excepta ultima, dicit: *Flectamus genua,* et clericus surgens respondet: *Levate.*"

2. "Completa ultima Oratione, Celebrans facta ibidem reverentia," i. e. inclinatione, "Cruci, descendit ad scabellum in plano Epistolae, et deponit planetam et manipulum. Si Ecclesia habuerit fontem baptismalem,[5] Celebrans accipit pluviale violaceum. Si autem fontem non habet, accedit sine casula ante Altare pro Litaniis.

B. De Functione Solemni.

207. *Diaconus et Subdiaconus* simul cum Celebrante accedunt per gradus laterales ad cornu Epistolae. Infra Prophetias vel Tractus consistunt a dextris Celebrantis ut ad Introitum; ad Orationes vero retro post Celebrantem uti ad Orationes in Missa. Post *Oremus,* excepto ultimo, Diaconus cantat: *Flectamus genua,* omnesque genuflectunt excepto Celebrante, Subdiaconus: *Levate* omnesque surgunt.

2. *Caeremoniarius* pro quaque Prophetia *Lectorem* cum inclinatione invitat, qui simul cum illo procedit ad legile in medio Presbyterio, ibique genuflexionem ad Altare et reverentiam ad chorum faciunt, et Lector Prophetiam integram[6] cantat manibus ad librum appositis; simul "Celebrans legit eas submissa voce."[7]

Lector, nisi cantetur Tractus, expectat ante Legile et genuflectit ad *Flectamus genua,* ac statim, salutato Choro et comitante Caeremoniario, revertitur.

Thuriferarius et acolythi stabunt ad credentiam.

[5] Seu jus baptizandi.

[6] D. 3104. 8.

[7] Prophetiae omitti vel mutilari non possunt, ubi hodie celebratur. Deficientibus Lectoribus Celebrans eas alta voce legit.

[redacted]

ART. VI.

DE BENEDICTIONE FONTIS.

A. De Functione absque s. Ministris.

208. "Primus clericus accipiens cereum paschalem et tertius Crucem processionalem veniunt ante Altare. Duo alii clerici veniunt ad Celebrantem," qui procedit ante Altare, reverentiam facit Cruci et "incipit alta voce Tractum: *Sicut cervus* etc. ut infra, quod lente prosequetur cum clericis" vel solus si inepte recitent.

2. "Dirigitur processio ad fontem hoc ordine:

(*a*) "Clericus cum cereo;

(*b*) "Clericus cum Cruce;"

(*c*) Cantores et Clerus si adsint;

(*d*) "Celebrans medius inter clericos, recitans, tecto capite, Tractum:"

V. *Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum; ita desiderat anima mea ad te, Deus.*

V. *Sitivit anima mea ad Deum vivum: quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?*

V. *Fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte, dum dicitur mihi per singulos dies: Ubi est Deus tuus?*

3. "Ante cancellos fontis sistant omnes, et Celebrans facie versa ad Crucem," quae sit extra aditum Baptisterii versus partem dextram, "expleto Tractu dicit" vel tono feriali cantat primam "Orationem, sustinente librum quarto clerico." Tunc "clericus cum cereo, et deferens Crucem ingrediuntur cancellos Baptisterii, si loci capacitas sinat," vel approximabunt ad fontem: "stabunt vero semper ante faciem Celebrantis."

4. "Celebrans accedit prope fontem, et dicit," vel cantat "secundam Orationem et Praefationem, ut in Missali, tenens semper manus junctas," et, si nihil obstat, facie ad orientem seu Sanctuarium versa. "Intra Praefationem, juxta proprios Rubricae locos, haec peragit," quae in Missali notantur. Quando "manu aquam dividit, et effundit eam versus quatuor

mundi partes," fit versus "Orientem, Occidentem, Aquilonem et Austrum hoc modo: $\begin{smallmatrix} & 1 & \\ 3 & & 4 \\ & 2 & \end{smallmatrix}$ "

5. Finita Praefatione, et dicto: *Per Dominum* etc. R. *Amen,* "secundus clericus accipit vas pro aqua benedicta, et cum eo haurit aquam ex fonte. Celebrans, accepto adspersorio, adspergit se et circumstantes; deinde, medius inter clericos adspergit omnes per Ecclesiam de dicta aqua et revertitur ad fontem;" vel alius Sacerdos, si adsit, indutus superpelliceo et stola violacea, adspersorium porrigit Celebranti se ipsum et circumstantes adspergenti, dein populum per Ecclesiam adspergit, ac reversus stolam deponit.

6. "Extrahitur aqua benedicta pro fontibus lustralibus, benedictionibus domorum et esculentorum, ac adspersione in crastinum."[1]

7. "Celebrans accedens ad fontem infundit in aquam Oleum Catechumenorum in modum Crucis, dicens: *Sanctificetur* etc. Deinde similiter Chrisma, dicens: *Infusio Chrismatis* etc. Tandem infundit simul utrumque Oleum, pariter in modum Crucis, dicens: *Commixtio Chrismatis* etc. Miscet manu sua Olea infusa cum aqua, et spargit per omnem fontem. Abstergit manum bombacio, deinde lavat manus cum mica panis." Fons vero clauditur vel caute custoditur, ne fideles aquam pro adspersione exhauriant.

8. "Parochus curet, ut Presbyter vel Clericus, si possibile sit, in Sacris constitutus[2] nova Olea Sacra recipiat. Quod si aliquod adhuc extet impedimentum, idem Parochus vel per se vel alium Sacerdotem benedicat fontem sine sacrorum Oleorum infusione, quae privatim opportuno tempore fiet: nisi aliquem baptizare debeat; tunc enim in ipsa benedictione solemni vetera Olea infundat."[3] "Sustineri non potest consuetudo benedicendi solemniter aquam in Sabbato Sancto et vigilia Pentecostes in vase seu fonte portatili sine sanctorum Oleorum commixtione."[4]

[1] As, generally, the font is not sufficiently large, the water is blessed in a more capacious vessel; in which case the font is filled with blessed water by means of vases prepared for that purpose. Cerem. U. S.

[2] *Deficientibus* clericis, licet Olea consecrata mittere per viros laicos, mode constet de eorum, qui ad id deputantur, fidelitate; non vero licet ea transmittere per *Express.* S. R. U. I. 1. Mai. 1901.

[3] D. 31. Jan. 1896, n. 3879.

[4] D. 3272.

"Aqua baptismalis in Parochiis est benedicenda in Sabbatis Paschae *et Pentecostes,* non obstante quacumque contraria consuetudine, quae omnino eliminari debet."[5]

B. De Functione Solemni.

209. Completa Oratione post Prophetias Celebrans, Diaconus et Subdiaconus a latere descendunt ad scamnum et manipulos deponunt, adjuvantibus Caeremoniario et acolythis. Celebrans deposita casula induitur pluviali violaceo. Candelae ceroferariorum in credentia accenduntur. Chorus interim sedet.

2. Proceditur ad fontem hoc ordine:

(*a*) Clericus cum cereo paschali (thuriferarius);

(*b*) Clericus ferens Crucem processionalem superpelliceo indutus[6] medius inter ceroferarios;

(*c*) Cantores;

(*d*) Clerus; ultimo Caeremoniarius;

(*e*) Celebrans, medius inter s. Ministros, sustinentes fimbrias pluvialis; hi tres capite tecto.

In via cantatur *Sicut cervus.*

3. Ad Baptisterium clericus cum cereo subsistet versus dextram Diaconi; Crucifer cum ceroferariis extra aditum ad dextram; post primam Orationem ingrediuntur in Baptisterium vel approximabunt fonti, stabunt facie ad Celebrantem versa. Clerus hinc inde in duos vel plures ordines. Celebrans et s. Ministri ante ingressum deponunt bireta.

4. Celebrans peragit quae in Missali et supra A. 3–8 notantur. Cantata prima Oratione ingrediuntur in septa fontis. S. Ministri ministrant Celebranti, sustollentes fimbrias pluvialis si opus fuerit, porrigendo mantile, s. Olea etc.

5. Ante infusionem Oleorum acolythus aquam benedictam haurit in vasculum; dignior de clero stolam violaceam supra superpelliceum imponit et adspersorium Celebranti porrigit, qui se ipsum, digniorem et ministros adspergit; tunc dignior, comitante acolytho, clerum et populum per Ecclesiam adspergit; interim Celebrans et Ministri capite tecto sedere pos-

[5] D. 3331; 7 Jun. 1892, n. 3776. 1; et 13 Jan. 1899, n. 4005.

[6] Martinucci, De Carpo. De Herdt, etc., juxta Caer. Ep.

sunt. Postea Celebrans sacra Olea infundit etc. ut supra n. 7.

6. Finita benedictione fontis revertuntur ad Altare eodem ordine quo venerant. Ibi cereus in suo candelabro, ceroferariorum candelabra in credentia ponuntur. Clerus, facta genuflexione ad Crucem Altaris, et mutua inclinatione, petit sedes suas; Celebrans ad scamnum deponit pluviale, s. Ministri planetas plicatas, si eis utantur.

7. "Ubi non est [de jure] fons baptismalis, finita ultima Prophetia cum sua Oratione, Celebrans casulam [et manipulum] deponit, et cum ministris [depositis manipulis et planetis] ante Altare procumbit: et aliis omnibus genuflexis, cantantur Litaniae in medio Chori a duobus cantoribus." Benedictio aquae in Sabbato Sancto sine infusione Olei Sancti fieri non potest in Ecclesiis non habentibus Fontem Baptismalem.

ART. VII.

DE LITANIIS ET MISSA CUM VESPERIS.

A. De Functione absque s. Ministris.

210. Completa benedictione fontis "Celebrans redit ante Altare cum clericis" eodem ordine quo venerant. "Cereus figitur proprio candelabro, et Crux deponitur in cornu Epistolae. Celebrans stans ante Altare deponit pluviale tantum."

2. "Celebrans genuflexus, omnibus similiter genuflectentibus, recitat Litanias ex Missali, posito super scabello ante seipsum. Clerici respondent et repetunt omnia, quae Celebrans dicit." E. g. Celebrans [cantores]: *Sancta Maria, ora pro nobis.* Clerici [chorus]: *Sancta Maria, ora pro nobis.*

3. "Ad verbum *Peccatores*, tollitur pallium violaceum ab Altari: accenduntur candelae, et vasa florum inter candelabra apponuntur" et detegitur imago imminens Altari ante Missam, si ad *Gloria* fieri nequeat.

Si cantores habeantur, Celebrans deposito pluviali, ante Altare procumbit; quando cantatur *Peccatores* etc. ad sacristiam accedit.[1]

[1] De Herdt, III. 67.

[redacted]

4. "Celebrans prosequitur Litanias usque ad *Christe exaudi nos* inclusive. Surgit et praecedentibus clericis accedit in sacristiam; ubi, deposita stola violacea, accipit manipulum, stolam et planetam albi coloris."

211. De Missa. "Celebrans comitatus a clericis redit ad Altare" et celebrat Missam more solito hisce exceptis: omittit Introitum, *Credo,* Offertorium, *Agnus Dei,* atque loco Communionis dicit Vesperas.

2. Proinde (dicta Confessione etc.) "ascendit Altare, completaque oratione *Aufer a nobis etc.* in ejus medio, dicit immediate: *Kyrie eleison.* Ad *Gloria in excelsis* pulsantur campanae, quae usque ad hanc horam siluerant;" et, si Missa cantetur, organa, quae deinceps in Missa pulsantur ut assolet, et campanae statutis temporibus post Missam. At si Ecclesia Cathedralis, vel Ecclesia Matrix cui aliae filiales subjectae sint, tam vicinae sint, ut audiri possint campanae, pulsentur quidem intra Ecclesiam, non vero in turri donec campanae Cathedralis vel Matricis Ecclesiae pulsari inceperint.[2]

Ad hymnum Angelicum, si commode fieri potest vel post Officium diei Sacrae Imagines usque adhuc velatae deteguntur.[3]

3. "Post Epistolam Celebrans dicit [cantat] ter *Alleluja,* elevando gradatim vocem, et clerici [cantores] post quamlibet vicem in eodem tono repetunt illud."

4. Post ablutionem "loco Ant. *Communio* dicuntur *Vesperae* ut in Missali," alternatim cum clericis. Ad *Magnificat* in Missa cantata, non vero in Missa lecta, Altare incensare licet.[4]

5. Post Missam Sacerdos indutus superpelliceo et stola alba pyxidem cum s. Particulis ad tabernaculum reportat, observans ritum, uti in Coena Domini (n. 185).

6. Deinde "extinguuntur tres candelae in cuspide arundinis, quae amplius non accenduntur et arundo ipsa amovetur omnino." [5]

[2] Caerem. Ep. II. 27, 23; et S. C. R. varia decreta.

[3] D. 1248; et 2965. 2.

[4] In Missa consecratur hostia major pro Ostensorio, si cum licentia Ordinarii vespere hujus diei (dupl. 1ae cl.) **habenda** sit Benedictio Sanctissimi vel processio (quae tamen procedere non debet ex "Sepulchro").

[5] Memor. Rit. Cf. D. 2873. 5.

7. "Cereus paschalis, remanens in suo candelabro," in plano Evangelii[6] "accendetur in Missis in omnibus Dominicis ac festis Domini, et Sanctorum de praecepto;" item juxta S. R. C.[7] "accenditur ad Missas et Vesperas solemnes in tribus diebus Paschae, Sabbato in Albis et in diebus Dominicis usque ad festum Ascensionis Domini, quo die cantato Evangelio [per acolythum] extinguitur;" porro ex laudabili consuetudine accendi potest per totam octavam Paschatis, in festis Sanctorum solemniter celebratis, in Missa parochiali etiam non cantata in Dominicis, nunquam vero in Missis coloris violacei vel nigri.[8] "In die Ascensionis Domini, completa Missa, removetur e candelabro, et servatur accendendus in vigilia Pentecostes ad Benedictionem fontis;" ardere vero non debet, dum cantatur Missa in vigilia Pentecostes.[9]

B. De Functione Solemni.

212. Diaconus et Subdiaconus simul cum Celebrante, planetis depositis,[10] ante Altare procedunt, et facta reverentia resp. genuflexione ad Crucem, congeniculabunt in infimo gradu seque prosternunt, brachia et caput ponentes in pulvinis per acolythos praeparatis. "Et omnes in suis locis genuflectunt: et duo cantores genuflexi ante scabellum inchoabunt Litanias[11] utroque choro idem simul respondente."[12]

2. Ad verbum *Peccatores* Sacerdos et Ministri surgunt, et facta reverentia ad Crucem, praecedentibus acolythis et Caeremoniario accedunt ad sacristiam et induunt paramenta albi coloris pro Missa. Interim accenduntur luminaria in Altari, removentur cussini et antipendium violaceum, ponuntur tabellae secretarum.

3. Quando a choro cantatum est *Christe exaudi nos*, Celebrans cum Ministris et reliquis ad Altare accedit, et tunc,

[6] D. 2890. 2.

[7] D. 235. 11.

[8] Cf. Merati, I. 4, 10. In benedictione cum SS. Sacram. cereus *non* accenditur. D. 3479. 3.

[9] D. 24. Nov. 1899, n. 4048. 10.

[10] Et manipulis, si non fuerit benedictio fontis.

[11] *Caer. Ep.* II. 27, 19.

[12] Rubr. Miss. Merati et alii in Ecclesiis non cathedralibus Litanias jam in processione a fonte ad Altare cantandas volunt; at Martinucci, II. 27, 92, discrepantiam inter Rubricas Caeremonialis Ep. et Missalis non patere censet.

non prius, "cantores solemniter incipiunt *Kyrie eleison* etc. et ter singula repetuntur."

4. Celebratur **Missa solemnis** ritu solito, exceptis sequentibus: Omittitur Introitus, (ad *Gloria* ut supra), *Credo*, Offertorium, *Agnus Dei*. Acolythi ad Evangelium assistunt manibus junctis sine candelabris. Non datur *Pax*, sed dicto *Pax Domini* etc. Diaconus et Subdiaconus commutant loca.

5. "Post sumptionem Sacramenti pro Vesperis in Choro cantantur Ant. *Alleluja* et Ps. *Laudate*." Celebrans cum Ministris stando ut ad Introitum, eadem recitat. Repetita Antiphona "Celebrans in cantu incipit Antiphonam ad Magnificat *Vespere autem Sabbati*, et prosequitur Chorus," Celebrans vero cum Ministris voce submissa.

6. Ad initium *Magnificat* omnes se signant; Chorus surgit; Celebrans cum Ministris ad medium Altaris accedit, Subdiaconus ad ejus sinistram; "et fit incensatio ut alias ad Vesperas;" Diaconus incensat Celebrantem, Chorum et Subdiaconum, et ipse incensatur a thuriferario; Celebrans et s. Ministri incensantur, stantes ut ad Introitum. Thuriferarius perficit incensationem. Celebrans recitat canticum Magnificat alternatim cum Subdiacono in cornu Epistolae, nisi intra incensationen recitaverit.

7. "Repetita Antiphona Celebrans dicit *Dominus vobiscum*" in medio et finitur Missa uti in Missali.

Missa unica tantum hac die permittitur, quae simul cum functione diei celebranda est.[13]

8. Finita Missa pyxis SS. Sacramenti ad tabernaculum solitum defertur.

Post Missam, imo intra Missam, si adsit consuetudo, S. Communio distribui potest.[14]

Meridie non recitatur *Angelus* flexis genibus, sed *Regina coeli* stando.[15]

13 D. 1822.
14 D. 2561.
15 S. C. Ind. 19. Jun. 1885.

ART. VIII.

DE SIGNIFICATIONE RITUUM SABBATI SANCTI.

213. Ecclesia se praeparat ad suscipiendum Christum resurgentem. Functio quae nunc mane fit, olim sequenti nocte peragebatur; unde in Praefatione et *Communicantes* mentio fit *s. noctis.*

2. "Excutitur ignis de lapide; omnia luminaria Ecclesiae extinguuntur, ut de igne benedicto accendantur." Significat extinctionem Christi in sepulchro et ejusdem vivificationem in gloriosa resurrectione. Secundum Matthaeum XXVII. 60, Joseph posuit Corpus Domini "in monumento suo novo quod exciderat in petra. Et advolvit saxum magnum ad ostium monumenti." Praeterea fideles concipiunt lumen fidei et ignem charitatis de Christo, qui lapis est in caput anguli, "lapis vivus," et "in Sion lapis summus, angularis." [1] Fit "ante portam Ecclesiae," quia Christus extra civitatis portam mortuus est et resurrexit.

3. Diaconus profert *Lumen Christi* non nisi ingressus in Ecclesiam, quia lumen verae fidei et doctrina Christi non invenitur nisi in Ecclesia catholica; accendit candelas arundinis unam post aliam cum intervallo, et magis elevat vocem, quia lumen istud non statim mundo totum patuit, sed crevit, quasi lux splendescens processit, primo illuxit Judaeis, deinde Gentilibus.

4. Cereus paschalis repraesentat Christum a morte ad vitam gloriose resurgentem et in sua resurrectione nova claritate fulgentem: ideo cereus prius extinctus manet ad Christi mortem denotandam; dum adhuc est extinctus, infiguntur quinque grana incensi, quae significant aromata a mulieribus empta ad ungendum corpus Domini; ubi autem infixa fuerint, denotant quinque vulnera Christi.[2] Cereus benedicitur a

[1] 1 Pet. II.

[2] Inepte clavorum forma fingitur, non enim quinque clavis Christus transfixus est. Aliquando simul cum cereo pasch. quinque clavi rubeae cerae absque ullo grano incensi (!) venduntur; loco cerei, qui totus ex *cera* alba confici debet, adhibetur quandoque lignum cerei fictitium, super quod cereus parvus locatur, et grana in hac parte lignea infiguntur: certo tunc cerei benedictio invalida est; in benedictione fontis immittitur aut lignum fictitium aut candela parva sine granis, neutrum benedictum.

[redacted]

Diacono (vel Sacerdote Dalmatica induto) ut significetur, non ab Apostolis Corpus Christi, sed a Discipulis aromatibus esse delibutum, ejusque resurrectionem sanctis mulieribus prius quam Apostolis praenuntiatum.[3]

5. Cereus etiam repraesentat in praeterito columnam ignis,[4] cujus lumine Hebraei per mare rubrum incedentes liberati sunt de manibus et potestate Pharaonis, ac salvi pervenerunt ad litora maris; "omnes in Moyse baptizati sunt, in nube et in mari;"[5] sic Catechumeni, hac die per undas baptismatis transeuntes e potestate daemonis eripiuntur, illuminantur, salvantur meritis Christi. Inde verba: *Haec nox est, in qua primum patres nostros filios Israel eductos de Aegypto, Mare rubrum* etc. *Haec igitur nox est, quae peccatorum tenebras, columnae illuminatione purgavit.* ' *Haec nox est, in qua destructis vinculis mortis, Christus ab inferis victor ascendit.* Hac die baptismus conferabatur; "Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem; ut quomodo Christus surrexit a mortuis etc."[6]

6. Lampades per totam Ecclesiam a cereo vel candelis arundinis accenduntur, quia Christus est, qui "illuminat omnem hominem;" et quia futuram praefigurat omnium resurrectionem, cujus exemplar est resurrectio Christi.

7. Verba "necessarium Adae peccatum," et "O felix culpa, quae talem, ac tantum meruit habere Redemptorem" intellige, uti Christus laudavit villicum iniquitatis ob prudentiam, ita Adae peccatum, quamvis in se omnino liberum, dicitur necessarium in supposito consummandi Incarnationis mysterii pro redemptione mundi; et culpa, in se infelicissima, praedicatur felix ratione boni effectus redemptionis, in qua superabundavit gratia.

214. Prophetiae inserviebant instructioni baptizandorum.

2. Aquam fontis baptismalis benedici ex traditione Apostolica testantur S. Basilius aliique Patres. *Sicut cervus* significat desiderium Catechumenorum, ut ad fontem gratiae, Baptismum, perveniant. Sacerdos aquam dividit in formam Crucis pluriesque hoc signum facit super fontem, quia om-

[3] Bened. XIV.
[4] Exod. 13. 21.
[5] 1 Cor. 10. 2.
[6] Rom. 6. 4. Cereus igitur, talis "columna," sit magna, laudabiliter habens pondus 10 vel 8 librarum. (Castald.)

nis virtus Baptisimi ex Christi cruce et passione emanat. Aquam manu tangit, quasi imponendo, ad assistentiam Spiritus Sancti significandam qua aquae natura vim sanctificationis concipit. Effundit aquam in quatuor mundi partes, ut omnes gentes ad Baptismum invitentur. Cereus in aquam immergitur, quia Christi tactu aquae Jordani sanctificatae sunt; ibi tota Trinitas apparuit, quare ter cereus immergitur, ut a tribus Personis fiat fontis sanctificatio; invocatur tamen solus Spiritus sanctus (*virtus Spiritus Sancti*), quia huic sanctificatio specialiter adscribitur. Ter quoque sufflat in aquam, uti Christi insufflans dixit: *Accipite Spiritum S.* Oleum et Chrisma infunditur, quod Christum significat (*Oleum effusum nomen tuum*); aquae vero populos, juxta Apoc. *aquae multae, populi multi;* proinde effectus Baptismi, incorporatio, unio cum Christi designatur.

3. Olim duae Litaniae fontis benedictionem praecedebant; tertia sequebatur (Litaniis Neobaptizati quodammodo in Communionem Sanctorum introducebantur). Litania absoluta Neophyti cereos accendebant, atque Episcopus Missam exordiebatur. Communionem sequebatur lactis et mellis benedictio.[7]

4. Ob tantos ritus Missa protrahebatur nec Vesperae dicebantur, cum tempus deesset; postea in fine Missae loco Communionis et Postcommunionis brevis illa Psalmodia persolvebatur.

5. In Missa omittitur Introitus, cum populus et Clerus initio Missae jam dudum congregatus esset. Post Epistolam cantatur *Alleluja,* deinde dicitur Tractus; prius laetitiae vox est, posterius doloris. "Ecclesiae enim nondum absoluta est laetitia; nam illa reviviscentis Christi mysterium celebrat, qui tamen nondum apparuit."[8] Ad Evangelium non portantur lumina; nam lumine explicitae fidei Resurrectionis adhuc carebant discipuli Domini; propterea nec dicitur *Credo.* Non dicitur Offertorium, vel quia Oblationes antea fiebant, vel juxta Alcuinum etc. ob mysticam rationem, quia mulieres sub silentio ibant ad sepulchrum. Non dicitur *Agnus Dei,* nec datur *Pax;* quia Christus Redemptor nondum dixerat *Pax vobis,* vel quia fideles in hac nocte se invicem amplexi dicebant: *Surrexit Dominus.*

[7] Cf. 1 Pet. 2. 2, et Cant. 5, 1.

[8] Bened. xiv.

CAPUT XX.

DE CULTU SS. EUCHARISTIAE SPECIALI EXTRA MISSAM.

ART. I.

DE ASSERVATIONE SACRAE EUCHARISTIAE.[1]

215. Sacra Eucharistia conservari debet in ecclesia Cathedrali, et in quavis ecclesia parochiali ut ad infirmos, data occasione, deferri possit. In aliis vero pluribus vel ecclesiis vel sacellis conservari potest vel ex lege, vel ex Pontificio indulto.

2. SS. Sacramentum asservandum est uno tantum in loco cujuscumque ecclesiae. Custodiendum vero est super corporali in tabernaculo decenter ornato, clavi obserato, quae clavis semper a sacerdote, qui ecclesiae vel sacelli curam gerit, custodiri debet. "Tabernaculum conopaeo decenter opertum" vult Rituale Romanum. Consuetudinem illi "superimponendi sacras reliquias (etiam SS. Crucis, vel Instrumenta Dominicae Passionis) pictasque imagines, ita ut tabernaculum pro basi inserviat," dum in eo servatur Sanctissimum, improbavit S. Rituum Congregatio, neque posse vasa florum, vel quid simile ante ostiolum retineri," edixit.[2] In eo servetur Sacra Eucharistia in pyxide seu ciborio; "ex solida decentique materia; et suo operculo bene clausa, albo velo cooperta."[3]

"Vasa SS. Oleorum, reliquias, vel aliud," in eo reponere non licet.[4]

Abusus vero, habitandi vel dormiendi in ea parte domus religiosae quae supra altare est sita, non amplius tolerandus, sed prorsus eliminandus est.[5]

[1] Conc. Balt. Pl. II. nn. 265–267.
[2] D. 2067. 10.
[3] Rit. Rom.
[4] S. C. Episc. 3. Maj. 1693.
[5] D. 756; 3525; et 24. Jan. 1908, n. 4213.

3. Coram Sanctissimo lampas semper accensa habeatur, ex oleo olivarum nutrita, vel saltem "ex aliis oleis quantum fieri possit vegetabilibus;"[6] nec citra veram necessitatem privilegio utendum, si quod fuerit concessum, Illud sine lumine retinendi.[7]

ART. II.

DE BENEDICTIONE CUM SS. SACRAMENTO DANDA.

216. Conc. Balt. Pl. II no. 375 statuere decrevit, "ut solemnis SS. Sacramenti Expositio et Benedictio, consueto ritu stricte observato, in omnibus nostrae ditionis ecclesiis et in sacellis monasteriorum et communitatum religiosarum, saltem quandocunque debita cum solemnitate fieri poterit, singulis totius anni Dominicis diebus, festisque de praecepto, vel festis etiam primae et secundae classis non de praecepto semel tantum in die dari possit. Per octavam vero Corporis Domini licebit eam solemniter fieri tum in Missa solemni, tum in Vesperis, Benedictione iterato data. Licebit insuper solemnem Benedictionem dare bis in hebdomade tempore Quadragesimali, singulis pariter diebus s. Missionum tempore, in festo Sanctissimi Cordis Jesu, et ubicunque fit devotio Quadraginta Horarum; et in aliis diebus ab Ordinario designatis. Quod si Ordini alicui religioso vel societati S. Sedes aliquid amplius indulserit, illud omnino incolume esse volumus."

2. Benedictio cum SS. Sacramento pluries in eadem Ecclesia et die impertiri licet "juxta prudens Ordinarii arbitrium, evitata tamen nimia frequentia, et dummodo non agatur de expositione 40 Horarum."[1]

217. Praeparanda. Antipendium Altaris et conopaeum tabernaculi semper albi coloris.[1] Duodecim vel "decem saltem

[6] D. 3121.

[7] Prope tabernaculum, in quo asservatur Ss. Sacramentum, semper adsint vasculum cum aqua (sine spongia) et parvum purificatorium ablutioni digitorum inservientia, cum extra Missam Sanctissimum tangatur.

[1] D. 3438. 5; 3448. 3.

[1] D. 1615. 7; et 12. Mar. 1897, n. 3949. 7 et 8.

[redacted]

candelae ex cera candida" accensae.[2] Tabellae Secretarum et Sanctorum Reliquiae ab Altari removendae sunt.[3] Crux Altaris vel amovetur vel apponitur juxta consuetudinem Ecclesiae.[4] Corporale huic tantum usui destinatum. Paramenta Officiatoris et s. Ministrorum albi coloris. Si vero Benedictio vel processio SS. Sacramenti immediate cum Missa vel Officio conjungatur, ita ut Celebrans ab Altari non recedat, et Benedictio non habeatur tanquam functio omnino separata et distincta, retinetur idem color, modo niger non sit.[5] Velum semper album esse debet.

Post Missam deponitur manipulus et casula (convenienter ad scamnum), et assumitur pluviale coloris Missae.

A. Ritus Benedictionis dandae absque Assistentia.

218. Sacerdos (Officiator) indutus superpelliceo, stola et pluviali[6] accedit ad Altare, modo consueto, procedentibus thuriferario, duobus acolythis aliisque portantibus intortitia, si adsint. Capite detecto flectit unicum genu in plano, dein utrumque genu in infimo gradu. Post brevem orationem ascendit ad Altare, extrahit corporale, ponit bursam prope candelabra in latere Evangelii, explicat corporale, et ostensorium dempto velo super eo ponit.[7]

Aperit tabernaculum et genuflectit unico genu;[8] extrahit capsulam seu pyxidem in qua s. hostia servatur, claudit ostiolum tabernaculi, et lunulam cum s. hostia in Ostensorio collocat, cavens ne digitis s. hostiam tangat; alias abluit illos.

[2] Decr. Innoc. XI. 20 Maj. 1682.

[3] D. 3130. 3.

[4] D. 2365. 1.

[5] D. 2562.; 3175. 3.; et 27. Maj. 1911, n. 4268. 8.

[6] Si agatur de expositione et repositione Ss. Sacramenti sufficit ut Sacerdos cotta et stola sit indutus; numquam cum alba, cingulo et stola tantum. In processionibus et benedictione cum Ss. Sacramento in Ostensorio impertienda omnino requiritur ut Celebrans pluviale et velum humerale induat. (D. 7. Dec. 1888, n. 3697. 12.)

[7] Ostensorium cooperiri debet velo albo, quando stat in Altari ante et post expositionem Ss. Sacramenti. D. 27. Maj. 1911, n. 4268. 7.

[8] Consuetudo, ubi vigeat, servari debet, ut illi qui genuflexi adsunt, corpus mediocriter inclinent, cum expositor aperto ostiolo tabernaculi genuflectit et in repositione priusquam ostiolum claudat. Decr. Auth. VI. n. 4179. 2.

[redacted]

Tum claudit crystallum ostensorii, (et capsulam), ostensorium in medio Altari collocat et unicum genu flectit.

Deinde, admoto scabello vel brevi scala si opus sit, ostensorium in throno super corporali ponit. Postquam descendit in suppedaneum, genuflexionem iterat.

2. Si ostensorium cum s. hostia in tabernaculo asservetur, aperto tabernaculo genuflectit, extrahit ostensorium et illico in throno vel loco eminenti collocat, et facta genuflexione lateraliter descendit.[9]

Si Sanctissimum in eodem tabernaculo expositum maneat.[10] Sacerdos aperit tabernaculum, genuflectit et lateraliter descendit.

Interim ex laudabili consuetudine cantatur *O salutaris Hostia,* aliusve hymnus vel antiphona in honorem SS. Sacramenti.

3. Postquam Sacerdos lateraliter (a cornu Evangelii) in planum ante medium Altare descendit, genua flectit in infimo gradu, et facta mediocri corporis inclinatione[11] surgit et incensum ter imponit sine benedictione.[12] Iterum genuflexus thuribulum accipit et incensat "triplici tantum ductu et tam ante quam post incensationem profunda facta capitis inclinatione," motu gravi, interposita brevissima morula unum inter alterumve ductum,[13] non vero sexies noviesve thuribulum ducit.

Dum preces dicuntur ad benedictionem, exposito Ss. Sacramento, Celebrans et Ministri manere debent genuflexi.[14] Stare autem debent, dum ante *Tantum ergo* cantantur hymni vel *Regina coeli* vel *Magnificat.*[15]

4. Cantores (vel Celebrans cum clericis assistentibus[16] intonant *Tantum ergo.* Ad *Veneremur cernui* fit ab omnibus inclinatio capitis profunda. Deinde intonatur *Genitori* et iterum thus imponitur et incensatur ut antea.[17]

5. "Postea, duo Clerici dicant: *V. Panem de coelo* etc. et Chorus *R. Omne delectamentum* etc." Tempore paschali et

[9] Cavalieri, IV. 153; De Herdt. II. 26.

[10] E. g. in tabernaculis "revolventibus."

[11] D. 16. Feb. 1906, n. 4179. 6.

[12] De officio thuriferarii, n. *219. 10.*

[13] Gardellini.

[14] D. 17. Sept. 1897, n. 3965. 2.

[15] D. 6. Nov. 1908, n. 4224.

[16] Martinucci, II. 11, 50.

[17] D. 5. Jul. 1907, n. 4202, cf Caer. Rom. Ser. n. 657.

[redacted]

infra octavam Corporis Christi additur *Alleluja.* Tunc Celebrans absque inclinatione solus surgit et cantat: *Oremus* (inclinat) *Deus qui nobis* etc. Itaque:

V. Panem de coelo praestitisti eis. (*Alleluja.*)

R. Omne delectamentum in se habentem. (*Alleluja.*)

Oremus.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili . . . Qui vivis, et regnas in saecula saeculorum. R. Amen. (V. n. 225, 4.)

6. "Cantus Stropharum *Tantum ergo* et *Genitori* cum *V.* et *R.* et Oratione de SS. Sacramento praecedere debet benedictionem, quamvis in Missa et Laudibus [Vesperis] Oratio de eodem Sacramento sit dicta."[18] Aliae Orationes addi nequeunt.[19] Ad Orationem etc. omnes praeter Celebrantem genuflexi remanent.

7. Finita Oratione Celebrans genuflectit et, accepto velo humerali a primo clerico, non inclinat,[20] ascendit suppedaneum, flectit unicum genu, manibus super Altari positis, sine capitis inclinatione, ostensorium de throno super Altari in medio corporali ponit.

Iterum genuflectit, inversumque ostensorium sumit manibus velo coopertis, dextra quidem ad nodum, sinistra ad pedem, et per suam dextram "vertens se ad populum cum illo signum Crucis super populum faciet, nihil dicens,"[21] nempe hoc modo: "Ostensorium ante pectus tenet, tum elevat illud decenti mora usque ad oculos et eodem modo illud demittit infra pectus; mox iterum recta illud attollit usque ad pectus, et deinde ad sinistrum humerum ducit, et reducit ad dextrum," et tunc vel potest statim per cornu Evangelii se ad Altare convertere, perficiens circulum; vel potest ostensorium a dextro rursus reducere ante pectus ibique aliquantulum sistere, tunc gyrum ad dextram suam perficiens super Altari collocare.[22]

8. Ostensorio deposito Celebrans unicum genu flectit,[23] et a primo clerico velum humerale ei detrahitur. Statim osten-

[18] D. 3058. 3.

[19] D. 23. Nov. 1906, n. 4194. 10.

[20] D. 16. Feb. 1906, n. 4179. 3.

[21] Caer. Ep. II. 33, 27.

[22] D. 1563. 2.

[23] Immediate ante vel post benedictionem cum Venerabili laudes: *Benedictus sit Deus* vulgari sermone recitari possunt. D. 3271. 1.

sorium in tabernaculo reponit,—vel lunulam cum s. hostia in capsula ponit, quam clausam in tabernaculo reponit, genuflectit, clauditque tabernaculum ac ostensorium velo cooperit.

Interim Ps. *Laudate Dominum* vel hymnus aliudve conveniens cantari potest.

9. "Benedictio necessario dari debet sub silentio chori, ita ut interea nihil omnino cantetur."[24] Organa pulsari possunt, at suavi et gravi tono.

Revertitur ad sacristiam modo consueto.

10. Si accedatur ad Altare SS. Sacramento jam exposito, omnes caput detegunt, simulatque in ejus conspectum veniunt, et ante gradus genuflexionem faciunt utroque genu cum mediocri corporis inclinatione.[25] Idem observandum, si Ssmo exposito recedatur.

B. Ritus Benedictionis dandae cum assistentia s. Ministrorum.

219. Diaconus et Subdiaconus induuntur uti in Missa solemni, exceptis manipulis; tunc et Celebrans induitur amictu et alba loco superpellicei.[26] S. Ministri accedunt uti in Missa solemni, at si spatium permittat, a latere Celebrantis sublevantes fimbriam pluvialis.

2. Sanctissimum exponitur a Diacono, uti supra a Celebrante: at in suppedaneo genuflectit paulisper ad cornu Epistolae, ne Celebranti terga vertat. Ad impositionem thuris Diaconus Celebranti naviculam sine osculis ministrat, dum Subdiaconus dextram pluvialis fimbriam sublevat. In incensatione s. Ministri hinc inde fimbriam pluvialis sublevant, simulque "tam ante quam post incensationem profundam faciunt capitis inclinationem."

3. Ad Orationem *Deus qui nobis* s. Ministri genuflexi librum ante Celebrantem sustinent. Tunc velum humerale Celebrantis humeris per Clericum[27] (sive Caeremoniarium) imponitur.

4. Diaconus suppedaneum conscendit, genuflectit, (ut antea) et ostensorium super Altari in medio corporali deponit; tunc genuflectit in suppedaneo a latere aliquantulum

[24] D. 3058. 2.

[25] D. 16. Feb. 1906, n. 4179. 1.

[26] D. 3029. 15; et 12 Mai. 1893, n. 3799. 1.

[27] Novum Rituale IX. 5. 3.

[redacted]

versus cornu Epistolae; et Celebrans surgit, conscendit suppedaneum simul cum Subdiacono, qui in extremitate suppedanei genuflectit.

5. Celebrans flectit unicum genu manus imponens Altari, surgit simul cum Diacono, qui eum adjuvat in manibus tegendis extremitate veli eique tradit ostensorium. Benedictionis tempore genuflectit in extremo suppedaneo et fimbriam sinistram pluvialis sustinet, Subdiaconus vero dextram.

6. Benedictione peracta Diaconus surgit, ostensorium a Celebrante recipit, ponitque in Altari; tunc in suppedaneo, ut ante, genuflectit, donec Celebrans simul cum Subdiacono de Altari descenderit.[28] Tunc Diaconus surgit, a latere unicum genu flectit, et reponit Sanctissimum, uti supra n. 8 pro solo Celebrante exponitur.

7. *Alius Benedictionis modus:* Celebrans per semetipsum sine alterius ministerio ostensorium ab Altaris Mensa accipit et postea super illam reponit. Caeremoniale Ep. enim simpliciter statuit: "Accedit [Episcopus] ad Altare, et accepto . . . ostensorio cum SS. Sacramento illud ambabus manibus tenens, vertens se ad populum, cum illo signum Crucis super populum [ter] faciet, nihil dicens. Quo facto, iterum deponit SS. Sacramentum super Altare, deponet velum, et genuflectet, ut supra."[29] Aut iuxta praxim Romanam Diaconus Ostensorium Celebranti tradere vel ab eodem recipere potest, utroque stante.[30]

8. *Assistens* Presbyter vel Diaconus superpelliceo indutus eadem, quae supra Diaconus paratus peragit, at stolam in actuali tantum ministerio adhibet; statim postquam exposuit Sanctissimum vel porrexit Celebranti, illam iterum deponit et super brachium sinistrum portare potest.

9. *Caeremoniarii* est prospicere et dirigere ut omnia recte fiant, assistere s. Ministris (a dextris Diaconi) et Celebranti, si opus sit, scabellum vel brevem scalam apponit, velum porrigit vel imponit etc.

10. *Thuriferarius,* et *acolythi* seu ceroferarii saltem duo,

[28] In processione SS. Sacramenti Celebrans stans ante infimum gradum Sanctissimum a Diacono stante accipit; postea stans Diacono genuflexo Sanctissimum reddit. Rit. Rom. ed. 1913. (Caer. Ep. II. 33, 20 et 24.)

[29] II. 33. 27. Cf. De Herdt, Praxis Pontif. III. 234.

[30] D. 14. Jan. 1898, n. 3975. 4.

vel plures intortitia ferentes post illum, ad Altare procedunt; deinde retro post Celebrantem et s. Ministros simulque cum illis genuflectunt. Thuriferarius suo tempore Celebranti thuribulum stans offert, accedendo a cornu Epistolae ante Diaconum vel Assistentem (vel Caeremoniarium), cui naviculam porrigit. Si opus sit, sustinet fimbriam pluvialis, affert defertque velum et scabellum graduatum.

Incensatio infra benedictionem "non praescribitur, et servanda est consuetudo locorum."[31]

11. "Licet adhibere publicam precum recitationem vulgari sermone conscriptarum coram SS. Sacramento exposito, dummodo agatur de precibus approbatis."[32]

"Utrum liceat generaliter ut chorus musicorum (id est cantores), coram SSmo Sacramento solemniter exposito decantet hymnos in lingua vernacula? *Resp.* Posse: dummodo non agatur de hymnis *Te Deum* et aliis quibuscumque liturgicis precibus, quae nonnisi latina lingua decantari debent;"[33] nec licet ista decantare infra ipsam Benedictionem post *Tantum ergo* inchoatum.

ART. III.

DE EXPOSITIONE SS. SACRAMENTI PRO ORATIONE QUADRAGINTA HORARUM.

A. Animadversiones praeviae.

220. Congregatio S. Officii (Sect. de Indulg.) d. 22. Jan. 1914 sequens decretum edidit:

"SS. D. N. Pius X., quamvis summopere exoptet, ut res (i. e. Expositio 40 Horarum) jugiter ad tramitem Clementinae Instructionis componatur, majori tamen prospicere volens fidelium emolumento et ampliori cupiens animarum in Purgatorio degentium providere suffragio decernere ac indulgere dignatus est:

I. Confirmantur indulgentiae, quae d. 26. Nov. 1876 pro 40 Horarum expositionibus determinatae sunt, ac privilegia altarium d. 10. Maj. 1807 concessa.

II. Permittitur tamen ut ubi exercitium 40 Horarum judice Rmo loci Ordinario fieri nequeat, prout ab Instructione

[31] D. 3108. 6. "The censer-bearer may incense the Blessed Sacrament with three swings." Cerem. U. S.

[32] D. 3157. 8.

[33] D. 27. Febr. 1882, n. 3537. 3

[redacted]

Clementina exigitur, sit satis ad effectum indulgentiarum et privilegii obtinendum, primo die Sanctissimum Sacramentum, quacumque hora matutina vel circa meridiem publicae venerationi in ostensorio exponere et perdurante ipso die et per diem alterum ejusmodi expositione, die tertio, meridie aut de sero, idem deponere, quamvis noctu expositio interrumpatur."[1]

Indulgentiae supradictae scil. 10 annorum totidemque quadragenarum *toties* acquiruntur, *quoties* visitatio corde saltem contrito peragitur. Quae visitatio juxta Constitutionem Clementis VIII. per unam horam perdurare debet; juxta Constitutionem Pauli V. brevior esse potest.[2]

2. "Mandant vero Patres hujus Concilii [Plenarii II.] ut iis exceptis, quae Sedes Apostolica modificare vel remittere indulserit, ea omnia sedulo serventur in hujus devotionis celebratione, in Ecclesiis tam regularium quam saecularium, quae exposita reperiuntur in libro, cui titulus: 'Ceremonial for the use of the Catholic Churches in the United States of America,' "[3] quae quidem Instructionem Clementinam fere exhibent, et hîc sequentibus proponuntur. (De Triduo *ad instar 40 Hor.* v. n. 228.)

3. Viginti saltem cerei continuo ardebunt, omnes accendendi ante elevationem in Missa expositionis, quorum bini sint in candelabris hinc inde prope infimum gradum positis. Antipendium Altaris semper erit albi coloris. Reliquiaria et statuae Sanctorum in Altari non ponantur, ("non exclusis tamen Angelorum statuis, quae candelabrorum vices gerunt.")

4. Consulitur, ut "pridie expositionis vespere, dato signo pro *Ave Maria,* ad commonendum populum, solemni modo campanae pulsentur; idemque fiat mane sub aurora, et durante expositione, post alia omnia signa salutationis *Ave Maria.* pariterque triplici vice de more pulsentur ante Missas solemnes."[4]

B. De Missis in hac Adoratione celebrandis.

221. Pro expositione cantatur Missa votiva solemnis de SS. Eucharistiae Sacramento (uti in fine Missalis inter votivas), cum *Gloria, Credo* et unica tantum Oratione ac Praefa-

[1] Privilegium huic simile jam d. 24. Jan. 1868 Provinciis Americae foederatae concessum est.

[2] Congr. S. Off. 25. Jun. 1914. cfr. Mocchegani, Coll. Ind. No. 291.

[3] C. Plen. B. II. No. 377.

[4] Instr. Clem.

tione de *Nativitate* et Evangelio S. Joannis in fine.[5] Diebus vero exceptis (ut infra ad 3), cantatur Missa diei cum vel absque *Gloria* et *Credo* juxta ritum Missae; cum commemoratione SS. Sacramenti; item tunc Praefatio et ultimum Evangelium dicitur prout ritus Missae exigit.[6] Quae quidem specialius exponuntur in sequenti Instructione S. R. Congregationis.

2. "In Missa votiva SS. Sacramenti pro ejusdem Expositione ac Repositione, omittenda est quaelibet commemoratio et collecta. Infra octavam SS. Corporis Christi, Missa erit de eadem Octava, cum Sequentia et unica Oratione, absque commemorationibus et collectis."

3. "Canenda est Missa diei currentis cum Oratione SS. Sacramenti sub unica conclusione, omissis collecctis et commemorationibus" sequentibus diebus:

"In Dominicis privilegiatis 1. et 2. classis,[7]

"In festis pariter 1. et 2. classis,

"Feria IV. Cinerum, feriis secunda, tertia et quarta majoris Hebdomadae (a mane enim Feriae V. ad mane Sabbati Sancti a praedicta Expositione omnino cessandum),

[5] "Idque etiam si incidat in Dominicam non solum pro Ecclesiis collegiatis, sed etiam in aliis, quae non tenentur obligatione officii et consequenter ne Missae quidem seu Missarum conventualium."—Martinucci. II. 38, 107.

[6] Si vero ob aliquam causam Missa in *cantu* non celebratur, Missa privata erit de currente die, in qua post Orationes a Rubrica praescriptas addetur Oratio SS. Sacramenti, quae tamen omitti debet in festis 1ae et 2ae classis [et aequivalentibus]. Diebus quibus Missae votivae privatae permittuntur (No. 27, 5), Missa privata SS. Sacramenti legi poterit, sine *Gloria* et sine *Credo* cum Orationibus praescriptis. (Ordo serv. in D. Balt.)

Pro Dioecesi vero Baltimorensi S. Sedes indulsit, "ut quibus in Ecclesiis Dioecesis Baltimorensis ex defectu Ministrorum Missa solemnis cani nequit diebus tam Expositionis et Repositionis, quam intermedio, celebrari possit Missa absque Ministris paratis, ita tamen, ut ab uno Sacerdote celebrante cantetur, vel si hoc fieri nequit ex defectu cantorum, saltem celebretur inservientibus duobus clericis superpelliceo indutis, ac collucentibus quatuor ad minus candelis in Altari." S. C. R. 14. Jan. 1858.—At non omnia privilegia Baltimor. ad reliquas Dioeceses extenduntur, sed "ea solum, quae in Decreto d. 24. Jan. 1868 continentur." S. R. C. Leavenworthen. ut supra.

[7] In processione adhibendus est color Missae. Antipendium semper sit albi coloris. D. 27. Maj. 1911, n. 4269. 13.

"Omnibus diebus Octavae Paschae, Pentecostes et Epiphaniae,

"Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, necnon Octava propria privilegiata."

4. "Quod si festum aliquod primae vel secundae classis occurrat in Dominica, tunc secundo loco, sub distincta conclusione, fit commemoratio Dominicae et dicitur ejus Evangelium in fine Missae."

5. "Tandem in Missa *pro Pace* adjungitur Oratio SS. Sacramenti sub unica conclusione; in diebus tamen exceptis, ut supra, Missa canenda erit diei currentis cum Oratione *pro Pace* sub unica conclusione."

6. "Feria IV. Cinerum in una ex diebus Expositionis occurrente, tonus ferialis in cantu Orationum, Praefationis et Pater noster est adhibendus, nec omittenda est Oratio *super populum*."[8]

7. "Si in solemni Defunctorum Commemoratione Expositio Ss. Sacramenti habenda sit pro Oratione 40 Horarum, Missa unica de eo non omittatur; sed reliquae sint pro defunctis, ad altare expositionis non dicantur et celebrentur in colore violaceo."[9]

8. Ubi adest obligatio chori, Missa expositionis dicitur post Nonam, nec omittenda est Missa conventualis.

"In Missis privatis non pulsatur campanula ad elevationem, sed tantum in egressu Celebrantis e sacristia detur tenue signum cum solita campanula."[10] Nec extra casum necessitatis in Altari expositionis ulla alia celebretur Missa praeter solemnem in expositione et repositione.

9. De Altari expositionis Communio non distribuitur juxta praxim Urbis; si fideles illo tempore ad Communionem accedere solent, sacra pyxis in alio Altari deponetur.[11]

C. De Functionibus in hac Adoratione persolvendis.

I. PRIMA DIES.

222. (*a*) **Mane** in Missa expositionis, quae usque ad sumptionem Sanguinis ritu non differt ab aliis Missis solemnibus, altera hostia consecrabitur pro solemni Expositione.[12]

[8] D. 18. Maj. 1883, n. 3574. 5.

[9] D. 9. Jul. 1895, n. 3864. 4.

[10] Instr. Clem.

[11] D. 3448. 1; et 3482.

[12] "Hoc tamen non est de praecepto, ideoque exponi po-

Post sumptionem igitur Sanguinis Celebrans adjuvante Diacono s. hostiam in ostensorio ponit illudque in medio corporali collocat. Tunc omnia observantur uti in Missa coram SS. Sacramento exposito. (No. 96.)

2. **De Processione.** Completa igitur Missa, a Celebrante et s. Ministris omnia peraguntur ut ante processionem in festo Corporis Christi. (No. 324, 3.) Imposito in duobus thuribulis ad scamnum thure, Celebrans SS. Sacramentum modo consueto in infimo gradu incensat, illudque velo indutus stans ante infimum gradum e manibus Diaconi sumit. Cantatur *Pange lingua,* et "intra Ecclesiam fiet processio" quae dirigitur ad dextram,[13] vel juxta consuetudinem Ecclesiae. "Quod si Ecclesiae angustia exigat, per plateam exire poterunt, sed non longius."[14] "Crucifer non subdiaconali habitu sed superpelliceo erit indutus. Intereunt, superpelliceo induti, et cum cereis ardentibus in manu" extima, "octo Sacerdotes [vel acolythi], qui hinc inde a lateribus ante baldachinum ibunt; post ipsos subsequentur duo acolythi cum thuribulis, continuo per viam Sanctissimum incensantes. Celebrans sub baldachino procedit, submissa voce psalmos et hymnos recitans cum Ministris pluvialis fimbrias sustinentibus; durante processione campanae solemniter pulsabuntur."[15]

3. Reversa ad Altare processione, Crucifer ad latus Epistolae, vel alio convenienti loco Crucem, ceroferarii candelabra in credentia reponunt. Clerici in binas dividuntur partes hinc inde, vel statim, sine reverentia ad Altare, redeunt ad sua subsellia, et Sanctissimo appropinquante omnes genuflectunt.

4. "Quum ad infimum Altaris gradum Celebrans pervenit, Diaconus genuflexus Sanctissimum recipiet," surget expectatque donec Celebrans in genua procumbit. Subdiaconus interea a sinistris Celebrantis utrumque flectit genu; dein velum humerale Celebranti expediet. Diaconus ascendit ad Altare et Sanctissimum ipse (vel alius Sacerdos stola indutus) in throno exponit debitis cum genuflexionibus.

5. "Statim vero Cantores cantabunt *Tantum ergo,* etc. et,

terit sacra hostia in tabernaculo asservata.'' Ordo servandus in Orat. 40 Horarum in D. Baltimoren.

[13] Martinucci.

[14] Instr. Clem.

[15] Instr. Clem.

[redacted]

dum intonant *Genitori,* Celebrans erectus incensum ponet in thuribulo [primarii thuriferarii], et genuflexus ter Sacramentum adolebit." Tunc duo thuriferarii facta genuflexione utroque genu, sua thuribula in sacristiam referunt.

6. "Hymno finito omissoque *Panem de coelo* canentur **Litaniae**" omnium Sanctorum cum Ps. et vers. etc. ut infra no. 225, 3.

7. "His omnibus finitis, sine benedictione Celebrans et clerici, brevi facta oratione, duobusque genibus flexis" in plano, "in sacristiam redeunt."[16]

8. Si processio omittatur, quia "commode fieri nequit, ita ut neque intra ambitum Ecclesiae haberi valeat,"[17] praeterea nihil prorsus omittendum est.

Itaque post Missam thus in unum thuribulum ad gradus Altaris immittitur, et incensatione facta SS. Sacramentum in throno collocatur. Deinde *Pange lingua* etc. cantatur, ad *Genitori* incensatur. Postea *Litaniae* etc. cantantur vel, deficientibus cantoribus, recitantur.

9. Toto expositionis tempore adsint adoratores. Si fieri possit, bini Sacerdotes, induti stola coloris officio diei convenientis,[18] vel acolythi superpelliceo induti genuflexi ante scamnum in presbyterio, singuli per unam (vel si sint pueri, per dimidiam) horam adorabunt.

10. (*b*) **Vespere,** e. g. "hora octava post meridiem Sacerdos superpelliceo et stola indutus procedet ad Altare, ibique parumper orabit submissa voce; tum . . sine benedictione reponet Sanctissimum in tabernaculo."[19] At "Litaniae majores cum *Pange lingua* et Orationibus," aliive hymni et preces approbatae (e. g. Litaniae SS. Nominis aut Cordis Jesu, vel B. M. V.) cani vel recitari possunt; postea Benedictio cum SS. Sacramento impertietur illudque reponetur.[20]

II. SECUNDA DIES.

223. Mane, SS. Sacramentum more solito, cum incensatione exponitur, simulque cani potest *Pange lingua* tantum et Oratio, *Deus, qui nobis.*[21]

16 Ordo Balt.

17 C. Plen. Balt. II. No. 376. Alias omitti non debet.

18 D. 1765. 2.

19 Ordo Balt.

20 Cfr. C. Plen. B. II. 375, et Martinucci II. c. 38.

21 Martinucci, ibid.

2. Cantanda est Missa votiva solemnis *pro Pace* in colore violaceo sine *Gloria* et, extra Dominicam, sine *Credo,* cum commemoratione SS. Sacramenti sub unica conclusione. Sequitur easdem regulas ut Missa Expositionis (no. praecedenti ad 3–5). Praefatio erit communis, in Dominica *de Trinitate,* nisi alia dicenda de octava vel de tempore; in fine dicitur Evangelium S. Joannis.

3. **Vespere** idem servatur ut prima die.

III. TERTIA DIES.

224. Mane exponitur SS. Sacramentum ut heri. Cantatur Missa votiva solemnis de SS. Sacramento in Altari expositionis (uti supra no. 221).[22] At vid. adn.

2. **Vespere** Celebrans cum s. Ministris accedit ad Altare; canentur **Litaniae** omnium Sanctorum cum psalmo et versiculis usque ad *Domine exaudi* inclusive, seu usque ad *Dominus vobiscum* excl. Interea (e. g. ad *Peccatores*), distribuuntur et accenduntur candelae et reliqua praeparantur pro processione.

3. Post *Domine exaudi* etc. imponitur incensum in duo thuribula et incensatur.

Tunc fit *processio* uti mane prima die (n. 222, 2).

4. Post processionem "Diaconus Sanctissimum Sacramentum in medio Altaris reponit. Cantores cantabunt *Tantum ergo,* et, dum intonant *Genitori Genitoque,* Celebrans erectus incensum ponet in thuribulo, et genuflexus ter Sacramentum adolebit. Cantores dicent V. *Panem de coelo;* tum Celebrans erectus [omisso *Dominus vobiscum*] Orationes etc. manibus junctis cantabit,"[23] ut infra, n. 226.

5. Tunc assumit velum humerale et dat Benedictionem modo consueto, et SS. Sacramentum in tabernaculo includetur, sicque finem obtinebit Oratio 40 Horarum.

[22] Instr. Clem.; Ceremonial U. S.—"Quod si SS. Sacramentum reponetur vespere et postridie summo mane rursus exponetur, Missae repositionis locus non erit, quoniam expositio finem habet vespertino tempore, non matutino."—Martinucci, II. 38, 24—Idem tenent alii auctores Romani.

[23] Instr. Clem.

[redacted]

ART. IV.

RITUS ET PRECES IN EXPOSITIONE QUADRAGINTA HORARUM.

A. Expositio SS. Sacramenti Prima Die.

225. Post Missam Expositionis, incensato SS. Sacramento fit *Processio,* ad quam cantatur:

Pange lingua.[1]

2. Processione finita, postquam SS. Sacramentum in throno collocatum est, cantatur:

Tantum ergo.

Genitori. (Incensatur.)

3. **Litaniae omnium Sanctorum.**[2]

Deinde, post ultimum *Kyrie eleison,* Celebrans adhuc genuflexus dicit:

Pater noster (secreto) ; *V. Et ne nos inducas,* etc.

Cantores: Ps. LXIX., *Deus in adjutorium* etc.[3]

Celebrans item genuflexus cantat feriali tono versiculos: *Salvos fac servos tuos* etc.[4]

4. Postea surgit et cantat:

V. *Dominus vobiscum.* R. *Et cum spiritu tuo.*[5]

Oremus.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti: tribue, quaesumus ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus.

Ex sequentibus Orationibus de B. M. V. sumitur ea quae tempori convenit:

Ab Adventu usque ad Nativitatem Domini:

Deus, qui de beatae Mariae Virginis utero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti; praesta supplici-

1 Hymnus *Pange lingua* omittendus non est, etsi processio fieri nequeat.

2 Cum notis ut in libello *Processionale Rom.* edit. Ratisbon.

3 Ut in Breviario etc.

4 Ibid.

5 Omittendum in Repositione.

bus tuis; ut, qui vere eam genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur.

A Nativitate Domini usque ad Purificationem:

Deus, qui salutis aeternae, beatae Mariae virginitate foecunda humano generi praemia praestitisti; tribue, quaesumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitae suscipere, Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

A Purificatione usque ad Adventum, etiam tempore paschali:

Concede nos famulos tuos, quaesumus Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere: et gloriosa beatae Mariae semper Virginis intercessione, a praesenti liberari tristitia, et aeterna perfrui laetitia.

Omnipotens sempiterne Deus: miserere famulo tuo Pontifici nostro N., et dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis aeternae; ut te donante tibi placita cupiat, et tota virtute perficiat.

Deus, refugium nostrum et virtus: adesto piis Ecclesiae tuae precibus, auctor ipse pietatis, et praesta; ut quod fideliter petimus, efficaciter consequamur.

Omnipotens sempiterne Deus, qui salvas omnes et neminem vis perire: respice ad animas diabolica fraude deceptas; ut omni haeretica pravitate deposita, errantium corda resipiscant, et ad veritatis tuae redeant unitatem.[6]

Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul et mortuorum, omniumque misereris, quos tuos fide et opere futuros esse praenoscis: te supplices exoramus; ut pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel praesens saeculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuae clementia omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum nostrum Jesum Christum, Filium tuum: qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.

R. *Amen.*

[6] Ord. Balt. approb.

Celebrans rursus genuflexus cantat:

V. *Domine exaudi orationem meam.*
R. *Et clamor meus ad te veniat.*

Cantores:

V. *Exaudiat nos omnipotens et misericors Dominus.*
R. *Et custodiat nos semper. Amen.*

Celebrans:

V. *Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace.*
R. *Amen.*

B. Repositio SS. Sacramenti Tertia Die.

226. Litaniae omnium Sanctorum usque ad *Dominus vobiscum* exclusive.

2. Incensato SS. Sacramento fit PROCESSIO (per Ecclesiam), ad quam cantatur:
Pange lingua.

3. Postquam processio finita, et SS. Sacramentum super Altari collocatum est, cantatur: *Tantum ergo. Genitori.* (Incensatur,)

V. *Panem de coelo* etc. R. *Omne delectamentum* etc.

Oremus. Deus qui nobis sub Sacramento mirabili . . et reliquae Orationes et versus ut supra no. 225, 4.

Ultimo datur Benedictio.

ART. V.

PRIVATA EXPOSITIO SS. SACRAMENTI.

227. Expositio privata seu minus solemnis fit aperiendo tabernaculum, ita, ut SS. Sacramentum in pyxide velo suo cooperta ostendatur, quin e tabernaculo extrahatur. Ex causa privata e. g. ob infirmitatem aliamve personae vel communitatis necessitatem fieri potest, non requisita Ordinarii licentia.[1]

[1] Non licet Sacerdoti pro sua privata devotione sacrum Tabernaculum aperire pro adorando Sacramento, precibus ad libitum fundendis ac postea illud claudere. D. 17. Jul. 1894, n. 3832. 2.

2. Sex saltem cerei ardebunt. Celebrans superpelliceo et stola saltem indutus est; praecedunt thuriferarius et duo ceroferarii cum funalibus; qui si desint, candelabra cum candelis accensis in plano ponuntur; nec thurificatio praescribitur.

3. Tabernaculum modo consueto aperitur et Sanctissimum incensatur. Recitari possunt Litaniae aliaeve preces approbatae.

4. Ultimo recitatur vel cantatur *Tantum ergo, Genitori* (rursus potest thus imponi et incensari).

V. *Panem de coelo* et Oratio *Deus qui nobis.* Tunc datur Benedictio [2] pyxide cooperta veli humeralis extremitatibus [3] et Sanctissimum reponitur more consueto.

ART. VI.

DE TRIDUO AD INSTAR XL HORARUM.

228. Triduum, quod peragitur "*ad instar quadraginta Horarum,*" nullo modo cum expositione XL Horarum confundi debet. Est enim SS. Sacramenti "expositio sive in hebdomada Septuagesimae, sive Sexagesimae, vel Quinquagesimae [ante diem Cinerum] per tres dies." Hoc triduum initium suum cepit a Benedicto XIV. vi Constit. "*Inter cetera*" (1 Jan. 1748); expositio 40 Hor. vero jam a Clemente VIII. virtute Const. "*Graves et diuturnae*" (25 Nov. 1592) in perpetuum instituta fuit.

2. Finis utriusque expositionis est diversus: Cum expositio 40 Hor. habet ut suum objectum adorationem et glorificationem SS. Sacramenti, fidei firmationem in Christifidelibus necnon petitionem pacis et concordiae inter principes christianos; oratio *ad instar* 40 *Hor.* principaliter peragitur

[2] D. 20. Jul. 1894, n. 3833; et 30. Nov. 1895, n. 3875.

[3] D. 2786; 3582; 3780; et 21. Feb. 1896, n. 3888. Quoad Rosarium singulis Octobr. diebus cum Litaniis recitandum etc. Leo XIII. haec indulsit:

"Attentis specialibus circumstantiis Ecclesiarum pauperum, in quibus praescripta expositio SSmi Sacramenti solemni modo seu per Ostensorium fieri nequeat absque incommodo, eadem per modum exceptionis peragi poterit, prudenti judicio Ordinarii, cum sacra pyxide, aperiendo, scilicet ab initio ostiolum ciborii [tabernaculi], et cum ea populum in fine benedicendo." D. 4. Feb. 1886, n. 3650.

ad arcendos fideles a frequentatione pravorum spectaculorum indecororumque ludorum theatralium et ad offerendam Divinae Majestati aliqualem satisfactionem pro peccatis innumerabilibus, quibus hisce diebus offendi solet.[1]

3. Dum 40 Horarum oratio peragi potest quolibet anni tempore, modo fiat in una tantum ecclesia uno eodemque tempore, Triduum peragi licet solum infra tempus a Dominica Septuagesima usque ad feriam IV. Cinerum; nihil praeterea obstat, quin peragatur pluribus in ecclesiis simul, etsi sint in eadem urbe. Exponitur vero SS. Sacramentum "horis diurnis tantum a mane usque ad vesperam, de nocte autem reconditur."

4. Observanda sunt pro dicto Triduo omnia, quae jam supra (n. 220, 3 et 4; et n. 221, 8 et 9) exposita sunt. Processio neque in initio tridui neque in fine praescripta est. Conciones, durante hac expositione, non tantum non interdicuntur, sed immo valde optandae sunt, et quidem conciones majores "attrahendi causa multitudinem" fovendique causa adoratorum erga SS. Sacramentum devotionem. Nihil obstat, quin Vesperae solemniter decantentur, immo potius hoc fieri valde desiderandum est. "Quotidie populo ad vesperam benedicatur." [2]

5. Altaria in hoc Triduo privilegiata esse non videntur; hoc enim privilegium a Pio VII. solummodo pro tempore orationis 40 Horarum concessum est.

6. Indulgentia plenaria conceditur omnibus Christifidelibus. "qui poenitentia et Sacra Synaxi rite muniti, *singulis* diebus Augustissimum Christi Corpus [publico cultui expositum] visitarint, Deum orantes juxta ecclesiae mentem."[3]

ART. VII.

DE EXPOSITIONE XIII HORARUM.

229. Ubi Triduum praedictis diebus haberi nequit, expositio SS. Sacramenti peragi potest "in Feria V. infra hebdoma-

[1] Cfr. Lambertini Instr. XXX. n. 17, Bened. XIV. Instr. 14, n. 8.

[2] Bened. XIV. et Clem. XIII. —Cfr. Inst. past. Alt. 23. Febr. 1880, n. 161, et De Herdt, I. 31.

[3] Bened. XIV.

dam Sexagesimae." Haec est unica Venerabilis expositio, quae iisdem privilegiis ac triduum fruitur. Si aliis diebus SS. Sacramentum per XIII horas exponitur [qualem expositionem Episcopus, ut patet, permittere potest], talis expositio supradictis privilegiis non gaudet, nisi vi Indulti Apostolici (v. g. Archidoecesi Colon. die 21 Febr. 1861 concessi).

2. Missa solemnis cantanda est more votivo de SSmo. cum *Gloria,* un. orat. *Credo,* Praef. Nativ., *Ite* et Evang. S. Joannis,—modo non festum aliquod I. vel II. c. occurrat, quo in casu canenda est Missa diei occurr. cum Orat. SS. Sacr. sub una conclus., omissis omnibus aliis commemorationibus.[1]

3. Indulgentia plenaria conceditur, "etiamsi [expositio] tantummodo in feria V. infra hebdom. Sexag. peragatur." [2]

APPENDIX.

De concione coram SS. Exposito.

230. Nulla lege generali prohibetur concio coram Ss. exposito. Praeceptum non praedicandi tempore orationis XL horarum in Instructione Clementina contentum, particulare est pro Urbe.[3] Nullimode vero permittendum est, conciones fieri de alio argumento quam de divinissima Eucharistia.

2. Sermocinator, quamvis sit Regularis, superpelliceo sit indutus. Utrum stola imponi possit necne, dependet a consuetudine. Talem consuetudinem ubique in hisce regionibus vigere, dici nequit.

3. Tempore, quo concio fit, velum ante s. Eucharistiam publice expositam apponi debet.[4]

4. Non licet habere concionem capite tecto ante sanctissimum Sacramentum palam expositum, quamvis velo serico obductum.[5] Velato Sacramento, Clerus vero poterit sedere tecto capite cum bireto; sed laudandus esset, si sederet detecto capite.[6]

5. Decet ut concionator maneat in eo situ, qui circumstantes non adducat ad actus irreverentiae, terga vertendo ad Ss. Sacramentum.

[1] Decret. Ur. et Or. 1852.
[2] S. C. Indulg. 23. Jul. 1765.
[3] Cf. Eph. Lit. XVIII. p. 212.
[4] D. 10. Mai. 1890, n. 3728. 2.
[5] D. 23. Sept. 1837, n. 2769. 2.
[6] D. 10. Sept. 1796, n. 2552. 1.

Pars Secunda.

DE OFFICIO DIVINO.

CAPUT I.

DE HORIS CANONICIS RECITANDIS.

ART. I.

ANIMADVERSIONES HISTORICAE.

231. Altera pars S. Liturgiae (sensu latiori) ad cultum Dei immediate spectans est *Officium divinum,* quod et *Opus Dei, Pensum servitutis, Cursus* appellatur, praecipue vero *Horae canonicae,* quia statutis diei vel noctis *horis* juxta *canones* seu leges Ecclesiae est recitandum.

2. "Precationum canonicarum adumbratio in Veteri Testamento praecessit. Prophetae et alii verae Religionis cultores praeter matutinum et vespertinum tempus impendebant horam tertiam, sextam et nonam in precibus Deo fundendis."[1] Psalmista ait: "Septies in die laudem dixi tibi;"[2] et: "Media nocte surgebam ad confitendum tibi."[3]

3. Apostolorum tempore hora tertia, sexta, nona erant orationis horae; item jam oratio nocturna[4] juxta Domini exemplum, qui "erat pernoctans in oratione Dei."[5]

Idem prioribus post Christum saeculis observabatur: "Precationes facite mane, tertia, sexta, nona, vespere atque ad galli cantum."[6] S. Ambrosius notat Completorium a Ve-

[1] Merati.
[2] Ps. 118, 164.
[3] Ps. 118, 62.
[4] Act. 16, 25.
[5] Luc. 6, 12.
[6] Const. Ap. lib. 8.

speris distinctum. Officium nocturnum vigilias appellabant. "Eas vigilias tripartitis distinguunt officiis;"[7] quibus plerumque matutino tempore "Laudes" addebantur.

4. In Ecclesiae exordiis officium praecipue per recitationem Psalterii aut certi psalmorum numeri cum oratione Dominica et Apostolorum symbolo fuit absolutum. S. Hieronymus de mandato S. Damasi (+ 384) officium per psalmorum in diei horas distributionem pro Dominicis et feriis magis ordinavit. Quod opus continuarunt, e. g. addendo Lectiones et Collectas, S. Leo M. (+ 461), S. Gelasius (+ 496), S. Gregorius M. (+604), S. Gregorius III. (+741), Adrianus I. (+ 795). Tandem S. Gregorius VII. (+ 1085) Horas canonicas in formam redegit, quam adhuc essentialiter retinent, e. g. tollendo secundum officium ejusdem diei; antea enim saepe una die duo officia erant recitanda (officium duplex), nempe officium de tempore et officium sanctorem.

232. Liber continens officium divinum appellabatur *Breviarium,* i. e. compendium seu summarium; quia continet selecta Veteris et Novi Testamenti loca, ac S. Patrum documenta, Sanctorumque exempla,—vel forsan, ut censet Benedictus XIV., quia olim "ordo officiorum" appellabatur Breviarium, uti in Breviario quodam Cassinensi ab anno 1100 inscriptum est: "Incipit Breviarium, sive ordo officiorum per totam anni decursionem," in quo ritus totius ecclesiastici officii, et pro ipsius recitatione, sacroque faciendo caeremoniae continentur.[8]

2. *Breviarii Romani* usus post S. Gregorium VII. non ubique de praecepto erat. Plures "praeclaram veteris Breviarii constitutionem multis locis mutilatam, alii incertis et alienis quibusdam commutatam, deformarunt."[9] Post plures emendationes aliasque vicissitudines S. Concilium Trident. novam Breviarii Romani emendationem faciendam decrevit.[10]

3. Quod quidem opus S. Pius V. perfecit. "Hoc nostrum Breviarium ac psallendi precandique formulam . . . praecipimus observari; statuentes Breviarium ipsum nullo unquam tempore vel totum vel ex parte mutandum, vel ei aliquid

[7] Cassian.
[8] Instit. XXIV. 5.
[9] S. Pius V.
[10] Sess. 25.

[redacted]

addendum, vel omnino detrahendum esse. . . . . Volumus et Apostolica auctoritate decernimus, quod [omnes] ad precandum et psallendum juxta illius ritum tam in choro, quam extra illum, maneant obligati."[11] Permisit solummodo alia Breviaria, quae in ipsa prima institutione a Sede Apostolica approbata, vel quae usu ducentorum annorum in aliquibus Ecclesiis recepta fuissent.[12]

4. Postea editionem iterum recognitam et emendatam faciendam curaverunt Clemens VIII. (a. 1602) et Urbanus VIII. (a. 1631), qui proprio labore plura addidit sacrosque hymnos ad exactas metri regulas adornavit.

5. Propria Breviaria nonnullis ordinibus religiosis concessa manent, e. g. Benedictinis, Dominicanis, Cisterciensibus, Praemonstratensibus, Carmelitanis.

ART. II.

INSTRUCTIO PRACTICA DE MODO RECITANDI HORAS CANONICAS.[1]

233. Breviarium Romanum dividitur in partes sequentes:

I. *Psalterium* (seu Commune de tempore) cum Ordinario;

II. *Proprium de tempore* (Scriptura occurrens);

III. *Proprium Sanctorum;*

IV. *Commune Sanctorum*, quod dividitur in: 1° Commune Apostolorum et Evangelistarum; 2° Commune Unius Martyris, Commune Martyrum tempore Paschali;[2] 3° Commune Plurimorum Martyrum; 4° Commune Confessoris Pontificis,—Commune Doctorum; 5° Commune Confessoris non Pontificis,—Commune Abbatum; 6° Commune Virginum; 7° Commune Sanctarum non Virginum;

V. 1° Commune Dedicationis Ecclesiae; 2° In Festis Beatae Mariae Virginis per annum; 3° Officium parvum

11 S. Pius, Const. *Quod a nobis*, a. 1568.

12 Ibid.

1 Practice addiscitur recitandi modus per recitationem cum aliis clericis peritis. Hoc loco pauca tantum proponuntur; reliqua vide in Rubricis ipsius Breviarii.

2 In "parte verna," si Breviarium sit disjunctum in quatuor volumina (pars hiemalis, p. verna, p. aestiva, p. autumnalis).

Beatae Mariae Virginis; 4° Officium Defunctorum; 5° Psalmi Graduales, Poenitentiales, Litaniae etc.

234. Horae seu partes Officii quotidie recitandi: I. Matutinum[3] et Laudes; II. Prima; III. Tertia; IV. Sexta; V. Nona; VI. Vesperae; VII. Completorium.[4]

235. A. Diversitas Officiorum. Officium esse potest: 1° De Festo (de mysteriis aut de Sanctis vel Beatis); 2° De Dominica; 3° De Feria (feria II., III. . . . sabbato); 4° De Vigilia, plerumque sicuti de feria. Officium de Dominica vel de Feria est "Officium de Tempore."

B. Diversitas Ritus. Secundum majorem minoremve solemnitatem vel dignitatem etc. officia fiunt sub diverso ritu: "Officium quotidie fit aut duplex, aut semiduplex, aut simplex." Specialius vero distinguitur:

1° Officium duplex 1^{ae} classis; 2° Officium duplex 2^{ae} classis; 3° Officium duplex majus; 4° Officium duplex minus (vel sine addito); 5° Officium semiduplex; 6° Officium simplex, sc. (*a*) de Sancto, (*b*) de feria vel vigilia (de ea).

236. Dominicae quamvis regulariter sint ritus semiduplicis, distinguendae sunt majores et minores, seu privilegiatae et communes (Dominicae per annum).

Dominicae majores sunt:

A: Dominicae 1^{ae} classis,[5] quae nulli festo cedunt; Dom. I. Adventus, Dominicae Quadragesimae, Passionis, Palmarum, Paschae, in Albis et Pentecostes.

B. Dominicae 2^{ae} classis, quae non cedunt, nisi festo duplici 1^{ae} classis: reliquae tres Dominicae Adventus necnon Dominica Septuagesima, Sexagesima, et Quinquagesima.

2. **Feriae** *majores privilegiatae* sunt illae, quae nulli officio

[3] Officium nocturnum; reliquae Horae = officium diurnum.

[4] Quibus horis Passionis Christi mysteria pie exhibentur, juxta illos Glossae versiculos:

Haec sunt septenis propter quae psallimus horis:
Matutina ligat Christum, qui *crimina* purgat;
Prima replet sputis; Causam dat Tertia mortis;
Sexta cruci nectit; Latus ejus Nona bipertit;
Vespera deponit; Tumulo Completa reponit.

[5] Ratione occurrentiae, non ratione ritus.

vel festo cedunt, nempe feria IV. Cinerum et omnes feriae majoris Hebdomadae.

Feriae majores non privilegiatae sunt illae, de quibus semper fit commemoratio, quamvis festum novem lectionum admittant, nempe reliquae feriae Adventus, Quadragesimae, Quatuor Temporum Septembris et secunda Rogationum.

3. Vigiliae *privilegiatae,* quae nulli festo cedunt: Nativitatis Domini, et Pentecostes; Vigilia Epiphaniae aequiparatur officio Dominicae.

4. Octava est festi prorogatio per acto dies; retinet dignitatem festi. Octavae distinguuntur privilegiatae, communes et simplices. *Privilegiatae,* de quibus fit officium vel saltem commemoratio quocumque festo occurrente, sunt: Paschatis et Pentecostes; Epiphaniae et Corporis Christi; Nativitatis et Ascensionis Domini. *Communes* sunt reliquorum festorum 1. cl. *Simplices* sunt festorum 2. cl.

ART. III.

CONSPECTUS HORARUM CANONICARUM SPECIALIS.

237. Praenotanda. Nova dispositio Pontificia circa Rubricas Breviarii duplicem constituit modum recitandi Officium Festi Duplicis vel Semiduplicis, scil. modum solemnem et modum ordinarium.

Modum Solemnem sequuntur:

(*a*) Cujusvis ritus festa Domini, B. Mariae Virginis, Ss. Angelorum, S. Joannis Bapt., S. Joseph, Ss. Apostolorum et Evangelistarum.

(*b*) Cetera festa 1. et 2. cl.

(*c*) Integrae Octavae Festorum Domini Ecclesiae universalis.

(*d*) Vigiliae Epiphaniae, Pentecostes et Nativitatis (a Laud.) et Feria 6. ante Pentecosten.

Completorium sequitur Vesperas integras vel a Capitulo.

2. *Modus Ordinarius* adhibetur:

(*a*) In quolibet Festo Duplici majore vel minore et Semiduplici, quod non est Domini, etc. ut supra 1 (*a*);

(*b*) Per omnes Octavas, quae non sunt Festorum Dni Ecclae universalis.

Attamen si quod Festum Ordinarium proprias Antiphonas

habeat ad Vesperas, Matutinum vel Laudes, **eas retinet cum** suis Psalmis (et ad Mat. etiam Versibus); **in ceteris Horis** Psalmi et Antiphonae dicuntur de Feria occurrenti.

3. **Antiphonae** *duplicantur* in Officio Duplici ad Vesperas, Matutinum et Laudes, i. e. integrae dicuntur in principio et fine psalmorum. *Inchoantur* tantum in principio psalmorum, i. e. dicuntur usque ad asteriscum, ad reliquas Horas et in Officio Semiduplici et Simplici ad omnes Horas.

4. **Commemoratio** est pars quaedam exigua officii alius in ipsius integrum locum substituta, et quasi vicem supplens. Partes commemorationis sunt:

(*a*) Antiphona ad *Benedictus* [*Magnificat,* pro Vesp.].

(*b*) Versus praecedens (post hymnum.).

(*c*) Oratio (officii commemorandi).

5. **Antiphona finalis B. M. V.** (infra ad Completorium No. 13.) dicitur extra chorum solummodo [in fine Completorii et] in fine Laudum, si tunc terminandum sit officium; si vero Prima aliave Hora cum Laudibus conjungatur, dicitur antiph. in fine ultimae Horae sic conjunctae.[1] Si totum Officium sine interruptione persolvatur, semel tantum dicitur in fine Completorii.

6. Non ex praecepto sed ex laudibili consuetudine recitationi Officii Divini praemittitur Oratio *Aperi.* Similiter cum expletum fuerit Officium dicitur *Sacrosanctae.*

I. FESTUM SOLEMNE. II. FESTUM ORDINARIUM[1]

VESPERAE.

1. Pater.[2] Ave. *Deus in adjutorium.*

2. (I.) Antiphonae cum Psalmis ex Proprio vel Communi.

(II.) Antiphonae[3] cum Psalmis de Feria currenti ex Psalterio.

[1] In choro autem semper dicitur, quandocumque, terminata aliqua Hora, discedendum sit a choro. Nunquam vero dicitur, quando immediate subsequitur officium Defunctorum, vel Litaniae, aut Missa conventualis.

[1] Discrimen inter Festum Solemne et Ordinarium num. I et II notatur.

[2] Quoties totum *Pater Noster* secreto recitatur in fine *Amen* additur; secus omittitur.

[3] Temp. Pasch. Psalmi ad omnes Horas dicuntur sub una Antiphona excepto Festo Solemni ad Vesperas et Laudes.

3. Capitulum ex Proprio vel Communi.[4] *Deo gratias.*
4. Hymnus ex Proprio vel Communi.
5. Versus ex Proprio vel Communi.
6. Antiphona ad *Magnificat* ex Propr. vel Coi.
Canticum *Magnificat.* Antiphona repetitur.
7. *Dominus vobiscum. Oremus.* Oratio conveniens.
8. Commemorationes speciales si dicendae sint.
9. *Dominus vobiscum. Benedicamus Domino. Fidelium animae.*
Pater noster, nisi sequatur Completorium.

COMPLETORIUM.

1. *Jube, Domine,*[5] *benedicere.* Benedictio *Noctem quietam.*
2. Lectio brevis *Fratres Sobrii.*
3. *Adjutorium nostrum. Pater noster.*
4. *Confiteor. Misereatur nostri. Indulgentiam.*
5. *Converte nos. Deus in adjutorium.*
6. (I.) Antiphona *Miserere.* Tres Psalmi de Dominica.
(II.) Antiphona cum Psalmis de Feria currenti ex Psalterio.
Antiphona integra dicitur.
7. Hymnus *Te lucis.*
8. Capitulum *Tu autem. Deo gratias.*
9. Responsorium breve *In manus.*
10. Antiphona *Salva nos.* Canticum *Nunc dimittis.*
Antiphona integra dicitur.
11. *Dominus vobiscum. Oremus.* Oratio *Visita, quaesumus.*
12. *Dominus vobiscum. Benedicamus Domino.* Benedictio *Benedicat et custodiat.*
13. Antiphona finalis B. Mariae V. pro diversitate temporis.[6] *Divinum auxilium.*
Pater. Ave. Credo.[7]

[4] In Officio Ordinario Capitulum, Hymnus et Versus ad Vesperas et Laudes, item Responsoria 2. et 3. Noct. fere semper sunt de Communi.

[5] In choro dicitur *domne.*

[6] In fine Ordinarii post Completorium.

[7] Quando immediate post Completorium sequatur Matutinum *Pater. Ave. Credo* bis dicendum est.

MATUTINUM.

1. Pater. Ave. Credo. *Domine, labia mea. Deus, in adjutorium.*

2. Invitatorium ex Proprio vel Communi cum Ps. 94. *Venite exultemus.*

3. Hymnus ex Propr. vel Coi.

4. Primum Nocturnum.

(*a*) (I.) Antiphonae, Psalmi et Versus de Propr. vel Coi.

(II.) Anae, Psi et Versus de Feria currenti ex Psalterio.

(*b*) *Pater noster.*

(*c*) Absolutio *Exaudi, Domine.*

(*d*) *Jube, Domine* ante singulas benedictiones.

(*e*) Benedictio pro quaque lectione, scil.:

(1) *Benedictione.* (2) *Unigenitus.* (3) *Spiritus.*

(*f*) (I.) Tres lectiones cum Responsoriis de Propr. vel Coi.

(II.) Tres lectiones cum Responsoriis de Scriptura occurrente.[8]

In fine cujuslibet lectionis dicitur: *Tu autem, Domine, miserere nobis. Deo gratias.*

5. Secundum Nocturnum.

(*a*) (I.) Antiphonae, Psalmi et Versus de Propr. vel Coi.

(II.) Anae, Psi et Versus de Feria currenti ex Psalterio.

(*b*) *Pater noster.*

(*c*) Absolutio *Ipsius pietas.*

(*d*) *Jube, Domine, benedicere* ante singulas benedictiones.

(*e*) Benedictio pro quaque lectione; scil.:

(1) *Deus.* (2) *Christus.* (3) *Ignem.*

(*f*) Tres lectiones de Propr. (vel Coi).

(*g*) Responsorium post singulas lectiones de Propr. vel Coi.

6. Tertium Nocturnum.

(*a*) (I.) Antiphonae, Psalmi et Versus de Propr. vel Coi.

(II.) Anae, Psi et Versus de Feria currenti ex Psalterio.

(*b*) *Pater noster.*

(*c*) Absolutio *A vinculis.*

(*d*) *Jube, Domine, benedicere* ante singulas benedictiones.

(*e*) Benedictio pro quaque lectione; scil.:

[8] Quando in Breviario desunt lectiones de Scriptura, etiam in Festo Ordinario lectiones cum Responsoriis 1. Nocturni sumuntur de Communi.

[redacted]

(1) *Evangelica.* (2) *Divinum* aut *Cujus* vel *Quorum* seu *Quarum.* (3) *Ad societatem.*[9]

(*f*) Tres lectiones[10] i. e. Evangelium cum Homilia de Propr. vel Coi.

(*g*) Responsorium post 7. et 8. lect. de Propr. vel Coi. Loco noni Responsorii dicitur *Te Deum.*

Si contingat separari Matutinum a Laudibus concludendum est: *Dnus vobiscum. Oremus.* Oratio. *Dnus vobiscum. Bened. Dno. Fidelium. Pater noster.* Tunc ad initium Laudum recitandum est Pater. Ave.—Si Officium post 1. vel 2. nocturnum abrumpitur, nihil aliud dicendum videtur.

LAUDES.

1. *Deus in adjutorium.*
2. (I.) Antiphonae ex Proprio vel Coi. Psalmi de Dominica.

(II.) Antiphonae cum Psalmis de Feria currenti ex Psalterio.

3. Capitulum ex Propr. vel Coi. *Deo gratias.*
4. Hymnus ex Propr. vel Coi.
5. Versus ex Propr. vel Coi.
6. Antiphona ad *Benedictus* de Propr. vel Coi.
7. Canticum *Benedictus.* Antiphona repetitur.
8. *Dominus vobiscum. Oremus.* Oratio conveniens.
9. Commemorationes speciales, si dicendae sint.
10. *Dominus vobiscum. Benedicamus Domino. Fidelium*
11. *Pater noster. Dominus det nobis.*
12. Antiphona finalis B. Mariae V. pro diversitate temporis.[11] *Divinum auxilium.*

PRIMA.

1. Pater. Ave. Credo. *Deus in adjutorium.*
2. Hymnus *Jam lucis.*
3. (I.) Antiphona i. e. prima ex Laud. (de Propr. vel Coi.) Tres Psalmi de Dominica; sed loco Psalmi *Confitemini* dicitur Ps. *Deus in nomine.*

[9] Si 9. lectio dicenda sit de Homilia, benedictio *Per Evangelica* sumitur.

[10] Interdum nona lectio propria est vel de Sancto vel de Homilia.

[11] V. n. 237. 5.

(II.) Antiphona cum Psalmis de Feria currenti ex Psalterio.

4. Antiphona integra repetitur.

5. Capitulum *Regi saeculorum. Deo gratias.*

6. Responsorium breve *Christi Fili.*[12]

7. *Dominus vobiscum. Oremus.* Oratio *Domine Deus.*

8. *Dominus vobiscum. Benedicamus Domino.*

9. *Pretiosa in conspectu.* Oratio *Sancta Maria.*

10. Reliqua usque ad finem Orationis *Dirigere.*

11. *Jube, Domine, benedicere.* Benedictio *Dies.*

12. Lectio brevis i. e. Capitulum Nonae (ex Propr. vel Coi). *Tu autem Domine miserere nobis. Deo gratias.*

13. *Adjutorium nostrum. Benedicite. Deus.* Benedictio *Dominus nos.* (*Pater noster,* nisi sequatur alia Hora.)

TERTIA, SEXTA, NONA.

1. Pater. Ave. *Deus in adjutorium.*

2. Hymnus de Ordinario.

3. (I.) Antiphona ex Laud.[13] de Propr. vel Coi cum Psalmis de Dominica.

(II.) Antiphona cum Psalmis de Feria currenti ex Psalterio.

4. Antiphona integra repetitur.

5. Capitulum de Proprio vel Communi. *Deo gratias.*

6. Respons. breve ex Proprio vel Communi.

7. *Dominus vobiscum. Oremus.* Oratio conveniens.

8. *Dominus vobiscum. Benedicamus Domino. Fidelium animae.* (*Pater noster,* nisi sequatur alia Hora.)

In festis semiduplicibus ordinariis:

(*a*) ad Vesperas et Laudes dicitur Suffragium (Temp. Pasch. Commemoratio de Cruce) extra Octavas, tempus Adventus et Passionis;

(*b*) ad Primam et Completorium dicuntur Preces extra Octavas.

12 In hoc Respons. loco versus *Qui sedes* aliquando substituitur alius versus e. gr. *Qui natus es de Maria Virgine.*

13 pro Tertia = 2a Antiph.
" Sexta = 3a "
" Nona = 5a "

[redacted]

238. III. FESTUM SIMPLEX[1]

VESPERAE

ut in festo Ordinario, sed Antiphonae tantum inchoantur et dicitur Suffragium de omnibus Sanctis (Tempore Paschali Commemoratio de Cruce).

COMPLETORIUM

ut in festo Ordinario i. e. de feria currenti cum Precibus.

MATUTINUM.

1. Pater. Ave. Credo. *Domine labia mea. Deus in adjutorium.*
2. Invitatorium et Hymnus de festo (ex Coi).
3. Unicum Nocturnum.

(*a*) Antiphonae et Psalmi trium Nocturnorum Feriae currentis continuatim recitantur cum Versu tertii Nocturni (omissis Versibus 1. et 2. Noct.).

(*b*) *Pater noster.* Absolutio Feria 2. et 5. *Exaudi, Domine.* Feria 3. et 6. *Ipsius pietas.* Feria 4. et Sab. *A vinculis.*

(*c*) *Jube, Domine, benedicere* ante singulas benedictiones. Benedictio pro quaque lectione, scil.: (1) *Ille nos.* (2) *Cujus* (vel *Quorum* seu *Quarum*) (3) *Ad societatem.*

(*d*) Lectiones 1. et 2. cum Responsoriis de Scriptura occurrente, lectio 3. de Festo (ex Coi).

Loco 3. Resp. dicitur *Te Deum.*

LAUDES

ut in Festo Ordinario. Additur Suffragium.

PRIMA, TERTIA, SEXTA, NONA

ut in Festo Ordinario.

In Prima dicuntur Preces Dominicales.

239. IV. OFFICIUM DOMINICALE.

PRIMAE VESPERAE.

1. Pater. Ave. *Deus in adjutorium.*
2. Antiphonae cum Psalmis de Sabbato ex Psalterio.

[1] Eodem fere modo recitatur Officium B. Mariae V. in Sabbato.

[In Adventu Anae propriae ex Laud. Dominicae.]

3. Capitulum:

(*a*) in Dominicis minoribus excepto Tempore Paschali de Sabbato ex Psalterio;

(*b*) in Dominicis majoribus et Tempore Paschali ex Proprio de Tempore;

4. Hymnus et Versus:

(*a*) in Dominicis minoribus (excepto Tempore Paschali) et in Dom. Septuag., Sexag. et Quinquag. de Sabbato ut in Psalterio.

(*b*) in Dom. majoribus (exceptis Septuag. Sexag. et Quinquag.) et Tempore Paschali de Ordinario.

5. Antiphona ad *Magnificat* ex Proprio de Tempore. *Magnificat.* Antiphona repetitur.

6. *Dominus vobiscum. Oremus.* Oratio diei.

7. Commemorationes speciales.

Suffragium de omnibus Sanctis, quod tamen omittitur tempore Adventus, Passionis et quando facta est commemoratio Duplicis vel Octavae.

8. *Dominus vobiscum. Benedicamus Dno. Fidelium animae.*

Pater noster, nisi sequatur Completorium.

COMPLETORIUM

de Sabbato ut in Ordinario et Psalterio. Adduntur preces, nisi ad Vesperas facta sit commemoratio Duplicis vel Octavae.

MATUTINUM.

1. Pater. Ave. Credo. *Domine labia. Deus in adjutorium.*

2. Invitatorium (cum Ps. 94.)

(*a*) in Adventu.

(1) Dom. 1. et 2. *Regem venturum* de Ordinario;

(2) Dom. 3. et 4. *Prope est* de Ordinario;

(*b*) post Epiphaniam i. e. a die 14. Januarii *Adoremus Dominum* de Psalterio;

(*c*) Dom. Septuag., Sexag. et Quinq. *Praeoccupemus* de Psalterio;

(*d*) tempore Quadrag. *Non sit vobis* de Ordinario;

[redacted]

(*e*) tempore Passionis *Hodie, si vocem* de Ord.;
(*f*) temp. Pasch. *Surrexit Dominus* de Ordinario;
(*g*) post Pentecosten *Dominum* de Psalterio.
(*h*) a die 28. Septembris *Adoremus Dominum* de Psalterio.

3. Hymnus
(*a*) in Dominicis minoribus (excepto tempore Paschali) et in Dom. Septuag., Sexag. et Quinquag. de Psalterio;
(*b*) in Dominicis majoribus(exc. Sept., Sexag. et Quinquag) et tempore Paschali de Ordinario.

4. Tria Nocturna.
(*a*) Psalmi de Dominica sub Antiphonis et cum Versu pro diversitate temporis de Psalterio.
(*b*) *Pater noster.* Absolutio. Benedictiones.
(*c*) Lectiones et Responsoria ex Proprio de Tempore.

In Dominicis minoribus loco Noni Responsorii dicitur *Te Deum.*

LAUDES.

1. *Deus in adjutorium.*
2. Antiphonae
(*a*) in Dominicis minoribus de Psalterio.
(*b*) in Dom. majoribus ex Proprio de Tempore.
3. Psalmi de Psalterio
(*a*) in Dom. minoribus et Adventu Schema I.
(*b*) in Dom. majoribus (exc. Adv.) Schema II.
4. Capitulum
(*a*) in Dom. minoribus (exc. Temp. Paschali) de Psalterio;
(*b*) in Dom. majoribus et Temp. Pasch. ex Proprio de Tempore.
5. Hymnus
(*a*) in Adventu *En Clara* de Ordinario;
(*b*) a die 14. Jan. usque ad Quadrag. *Aeterne* de Psalterio;
(*c*) tempore Quadragesimae *O sol,* temp. Passionis *Lustra* de Ordinario;
(*d*) tempore Paschali *Aurora* de Ordinario;
(*e*) post Pentecosten *Ecce* de Psalterio;
(*f*) a die 28. Septembris *Aeterne* de Psalterio.

6. Versus

(*a*) in Adventu *Vox clamantis* de Ordinario;

(*b*) a die 14. Jan. *Dominus regnavit* de Psalterio;

(*c*) Dom. Sept., Sexag. et Quinquag. *Domine* de Psalterio;

(*d*) tempore Quadrag. *Angelis,* temp. Passionis *Eripe* de Ordinario;

(*e*) tempore Paschali *In resurrectione* de Ordinario;

(*f*) post Pentecosten *Dominus regnavit* de Psalterio.

7. Antiphona ad *Benedictus* ex propr. de Temp.

Canticum *Benedictus.* Antiphona repetitur.

8. *Dominus vobiscum. Oremus.* Oratio diei.

9. Commemorationes speciales.

10. Suffragium, quod tamen omittitur temp. Adventus, Passionis et quando facta est commemoratio Duplicis vel Octavae.

11. *Dominus vobiscum,* etc., ut in Officio Solemni 10. 11. 12.

PRIMA.

1. Pater. Ave. Credo. *Deus in adjutorium.*

2. Hymnus *Jam lucis* de Ordinario.

3. Antiphona

(*a*) in Dom. minoribus de Psalterio;

(*b*) in Dom. majoribus ex Proprio de Temp. (in Adv. de Laudibus).

4. Psalmi

(*a*) in Dom. minoribus et Adventu: *Confitemini. Beati. Retribue* [et Symb. Anthanasianum[1]].

(*b*) in Dom. majoribus (exc. Adv.): *Dominus regnavit. Jubilate. Beati. Retribue.*

Antiphona integra repetitur.

5. Capitulum *Regi saeculorum. Deo gratias.*

6. Respons. breve *Christe.*

7. Preces, nisi in Laud. facta sit commemoratio duplicis simplificati vel Octavae.

8. *Dominus vobiscum.* Oremus. Oratio *Domine,* etc., ut in Ordinario.

9. Lectio brevis pro diversitate temporis de Ordinario.

[1] In Dominicis post Epiph. et Pentecosten, nisi in Laudibus facta fuerit commemoratio Duplicis vel Octavae.

[redacted]

TERTIA, SEXTA, NONA.

1. Pater. Ave. *Deus in adjutorium.*
2. Hymnus ex Ordinario.
3. Antiphona
(*a*) in Dom. minoribus ex Psalterio;
(*b*) in Dom. majoribus ex Proprio de Temp. (in Adv. de Laudibus).
4. Psalmi de Psalterio. Antiphona integra dicitur.
5. Capitulum et R. breve.
(*a*) in Dominicis minoribus exc. temp. Paschali de Ordinario;
(*b*) in Dom. majoribus et temp. Paschali ex Proprio de Tempore.
6. *Dominus vobiscum. Oremus.* Oratio diei. Cetera ut in Ordinario.

VESPERAE SECUNDAE.

1. Pater. Ave. *Deus in adjutorium.*
2. Antiphonae cum Psalmis de Dominica ex Psalterio. [in Adventu Anae propriae ex Laud. Dominicae].
3. Capitulum
(*a*) in Dom. minoribus excepto Tempore Paschali de Psalterio;
(*b*) in Dom. majoribus et Tempore Paschali ex Proprio de Tempore.
4. Hymnus et Versus
(*a*) in Dom. minoribus (exc. Temp. Paschali) et in Dom. Sept., Sexag. et Quinq. de Psalterio.
(*b*) in Dom. majoribus (exc. Sept., Sexag. et Quinq.) et Tempore Paschali ex Ordinario (vel Proprio de Temp.).
5. Antiphona ad *Magnificat* ex Proprio.
Canticum *Magnificat.* Antiphona repetitur.
6. *Dominus vobiscum. Oremus.* Oratio. Cetera ut in 1. Vesp.

COMPLETORIUM

de Dominica ex Ordinario et Psalterio. Adduntur preces, nisi ad Vesperas facta sit commemoratio Duplicis vel Octavae.

240. V. OFFICIUM FERIALE.[1]

MATUTINUM.

1. Pater. Ave. Credo. *Domine, labia. Deus in adjutorium.*

2. Invitatorium et Hymnus

(*a*) in Feriis per Annum (exc. Temp. Paschali) de Psalterio;

(*b*) in Feriis majoribus et Temp. Paschali de Ordinario.

3. Unicum Nocturnum.

(*a*) Antiphonae et Psalmi trium Nocturnorum Feriae currentis[2] continuatim recitantur cum Versu 3. Nocturni (omissis Versibus 1. et 2. Noct.).

(*b*) *Pater noster.*

Absolutio

Fer. 2. et 5. *Exaudi, Domine.*

Fer. 3. et 6. *Ipsius pietas.*

Fer. 4. et Sabbato *A vinculis.*

(*c*) *Jube, Domine benedicere* ante singulas benedictiones; Benedictio pro quaque lectione, scil.:

(1) quando legitur Homilia: *Evangelica;* quando non legitur Homilia: *Ille nos.*

(2) *Divinum auxilium.* (3) *Ad societatem.*

(*d*) Lectiones de Scriptura occurrenti vel de Homilia.

(*e*) Responsoria.

Non dicitur *Te Deum,* nisi Temp. Paschali.

LAUDES.

1. *Deus in adjutorium.*

2. Antiphonae cum Psalmis de Psalterio.

(*a*) Schema I. in Feriis per Annum exceptis hebdomadis Sept. Sexag. et Quinq. et exc. Vigiliis communibus;

[1] Distinguendae sunt Feriae majores, et minores seu per Annum. *Majores sunt:* Advent. Quadrag.,Quat. Temp. Septembris et secunda Rogationem—*In Vigiliis communibus* Officium sumitur de Feria praeter Lectiones et Orationem.

[2] Feriis quartis Adventus, a Septuagesima usque ad Pascha et Vigiliarum communium ad Matut. Psalmi 7. 8. 9. sumuntur ex Schemate II.

(*b*) Schema II. in Fer. majoribus et a Sept. usque ad Quadragesimam et in Vigiliis communibus.

3. Capitulum, Hymnus et Versus

(*a*) in Fer. per Annum (exc. Temp. Pasch.) et in Vigiliis de Psalterio;

(*b*) in Fer. major. et Temp. Pasch. de Ordinario.

4. Antiphona ad *Benedictus*

(*a*) in Feriis per Annum (exc. Temp. Pasch.) et in Vigiliis de Psalterio;

(*b*) in Fer. major. et Temp. Pasch. ex Proprio de Tempore.

Benedictus. Antiphona integra dicitur.

5. Preces feriales dicuntur in Feriis majoribus et Vigiliis communib. flexis genibus.

6. *Dominus vobiscum. Oremus.* Oratio diei.

7. Commemorationes, si faciendae sint.

8. Suffragium de omnibus Sanctis exc. tempore Adv. et Passionis. Temp. Paschali ejus loco dicitur Commemoratio de Cruce.

9. *Dominus vobiscum.* Cetera ut in Festis.

PRIMA.

1. Pater. Ave. Credo. *Deus in adjutorium.*

2. Hymnus *Jam lucis.*

3. Antiphona

(*a*) in Feriis minoribus[3] de Psalterio;

(*b*) in Feriis majoribus.

(1) Adventus ex Propr. de Temp. de Laud. Dominicae praecedentis; a die 17. Dec. ex Laud. Feriae.

(2) Quadragesimae et Passionis de Ordinario.

4. Psalmi de Feria currenti. Quando ad Laud. adhibitum fuerit Schema II., dicuntur 4 Psalmi.

Antiphona integra dicitur.

5. Capitulum *Pacem* de Ordinario. (T. P. *Regi saeculorum.*) *Deo gratias.*

6. Respons. br. *Christe, Fili.*

[3] Item Fer. II. Rogat., Quat., Temp. Septembris et Vigiliis comm.

7. Preces
(*a*) breviores in Feriis per Annum;
(*b*) longiores in Fer. majoribus et Vigiliis communib. flexis genibus.
8. *Dominus vobiscum. Oremus.* Oratio *Domine Deus.* Cetera ut in Ordinario.

TERTIA, SEXTA, NONA.

1. Pater. Ave. *Deus in adjutorium.*
2. Hymnus ut in Ordinario.
3. Antiphona
(*a*) in Feriis per Annum de Psalterio;
(*b*) in Fer. majoribus.
(1) Adventus ex Propr. de Temp. de Laud. Dominicae praecedentis; a die 17. Dec. ex Laud. Feriae.
(2) Quadrag. et Passionis de Ordinario.
4. Psalmi de Feria currenti.
Antiphona integra dicitur.
5. Capitulum et Resp. breve de Ordinario.
6. Preces feriales dicuntur in Feriis maj. et Vigiliis comm. flexis genibus.
7. *Dominus vobiscum. Oremus.* Oratio.
Cetera ut in Festis.

VESPERAE.

1. Pater. Ave. *Deus in adjutorium.*
2. Antiphonae cum Psalmis de Feria currenti.
3. Capitulum, Hymnus et Versus
(*a*) in Feriis minoribus exc. Temp. Paschali de Psalterio;
(*b*) in Feriis majoribus et Temp. Paschali de Ordinario.
4. Antiphona ad *Magnificat*
(*a*) in Feriis min. exceptis hebdomadis Septuag., Sexag. Quinquag. et Temp. Paschali de Psalterio;
(*b*) in Feriis majoribus et hebdomadis Sept., Sexag. et Quinquag. et Temp. Paschali ex Proprio de Tempore.
Magnificat. Antiphona integra dicitur.
5. Preces dicuntur in Feriis maj. et Vigiliis comm. flexis genibus.
6. *Dominus vobiscum. Oremus.* Oratio diei.
7. Commemorationes si faciendae sint.

8. Suffragium de omnibus Sanctis exc. temp. Adv. et Passionis. (Temp. Pasch. Commemoratio de Cruce.)
9. *Dominus vobiscum. Benedicamus. Fidelium.*

COMPLETORIUM.

de Fer. currenti. Adduntur Preces.

ART. IV.

MODUS ORDINANDI OFFICIUM.

241: Si officium sit de tempore, i. e. de Dominica vel feria, recurrendum est ad Proprium de tempore; quae ibi non ponuntur, ex Psalterio seu Communi de tempore et Ordinario sumuntur.

2. Etiam pro festis Domini principalibus (et de Sanctis infra octavam Nativitatis Domini) recurrendum ad Proprium de tempore.

3. Si officium fit de Sanctis, recurrendum est ad Proprium Sanctorum; quae ibi non assignantur, ex Communi Sanctorum sumuntur quoad officia solemnia, ex Psalterio et Communi Sanctorum quoad officia ordinaria.

4. Infra octavas communes officium dicitur ut in festo ordinario.[1]

In feriis sumitur Oratio de Dominica praecedenti, sin propria habeatur.

5. "Cum dicuntur plures Orationes," sive in officio ob commemorationes, sive in Missa, "et una Oratio eadem sit cum alia ibidem dicenda, Oratio ejusmodi (posterior) commutetur cum alia de Communi vel de Proprio, quae sit diversa." Si in Communi una tantum Oratio habeatur, ut pro Doctoribus et Abbatibus, sumitur alia de Communi Confessoris; pro Virginibus Mart. seu non Mart. etc. (in Missa) alia de Sancta, exprimendo vel tacendo *Virginem*, vel *Martyrem* tantum vel utrumque simul juxta qualitatem officii.

[1] Nov. Rubr. I. 3.

ART. V.

OBSERVATIONES SPECIALES DE LECTIONIBUS ET HYMNIS.

242. In Matutino lectiones primi Nocturni regulariter sumuntur de S. Scriptura occurrente, si officium sit duplex (maj. vel min.) aut semiduplex; sumuntur vero de Communi vel lectiones propriae tantum in duplicibus primae vel secundae classis; illis lectionibus exceptis, quae approbatae jam fuerint vel in Breviario habentur pro duplicibus seu majoribus seu minoribus; vel aliis, quas pro specialibus rationibus aut adjunctis S. R. C. approbare deinceps censuerit.[1]

2. Si initia librorum S. Scripturae (*Incipit*) in die assignata sint impedita, in sequentem diem similiter non impeditam transferuntur, et lectiones huic diei assignatae omittuntur, vel cum superioribus lectionibus leguntur. Si tria initia dici oporteat, unica lectio cujusque initii de praecepto tantum dicenda est,[2] aliae autem lectiones ad libitum omitti vel dicendis adjungi possunt.

3. Si dies in eadem hebdomada pro initio legendo libera non supersit, aut in sequenti feria aliud initium occurrat, tunc initium in praecedenti ejusdem hebdomadae feria similiter non impedita est anticipandum.

4. Eodem modo, ut initia, tranferuntur vel anticipantur lectiones primi Nocturni Dominicae in Sexagesima et Quinquagesima. (quae continent insignes et ab aliis distinctas historias Noe et Abrahae) ; deinde in mense Octobri pro historia Machabaeorum, uti in Rubrica feriae V. infra hebdomadam IV. Octobris.

5. Pro *nona lectione* legenda est homilia Dominicae vel feriae aut vigiliae, quando officium in iisdem diebus fit de festo cum commemoratione Dominicae, feriae vel vigiliae, quae propriam homiliam habent;—id est in quaque Dominica (nisi "vacat"), in feriis Quadragesimae, Quatuor Temporum Adventus et Septembris, feriae II. Rogationum, in vigiliis,

[1] D. 30. Junii, 1896, n. 3923, et Nov. Rubr. I. 4.

[2] D. 2002. 7.

exceptis vigiliis, quae occurrunt in feriis majoribus (in Adventu, Quadragesima et Quatuor Temporibus, in quibus nihil fit de vigilia in officio, sed in Missa tantum; et exceptis vigiliis in festis 1ae classis, in quibus nihil fit de vigilia, praeterquam in vigilia, Epiphaniae Domini.

Quando pro nona lectione legitur homilia, in Missa de die ultimum Evangelium dicitur de eadem Dominica, vel feria aut vigilia.

243. *Hymnorum conclusio,* seu ultima stropha in festivitate Nativitatis Domini et Corporis Christi et in officiis B. M. V. mutatur in *Jesu tibi sit gloria, Qui natus es de Virgine,* dummodo hymni illi sint ejusdem metri nec habeant propriam conclusionem. Similiter in aliis festis Domini aliae conclusiones. (Simul ad Primam in Resp. brevi mutatur versus *Qui sedes ad dexteram Patris.*)

2. Quando in Vesperis et Completorio *conclusio propria* facienda sit?

(*a*) Quando duo officia concurrunt, quorum *alterutrum* exigit mutationem (hodie propriam conclusionem, cras communem, et vice versa), tunc in Vesperis et Completorio *propria* conclusio sumitur, modo officium, quod propriam exigit conclusionem, in Vesperis commemoratur.[3]

(*b*) Quando duo officia concurrunt, et *utrumque* propriam hymnorum conclusionem habeat, hymnus Completorii concludendus est conclusione illius officii, de quo Vesperae integrae vel a Capitulo fiunt.

3. In hymno *Iste Confessor*, si officium celebretur in die obitus Sancti, dicitur *Meruit beatas scandere sedes,* etiam per totam octavam, si de Sancto celebretur. Item, si festum habens octavam, a die obitus non ultra octavam transferatur, in festo et reliquis octavae diebus qui supersunt, retinetur *Meruit beatas*, quia tota octava censetur ipsius festi continuatio. Si vero festum absque octava transferatur a die obitus in diem immediate sequentem, nec a Capitulo fiat de hoc sequenti sed solummodo commemoratio, in Matutino et secundis Vesperis dicitur *meruit supremos;* si saltem a Capitulo fiat de S. Confessore translato, dicitur

[3] D. 12. Jul. 1901, n. 4078.

non tantum in primis Vesperis, sed etiam in Matutino et secundis Vesperis *Meruit beatas scandere sedes,*[4] quia officium continuatur eo modo quo incipitur.

4. Hymnus *Veni Creator* semper concluditur *Deo Patri sit gloria, Et Filio qui a mortuis* etc. Doxologia praefati hymni ita propria censetur, ut numquam quovis anni tempore vel quocumque occurrente festo, in aliam sit mutanda.[5]

[4] D. 13. Jun. 1899, n. 4033.

[5] D. 20. Jun. 1899, n. 4036.

CAPUT II.

DE RELATIONE OFFICIORUM INTER SE.

ART. I.

DE OCCURRENTIA ET TRANSLATIONE.

244. Officium dicitur occurrere cum alio officio, si in unam eamdemque diem incidat. (Concurrit officium praecedentis diei cum officio sequentis diei, in Vesperis.)

Occurrentia est inclusiva, quando de duobus, vel pluribus officiis eadem die fieri potest; nempe fit de uno, et additur commemoratio alterius, vel aliorum.

2. Occurrentia est exclusiva, quando officia eadem die simul fieri nequeunt, sed unum fieri, et alterum transferri debet in aliam diem liberam.

3. Festa duplicia 1. et. 2. cl. tum *accidentaliter* tum *perpetuo* impedita transferri possunt.

4. Festa duplicia (majora et minora) et festa semiduplicia, si occursu Dominicae vel majoris festi seu officii quomodocumque etiam perpetuo impediantur, non transferuntur, sed ipso die quo cadunt, de eis fit in utrisque Vesperis et Laudibus commemoratio, cum nona lectione historica, sive una ex duabus aut tribus, si tamen haec eo die fieri possint; secus hujusmodi festa duplicia et semiduplicia eo anno penitus omittuntur.[1]

5. De festis duplicibus et semiduplicibus, quoties reduci debent ad modum simplicis, fit commemoratio, ad instar diei octavae et Dominicae, in utrisque Vesperis et Laudibus, praeterquam in omnibus duplicibus primae classis, omittitur nempe commemoratio in festis primariis Domini (1. cl.)

[1] Leo XIII. Brevi 28 Jul. 1882; et Nov. Rubr. IV. 4.

Universalis Ecclesiae; in aliis festis 1. cl. fit commemoratio ad Laudes (et in Missis privatis) tantum.[2]

6. "Nona lectio historica" talis festi duplicis vel semiduplicis impediti seu "per accidens simplicis" non legitur in festis duplicibus primae classis nec in ullis Dominicis; omittitur etiam (*a*) in officiis trium lectionum; (*b*) infra octavam Corporis Christi; (*c*) quando nona lectio legitur homilia; (*d*) si lectiones istae secundi Nocturni non sint propriae et historicae.

245. Regulae translationis principales:

I. Quodcunque festum cedit Dominicae privilegiatae primae classis[3] et feriis privilegiatis,[4] vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, diei octavae Nativitatis Domini, Epiphaniae et Corporis Christi,[5] diebus infra octavas Paschae et Pentecostes.

Festum duplex 2ae classis cedit etiam Dominicis privilegiatis 2ae classis,[6] diebus infra octav. Epiph. et Corp. Christi.

II. In occursu festorum, quae transferri possunt, festum ritus altioris praefertur festo ritus minoris.

III. In paritate ritus major solemnitas attendenda est, scilicet si festum celebretur cum feriatione, etiam in foro sublata, aut cum Octava.[7]

IV. In paritate ritus et solemnitatis festa primaria secundariis praeferenda sunt. Catalogus festorum, quae uti primaria vel secundaria retinenda sint, die 25. Sept. 1913 approbatus, in Breviario invenitur.

Distinctio inter primaria et secundaria festa respicit etiam duplicia minora ac semiduplicia tam in occursu quam in concursu.[8]

Dies octava est primaria vel secundaria prout festum, ad quod illa pertinet, primarium vel secundarium est. Dies infra octavam quamcumque tanquam secundarii habendi sunt.[9]

2 Novae Rubr. VII. 1.

3 V. n. 236, A.

4 Ib. 2.

5 Excipe quoad diem Octavam Corporis Christi festa I. cl. primaria Universalis Ecclae. Novae Rubr. Not. 13.

6 V. n. 236, B.

7 Novae Rubr. II.

8 D. 14. Aug. 1894, n. 3837.

9 D. 21. Feb. 1896, n. 3886. 2. 1.

[redacted]

V. In paritate ritus solemnitatis et *ordinis*[10] praefertur festum *dignius* (maj. dignit. person.), et quidem hoc ordine: 1° Festa Domini (inter quae fest. Ded. Eccl.). 2° Deiparae Virg. 3° SS. Angelorum. 4° S. Joannis Bapt. 5° S. Joseph. 6° SS. Apost. et Evangelist. (etiam S. Barnabae[11]).

VI. Festi proprietas attendenda est, qua festum, quod est magis proprium seu particulare praefertur festo universali. Talia festa propria sunt: 1° Dedicationis et Titulis Ecclae propriae, Patroni principalis loci, Tituli et S. Fundatoris Ordinis; 2° Patroni loci secundarii, Sancti in Martyrologio vel in ejus Appendice approbata descripti, cujus habetur corpus vel aliqua insignis reliquia, vel Sancti, qui ad Ecclam vel locum vel personarum coetum speciales habeat relationes. Igitur Festum quodvis istiusmodi proprium, ceteris paribus, praefertur festo universalis Ecclae. Excipiuntur tamen Festa d. 1. cl. primaria universalis Ecclae; Dominicae, Feriae, Vigiliae et Octavae privilegiatae, quae sunt uniuscujusque loci propria.

VII. Natalitia dies, qua, ceteris paribus, postponitur festum cui dies solummodo assignata est. Dies natalitia Sanctorum (festo Praecursoris Domini excepto) est intelligenda illa, qua iidem Sancti aeternam ingrediuntur vitam, atque illa quam pro quasi-natalitia S. Sedes eligit extra natalitiam ad liturgica festa recolenda.[12]

VIII. Dignitas exigua, quam habet Martyr Pontifex prae Martyre tantum, Martyr prae Confessore etc.

Conferatur *tabella occurrentiae* in Breviario posita.

2. *In quam diem festa transferri debeant?*

Festa duplicia 1. et 2. classis tum accidentaliter tum perpetuo impedita transferenda sunt in proximiorem insequentem diem, quae libera sit ab alio festo duplici 1. vel 2. classis, a Vigilia privilegiata et ab aliis Officiis hujusmodi festa excludentibus, et etiam, si agatur de perpetua repositione, ab aliqua die Octava duplici majori, si vero agatur de accidentali repositione, a quavis Dominica.

Duplicia vero 1. et 2. cl. certis feriis assignata, si perpetuo impediantur item tamquam in sede propria reponuntur in feria proxime insequente perpetuo libera.[13]

[10] Vox *ordo* hic ad distinctionem inter festa primaria et secundaria refert.

[11] D. 11. Aug. 1901, n. 4080.

[12] D. 21. Nov. 1893, n. 3811.5.

[13] Novae Rubr. IV. et V.

3. *Quo ordine plura festa transferri debeant?*

1° Prius transferuntur festa majoris ritus.

2° In paritate ritus attenditur major solemnitas, scil. si festum celebretur cum feriatione etiam in foro sublata, aut cum Octava.

3° In paritate ritus et solemnitatis festa primaria transferuntur ante festa secundaria.

4° In paritate ritus, solemnitatis et *ordinis* servatur ordo dignitatis (majoris), ut supra n. 245. V.

5° In paritate ritus, solemnitatis, ordinis ac dignitatis servandus est ordo Kalendarii seu temporis.[14]

4. Sequentia festa regulis specialibus gaudent: SS. Nominis et Cordis Jesu; Purificationis B. M. V.; S. Joseph, Sponsi B. M. V.; Annuntiationis B. M. V.; Nativitatis S. Joannis Bapt., de quibus in Rubricis proprio loco.

5. *De die fixa.* Quando festum duplex 1. vel 2. classis ob occursum alterius officii praestantioris semper sit impeditum, tali festo assignari debet prima dies non perpetuo impedita (ut supra n. 2.) tamquam propria et perpetua sedes ipsius festi, seu ipsius *dies fixa;* ita ut ab ea festum amplius amovendum non sit ob alia officia majora translata.

6. Quae mutatio in diem fixam fieri potest inconsulta S. Congregatione cum Episcopi approbatione, sive pro tota Dioecesi sive pro Ecclesia particulari, e. g. ob festum Titulare vel Dedicationis. De trans. Ss. Sociorum alicuius Sancti v. n. 249. 2.

ART. II.

DE CONCURRENTIA.

246. Concurrentia est obviatio officii diei praecedentis cum officio diei sequentis, quando officia ista Vesperas intermedias exigunt. In concurrentia aut Vesperae integrae fiunt de alterutro concurrentium, aut Vesperae inter utrumque dimidiantur, ita ut psalmi dicantur de praecedenti et a Capitulo cum reliquis fiat de sequenti.

2. *Regulae concurrentiae:*[1] I. Quando officium praecedens et subsequens non sunt ejusdem ritus, Vesperae in-

[14] Novae Rubr. II.

[1] Novae Rubr. VI. et II.

[redacted]

tegrae fiunt de officio altioris ritus. Ab hac regula excipiuntur: 1° dominicae majores, quae integras Vesperas habent in concursu cum quovis festo, nisi sit ritus duplicis 1. vel 2. cl.; 2° dominicae minores, quae integras Vesperas habent in concursu cum aliis festis exceptis duplicibus 1. et 2. cl., festis Domini et diebus Octavis privilegiatis festorum Domini; 3° dies octava Corporis Christi, quae quoad Festum Ss. Cordis Jesu vi Rubricae omnino particularis vesperas integras habet absque commemoratione sequentis.

II. In paritate ritus integrae Vesperae erunt de festo solemniori cum commemoratione de altero. Attamen quaevis dies octava praeferentiam habet super festum ejusdem ritus.

III. In paritate ritus et solemnitatis integrae Vesperae erunt de festo primario cum commemoratione de altero.

IV. In paritate ritus, solemnitatis et ordinis Vesperae integrae erunt de festo digniori; dignitas attenditur insignis, ut supra 245. V.

V. In paritate ritus, etc. Vesperae regulariter fiunt a Capitulo de sequenti cum commemoratione praecedentis. Dicitur *regulariter,* quia aliquando in propriis locis aliter disponitur, ut infra octavam Nativitatis Domini; aut si agatur de eodem Sancto vel objecto; tunc enim Vesperae integrae sunt de praecedente, nihil de sequente; vel vice versa, i. e. totum de sequente si sit nobilius nihil de praecedente.

Conferatur *tabella concurrentiae* in Breviario posita.

ART. III.

DE COMMEMORATIONIBUS.

247. Commemoratio fit de officio, quod fieri nequit ob aliud praestantius officium, sive concurrens (in Vesperis), sive occurrens (in Laudibus vel Vesperis et aliquando in Matutino per 9am lectionem).

2. De quavis Dominica etiam communi semper fit commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus.[1]

3. De feriis majoribus[2] semper fit commemoratio in

[1] Novae Rubr. VII. De 9a lectione v. n. 242.5.

[2] Vide n. 236.2.

Laudibus et Vesperis; excipe ferias Quatuor Temporum Septembris et feriam II. Rogationum, de quibus fit commemoratio in Laudibus tantum. (Feriae primas Vesperas non habent.)

4. De vigiliis fit commemoratio in Laudibus, exceptis 1° vigiliis quae occurrunt in feria majori, de quibus nihil fit in officio, sed tantum in Missa; 2° vigiliis quae occurrunt *accidentaliter* vel concurrunt cum duplici 1ae classis, in quo nihil fit de vigilia praeter vigiliam Epiphaniae. (Vigilia occurrens in Dominica et Vigilia *perpetuo* impedita a Duplici 1. classis anticipantur.)

5. De festis duplicibus et semiduplicibus ad modum simplicis redactis commemoratio fit in utrisque Vesperis et Laudibus. Quae commemoratio in duplicibus 1ae classis primariis Domini Universalis Ecclesiae omittitur, in ceteris festis 1. cl. fit tantum in Laudibus[3] (et Missis privatis).

6. De simplici fit commemoratio in ejus primis Vesperis et Laudibus; secundas Vesperas non habet. Excipe: 1° si occurrat vel concurrat cum duplici 1ae classis, omnino omittitur; item si concurrat cum d. 2. cl.; 2° si occurrat cum duplici 2ae classis, commemoratur in Laudibus tantum.[4]

7. De die infra octavam communem fit commemoratio in Laudibus et Vesperis (ex secundis Vesperis nisi sequenti die de ea fiat officium) 5; omittitur vero in occursu et concursu cum duplici 1ae vel 2ae classis.[5]

De die infra oct. simplicem non amplius fit commemoratio, sed tantum de die octava, quae est ritus simplicis.

8. De die octava (octavae communis) fit commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus, exceptis secundis Vesperis, si concurrant cum sequenti duplici 1ae classis.

Octavae quae in Breviario non sunt descriptae, omnino cessant a feria IV. Cinerum usque ad Dominicam in Albis, a vigilia Pentecostes usque ad festum SS. Trinitatis et a die 17. Decembris (qua die incipiunt antiphonae majores O) usque ad vigiliam Nativitatis Domini, ubique inclusive[6] Octavae non cessant adveniente festo Corporis Christi.[7]

9. In Vesperis, quae (in concursu) fiunt integrae vel a capitulo de uno officio, regulariter fit commemoratio de altero

[3] Nov. Rubr. VII. 1.

[4] De eius nona lectione cf. n. 242.5.

[5] Nov. Rubr. VII. 1. 2.

[6] Novae Rubr. III. 5.

[7] D. 17. Nov. 1911, n. 4280.

officio. Excipe (praeter casus supra notatos) primas Vesperas duplicis 1^{ae} classis, in quibus nihil fit de praecedente festo duplicis majoris vel inferioris ritus, ac primas Vesperas 2^{ae} classis, in quibus nihil fit de praecedente festo semiduplici. In hisce festis semper fit commemoratio de Dominica in utrisque Vesperis ac Laudibus; similiter de Octava privilegiata.

10. Si antiphona et versus commemorationis faciendae eadem sint ac in officio, ne bis dicantur, mutanda sunt hoc modo:

1° pro simplici in primis Vesperis antiphona et versus commemorationis sumuntur e Laudibus; et in Laudibus ex primis Vesperis eiusdem Communis;

2° pro festo ad instar simplicis redacto, si in utrisque Vesperis commemoretur, in primis Vesperis antiphona et versus sumuntur e secundis Vesperis; in Laudibus ex primis Vesperis; ac in secundis Vesperis antiphona e Laudibus, versus ex primis Vesperis (excipitur commemoratio alicuius S. Virginis facienda in festo alterius S. Virginis; tunc in primis Vesperis antiphona sumenda est e Laudibus);

3° pro festo redacto, quod ob subsequens festum in secundis Vesperis non commemoretur, idem valet quod dictum est de simplici sub 1°.

4° Si vero plures commemorationes faciendae sint ex eodem Communi, S. R. C. haec statuit:

"*Ad Vesperas* dictis Antiphona et v. de 1 et 2 Vesperis, altera Commemoratio fit per Antiphonam de Laudibus et v. ex 2 Nocturno; ultima vero per primam Antiphonam et v. ex 3 Nocturno.

Ad Laudes vero, dictis Antiphona et v. de Laudibus, prima Commemoratio fit per Antiphonam et v. de 1 Vesperis; altera vero per Antiphonam de 2 Vesperis et v. ex 2 Nocturno; tertia tandem per primam Antiphonam et v. 3 Nocturni."[8]

Si antiphona sit eadem, sed versus diversus, sola antiphona mutatur; si versus sit idem, sed antiphona diversa, solus versus mutatur.

Pro die infra octavam antiphona et v. ex secundis Vesperis festi sumuntur.

[8] D. 27. Jun. 1899, n. 4042.5.

11. *Quo ordine commemorationes faciendae sint?* Post orationem diei ante ceteras commemoratio semper agenda est de festo, seu de officio, quod concurrit; deinde reliquae juxta ordinem sequentem: "1° de Dominica qualibet vel de Vigilia Epiphaniae; 2° de die infra Octavam Epiphaniae aut Corporis Christi; 3° de die Octava Duplici majori; 4° de Duplici majori; 5° de Duplici minori; 6° de semiduplici; 7° de die infra Octavam Nativitatis Domini vel Ascensionis; 8° de die infra Octavam communem; 9° de Feria VI. post Octavam Ascensionis; 10° de Feria majori; 11° de Vigilia communi; 12° de die Octava Simplici; 13° de Simplici."[9]

[9] Novae Rubr. VII. 5.

CAPUT III.

DE OFFICIIS VEL FESTIS SPECIALIBUS.

ART. I.

DE PATRONO ET TITULARI ECCLESIAE PROPRIAE.

248. "Titularis Ecclesiae, qui etiam appellari quandoque solet Patronus Ecclesiae, distinguitur a Patrono Loci, puta Civitatis, Provinciae, Regni etc. Titularis enim, sive Patronus Ecclesiae is dicitur sub cujus nomine, seu titulo Ecclesia fundata est, et a quo appellatur. *Patronus* autem Loci proprie is est, quem certa Civitas, Dioecesis, Provincia, Regnum etc. sibi delegit velut singularem ad Deum Patronum, servatis in ejusmodi electione regulis in Decreto sa: me: Urbani VIII. diei 23 Martii, 1630, statutis."[1] Patronus igitur [praeter casum specialis indulti Apost.] valide non constituitur, nisi electione populi cum expresso consensu Episcopi et Cleri necnon approbatione S. R. Congregationis.

2. "In quibusvis Ecclesiis publicisque Oratoriis, vel consecratis vel saltem solemniter benedictis, relativum Titularis Festum quotannis est recolendum sub ritu duplici primae classis cum octava.[2] . . Pro Ecclesiis et Oratoriis publicis, ad effectum celebrandi Titularium Festa, illae sacrae aedes sunt intelligendae, quae pro Missis celebrandis sacrisque aliis, etiam solemnioribus, functionibus peragendis ab Ordinariis locorum destinatae, vel consecrantur vel solemniter benedicuntur, ut publico fidelium usui libere plus minusve deserviant. Relativi Titularis Festum a toto Clero (cui "eadem Ecclesia propria est, aut ratione beneficii, aut ratione subjectionis"[3]), si extiterit, vel a Sacerdote Rectore Ecclesiae aut

[1] D. 3048.
[2] Cf. C. Pl. Balt. II. n. 384.
[3] D. 9. Jul. 1895, n. 3863. 2

publico Oratorio addicto, per integrum Officium celebrabitur: secus, in defectu cujusvis Cleri, per solas Missas juxta Rubricas. In Oratoriis autem, quae existunt in aedibus episcopalibus, Seminariis, Hospitalibus, Domibusque Regularium, relativum Titularis Festum non celebrabitur, nisi in casu quo aliqua ex iis consecrata vel benedicta solemniter fuerint."[4]

Sacerdos duabus Ecclesiis adscriptus, vel qui duo habet beneficia, de utriusque Titulari recitare tenetur officium ritu supradicto.[5] Sed publicum officium et Missa cantata conformari debent Ecclae, in qua fiunt, absque respectu ad alteram.

Missionarius qui curam parochialem exercet in pluribus simul Ecclesiis, dum in una tantum proprie residet, tenetur ad celebrandum Titulum "tantum Ecclesiae, apud quam residere solet; vel dignioris"[6] ecclesiae.

3. Festa Patronorum principalium Oppidi vel Civitatis, Dioecesis, Provinciae et Nationis, Clerus saecularis et regularis ibi degens et Kalendarium Dioecesanum sequens, sub ritu Duplici I classis cum Octava celebrabit; Regulares vero proprio Kalendario gaudentes Festa solemniora Patronorum principalium celebrare debent (absque tamen Octava), "ita ut non amplius teneantur ad Officia alicui regno, provinciae, aut dioecesi concessa; neque ad Officia localia, quae adnexam habuerunt feriationem, nunc autem habent suppressam."[7]

4. Quilibet alicuius Ecclesiae servitio addictus tenetur in Suffragio de omnibus Sanctis exprimere nomen Sancti Titularis propriae Ecclesiae,[8] dummodo Titulus non sit Persona divina vel Mysterium Domini, aut de ipso factum non fuerit Officium vel Commemoratio, aut illius nomen non sit in Suffragio expressum; ac nomina Sanctorum Angelorum et S. Joannis Bapt., si Titulares fuerint, praeponuntur nomini S. Joseph. In hisce autem omnibus casibus omittuntur verba *atque beato N.*

[4] D. 5. Jun. 1899, n. 4025.—Capella principalis Seminariorum solemniter benedicta cum speciali titulo, gaudet privilegiis, quae competunt Sanctis vel Mysteriis titularibus cujusvis Ecclesiae sive Oratorii publici solemniter benedicti, ut in Oratione *A cunctis* et in Suffragio Sanctorum ad Laudes et ad Vesperas Titularis nominetur. D. 14. Mar. 1903, n. 4110.

[5] D. 2002.5; et 2849.

[6] D. 25. Aug. 1882, n. 3554; et 27. Febr. 1883, n. 3571 ad 2.

[7] Nov. Rubr. IX. 3; et D. 28. Feb. 1914.

[8] Regulares addunt etiam nomen proprii Fundatoris.

Si vero Officium vel Commemoratio fuerit de B. Maria V., tunc dicitur Suffragium alterum (ut in novo Breviario), in quo, si Titularis ante omnes nominandus fuerit, particula *cum* omittitur ante nomen SS. Petri et Pauli ac praeponitur nomini S. Joseph.

249. Officium Patroni vel Titularis, sin proprio loco habeatur, sumitur de Communi juxta qualitatem Sancti. Lectiones 1 Nocturni in festo non leguntur de Scriptura, sed de Communi. Si duae sint Orationes sumitur prima vel secunda, prout lectiones 3 Nocturni ex 1 vel 2 loco sumuntur, ut una eademque Missa officio quoad Orationem et Evangelium correspondeat.[1]

2. "Si Patronus loci praecipuus aut Titulus Ecclesiae" aut alius Sanctus sub ritu duplici 1. vel 2. cl. alicubi celebrandus," qui est vel loci Patronus secundarius, vel Sanctus in Martyrologio vel in ejus Appendice approbata descriptus, cujus habetur corpus vel aliqua insignis reliquia, vel Sanctus, qui ad Ecclesiam, vel locum, vel personarum coetum speciales habeat relationes, "descriptus sit in Kalendario cum aliis Sanctis, quibus est ex natura sua conjunctus, scilicet quando inter eos necessaria consanguinitatis aut affinitatis ratio intercedit, non est a Sociis separandus. Si vero illis conjunctus sit ex occasione tantum, quia scilicet eadem die obierint, tunc a Sociis separatur, et de eo agitur Festum sub ritu competenti. Quod si Socii sint cum eo descripti in Kalendario sub ritu pariter Duplici 1. vel 2. classis, tunc Socii in proxima die non impedita reponuntur juxta Rubricas sub rita, quo in Kalendario inscribuntur; si vero inscripti fuerint sub alio quovis ritu, de eis fit aut omittitur Commemoratio, juxta superiores Rubricas, in Officio ipso de Patrono aut alio Sancto proprio, ut supra."

"Si Patronus secundarius, vel alius Sanctus proprius, ut supra, qui sub ritu duplici, majori, vel minori aut semiduplici celebrari debeat, pariter cum Sociis descriptus sit in Kalendario sub ritu simplici, de eo fit Festum ritu competenti, et de Sociis fit tantum Commemoratio juxta Rubricas. Si tamen intra eos necessaria consanguinitatis aut affinitatis

[1] De Herdt, II. 246.

ratio intercedat, vel etiam si eodem loco, eodem tempore, eadem de causa vitam obierint, Patronus aut alius Sanctus proprius a Sociis non separatur, sed de omnibus simul celebratur Festum sub ritu qui Patrono aut Sancto proprio competat. Quod item fit, si omnes qualibet de causa simul in Kalendario descripti sint sub ritu duplici majori vel minori aut semiduplici. In his tamen casibus Patroni vel Sancti proprii nomen et gesta, quae sejuncta sint, in Oratione et Lectionibus II Nocturni nomini et gestis Sociorum praeferuntur."[2]

3. Infra octavam, si aliud festum duplex majus aut minus vel semiduplex vel Dominica occurrat, fit commemoratio octavae in Laudibus, Missa et Vesperis (semper ex 2. Vesp.). Si festum 9 lectionum non occurrat, fit de die infra octavam. De die octava fit officium juxta regulas occurrentiae.

4. Si festum Titularis Ecclesiae proprio die ex Rubricarum praescripto celebrari non possit, vel sit extraordinarius concursus populi ad celebrandum festum [aliud], quod, licet eo die occurrat, in officio tamen et Missa transferri debet, potest cantari Missa de Titulari vel isto festo uti votiva solemnis cum unica Oratione et Evangelio S. Joannis in fine; "excepta Dominica I. Adv., fer. IV. Cin., Dom. I. Quad., Dom. Pass., Dom. Pal. cum tota Hebdomada majori, Dom. Resur. cum sequenti biduo, Dom. in Alb. Dom. Pent. cum duabus sequent. feriis, Dom. Ssmae Trinitatis, die Nativ. Domini, Epiphaniae, Ascensionis et festo Corporis Christi;"[3] et "exceptis festis SS. Apost. Petri et Pauli, Assumptionis B. M. V., Omnium Sanctorum, Titularis,[4] S. Joannis Baptistae et Dedicationis propriae Ecclesiae;"[5] in quibus diebus sumitur Missa diei, et non licet collectam seu commemorationem festi, quod transfertur, adjungere.[6] Missa vero conventualis de die omitti nequit in Ecclesiis ubi est obligatio chori.

5. In Ecclesiis et Oratoriis publicis saltem benedictis, quibus nullus Clerus adscriptus est, de Titulari in ejus festo Missa cantari potest sub ritu dupl. 1ae classis cum *Gloria*, *Credo* et commemorationibus, quae in festis 1 cl. admittuntur (nihil de simpl., vigilia et die infra octavam communem), om-

[2] Novae Rubr. IX. 4.5.
[3] Rubr. Missal. p. 1, tit. 6.
[4] Ubi agitur de festo alio ob concursum populi.
[5] D. 2738.
[6] D. 3009. 2.

[redacted]

nibus diebus non tantum quibus permitteretur officium si fieri deberet, sed etiam, quibus Missam de Titulari juxta tit. VI. Rubr. gen. Missalis cantare licet.[7]

ART. II.

DE DEDICATIONE ECCLESIAE PROPRIAE.

250. De Dedicatione Ecclesiae fit sub ritu duplici primae classis cum octava: (*a*) in ipsa Dedicationis die, peracta hora minori Tertia; (*b*) in anniversario Dedicationis; Ecclesiae non consecratae seu tantum benedictae non fit Dedicatio.

2. Anniversarium Dedicationis celebrandum est in officio et Missa singulis annis die ipsa mensis, qua consecratio fuit peracta.

3. Anniversarium Dedicationis Ecclesiae ab omni Clero recolatur, qui ad eamdem Ecclesiam utpote propriam pertinet. Quod si alicui Dioecesi vel Instituto concessum sit Anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum uno eodemque die celebrare, omnes et singuli de relativo Clero, quibus Indultum favet, dictum Festum semel celebrabunt, dummodo Ecclesia propria consecrata fuerit, cujuscumque particularis alterius Ecclesiae Dedicationis Festo omisso praeter Ecclesiam Cathedralem. Hujusmodi vero festum in illis Ecclesiis, quae consecratae non sunt, celebrari nequit.[1]

4. De octava Dedicationis idem valet ut supra de festo Titulari n. 249. 3.

Duodecim Cruces, quae in Dedicatione Ecclesiae super parietes pinguntur vel inciduntur, omnino perpetuis futuris temporibus remanere debent in testimonium Consecrationis Ecclesiae; et si destructae fuerint, eaedem iterum depingendae sunt, omissa unctionis caeremonia.[2]

5. Cerei duodecim in Anniversario Ecclesiae consecratae accendi debent per integrum solum diem incipiendo a primis Vesperis; in die vero octava possunt, sed non debent cerei accendi.[3]

[7] D. 1228.
[1] D. 28. Oct. 1913, I. 1. f.
[2] D. 3157. 4.
[3] D. 13. Dec. 1895, n. 3876. 6 et 7.

ART. III.

DE DEDICATIONE ET TITULARI ECCLESIAE CATHEDRALIS.

251. Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis et Festum Titulare ejusdem celebranda sunt sub ritu duplici 1. classis cum Octava per totam Dioecesim ab universo Clero saeculari et etiam regulari Kalendarium Diocesanum adhibente; a Regularibus vero proprium Kalendarium habentibus absque Octava.[1]

2. Festa praedicta sunt semper primaria etiam extra ipsam Cathedralem et pro Regularibus;[2] ideoque in utroque Festo et per oct. ubique dicitur Credo.

3. Quatuor festa, scl. Dedicatio Basilicae Ss. Salvatoris, S. Mariae ad Nives, S. Petri et S. Pauli extra moenia, quamvis non propria, sunt primaria, "in venerationem quatuor Basilicarum, quae Urbis quidem sed et Orbis quoque maximo jure sunt."

ART. IV.

DE FESTIS, QUORUM SOLEMNITAS IN DOMINICA CELEBRATUR.

252. Ubi ex indulto Apostolico[1] festa Epiphaniae Domini et SS. Apostolorum Petri et Pauli in Dominica proxime occurrente celebrabuntur, solae solemnitates praefatorum festorum differendae sunt sicuti statutum est de festis SS. Corporis Christi et SS. Patronorum cujuslibet Dioecesis et Paro-

[1] Nov. Rubr. IX. 2.

[2] Ibid. IX. 1; et D. 16. Feb. 1910, n. 4249. 2. et 3.

[1] Nempe ex indulto a Cardinali Caprara 9. Apr. 1802, et 1 Jul. 1804 declarato, quod quidem indultum S. R. C. die 2. Dec. 1891 declarare et definire opportunum esse duxit "pro omnium Ecclesiarum utilitate, quibus indultum favet."

Pro Dioecesibus Statuum Foederatorum Americae Sept. "ad *festum SS. Apostolorum Petri et Pauli*, quod spectet S. Sedes indulsit quod ejusdem festi solemnitas in diem Dominicam proxime sequentem transferatur, ut habetur in literis S. Congr. de Prop. Fide ad Archiepiscopum Baltimorensem diei 19. Decembris, 1840." [Vid. Coll. Lacens. III p. 77 c.] Acta et Decr. Conc. Plen. Balt. III. p. CV.

[redacted]

chiae.[2] "Pro solemnitate, quae transfertur, nonnisi unica Missa intelligitur, more votivo canenda, ut in Festo, cum *Gloria,* una tantum Oratione, *Credo* et Evangelio S. Joannis in fine: ubi tamen non adsit Missae Conventualis obligatio, addatur sola commemoratio Dominicae sub distincta conclusione, ejusque Evangelium in fine."[3]

2. Officium vero tam publice quam privatim et reliquae Missae in tali Dominica non sunt de solemnitate translata, sed juxta consuetum ordinem; Vesperae tamen solemnes cantari possunt de festo translato, dummodo non omittantur Vesperae Officii currentis, ubi adest obligatio.[4]

3. Solemnitas transfertur non tantum in Ecclesiis parochialibus, sed etiam in Oratoriis publicis, in quibus Missa cantari solet, sive ad Saecularem sive ad Regularem Clerum illae pertineant.[5]

Transferenda est solemnitas, quamvis in ipso festo fiat.

4. Transferri nequit solemnitas in Dominicam proximam, si haec sit Dominica privilegiata 1ae classis, Vigilia Nativitatis, Festo Circumcisionis, Die Octava Epiphaniae, vel etiam festo altioris ritus aut dignitatis impedita In hoc casu solemnitas et Missa votiva transfertur in Dominicam proximam non similiter impeditam. Transferri potest in Dominicam, in qua occurrit festum dupl. 2ae classis, vel etiam festum 1ae classis, at minus dignum quam festum solemnitatis translatae. Si festum et solemnitas transferenda sint aequalis dignitatis, festum celebratur et solemnitas transfertur in proximiorem Dominicam non impeditam.[6]

5. Si Festum, cujus esset transferenda solemnitas, incidat in ipsam Dominicam 1ae classis privilegiatam (Dominica Pal-

[2] D. 2. Jul 1911, n. 4272. 1. 3. Non vero Titularis tantum Ecclesiae, nisi adsit speciale privilegium. Hoc indultum Leo XIII. pro quibuscumque Statuum Foederatorum ecclesiis concessit die 3. Febr. 1903. (Eccl Review, XXVIII. 4. p 457.)

[3] D 2. Dec 1891, n. 3754 2 Hoc decretum in hisce regionibus, ubi obligatio Missae conventualis non adest, ita intelligendum videtur: In Ecclesiis, in quibus plures dicuntur Missae, solemnior cantatur de festo translato ad instar Missae votivae solemnis, absque commemoratione Dominicae, cum ult. Evang. Sti. Joannis: in Ecclesiis, in quibus unica Missa celebratur, haec est de festo translato, sed addita sola commemoratione Dominicae, cujus Evangelium in fine.

[4] D. 3441.

[5] D. 2 Dec. 1891, n 3754. 7.

[6] Ibidem, 4 et 5.

marum excepta), tunc cantabitur Missa de Dominica et illius primae Orationi adjungetur, sub unica conclusione, occurrentis Festi commemoratio; et de solemnitate nihil amplius fit.

Si vero incidat in Dominicam Palmarum aut in Festum aliquod ex solemnioribus universalis Ecclesiae, nulla de eo commemoratio fiat, neque transferatur solemnitas, sed officium tantum juxta Rubricas.[7]

6. Si duae solemnitates translatae in eamdem Dominicam incidant, fiat de solemnitate digniori; et minus digna transferatur in Dominicam proximiorem non impeditam.[8]

7. "Ubi Solemnitas externa Festorum, quae hucusque alicui Dominicae perpetuo affixa erant, in ipsa Dominica celebratur, de Solemnitate Festi Duplicis 1. classis permittuntur Missae omnes praeter Conventualem et Parochialem, semper de Officio diei dicendas; de Solemnitate vero Festi Duplicis 2. classis permittitur tantum unica Missa solemnis vel lecta. Excipitur Solemnitas externa Ssmi Rosarii, quae Dominica 1. Octobris celebrari poterit cum omnibus Missis praeter Conventualem et Parochialem de Ssmo Rosario, ut supra dictum est de Duplicibus 1. classis."

8. "Omnes Missae de his Solemnitatibus in Dominica celebratis semper dicantur ut in ipso Festo, de quo agitur Solemnitas, addita Oratione de Officio diei et omnibus aliis, quae dicendae essent, si Festum ipsa Dominica incidisset. Prohibentur tamen in omnibus Dominicis, majoribus et in aliis Dominicis, in quibus fiat Officium nobilius ipso Festo cujus Solemnitas externa peragitur; sed in casu, praeterquam in Duplicibus 1. classis Domini Ecclesiae universalis, in omnibus Missis, quae alioquin de Solemnitate externe celebrata permitterentur, addatur ejus Oratio sub unica conclusione cum prima. Ubi tamen adest obligatio Missae Conventualis, non permittitur in casu alia Missa solemnis, sed Oratio de Festo externe tantum celebrato addi poterit, uti supra, in ipsa Missa Conventuali."[9]

9. *Indulgentiae* festis annexae "*translatae* intelligantur pro eo die quo festa hujusmodi vel quoad solemnitatam tantum et externam celebrationem (non tamen quoad officium et Missam) legitime transferuntur. Cum vero transfertur tantum

[7] D. 2. Dec. 1891, n. 3754. 3.
[8] Ibidem 6.
[9] D. 28. Oct. 1913, I. 2.

[redacted]

officium cum Missa, non autem solemnitas et exterior celebratio festi, indulgentiarum nullam fieri translationem decrevit."[10] Haec translatio tantum locum habet in festis quae *legitime* transferuntur, non vero in illis quae sine facultate Apostolica pro arbitrio rectoris Ecclesiae transferuntur.

Si festum alii diei assignetur, sive in perpetuum transferatur, indulgentia simul transfertur ad eamdem diem ad quam festum transfertur.[11]

ART. V.

DE OFFICIO RATIONE RELIQUIAE.

253. De Sancto, cujus Reliquia insignis adest, potest in ejus festo recitari officium et celebrari Missa cum *Gloria* et *Credo* sub ritu duplici in illa Ecclesia ubi asservatur. In hunc finem requiritur: (*a*) ut Reliquia sit insignis; (*b*) ut sit Sancti canonizati et in Martyrologio Romano descripti; (*c*) ut constet de identitate.[1]

2. Reliquia insignis Sanctorum est corpus integrum aut magna pars ejusdem, ut caput, brachium (etiam sola anterior vel superior pars brachii), crus aut illa pars corporis, in qua passus est Martyr, uti maxilla S. Apolloniae, manus, pes, tibia etc. Cor, lingua, manus si ex miraculo intacta conserventur, uti reliquiae insignes haberi debent.[2]

3. De identitate constare debet, quod scilicet sit de corpore ipsiusmet Sancti, de quo ea die mentio in Martyrologio Romano habetur et non alterius ejusdem nominis; nec officium fieri potest de Sanctis vulgo "baptizatis," seu quorum nomina fuerunt mutuata ab aliis eo quod nomina propria ignorarentur.[3] De Reliquiae identitate moraliter certo constare debet per approbationem et recognitionem a competente auctoritate factam. Reliquiae etiam a Romano Pontifice approbatae ab Episcopo loci Ordinario recognoscendae sunt, non ut denuo approbentur, sed ut certo constet, easdem Romae fuisse approbatas, nullaque sit dubitandi ratio de earumdem identi-

[10] S. C. Ind. Decr. Urbis et Orbis, 9 Aug. 1852.

[11] S. C. Ind. 12 Jan. 1878.

[1] D. 1334. 2 et 3; 1722; et 1853.

[2] D. 555; et 27. Jun. 1899, n 4041.

[3] D. 1670.

tate, integritate fidelique custodia.[4] Id vero necessarium non est pro Reliquiis, quas constat, saltem per testes idoneos, esse in antiqua, sexagenaria et ultra, itemque pacifica publici cultus possessione; vel si agatur de corporis parte in qua passus est Martyr, si constet ei suffragari veterem possessionem non modo cultus sed etiam Officii. At ubi Reliquia qualiscumque ab Ordinario vel a Praelato Regulari in actu visitationis suspenditur, statim ab officio et cultu cessandum est.[5]

4. De tali Sancto officium recitari potest a clericis illi Ecclesiae adscriptis sine alia licentia S. R. C. aut Ordinarii loci, modo Reliquia omnes conditiones habeat. Officium fit sub ritu duplici minori (nisi Sancto altior ritus aliunde debeatur) in die festo, i. e. in die obitus, nisi alius dies per Decretum Apostolicum, aut S. R. C. vel in Martyrologio Romano assignetur.

5. Quando Sanctus, cujus insignis Reliquia habetur, describitur in Kalendario cum aliis Sociis, quum tamen nulla inter eos necessaria consanguinitatis aut affinitatis intercesserit ratio, non est dicendum Officium de omnibus in communi, sed separatim.[6]

ART. VI.

DE OFFICIIS EXTRA DIOECESIM VEL MONASTERIUM RECITANDIS.

254. Episcopi, Canonici et alii choro obstricti, ac Beneficiarii (si istorum Beneficium pro titulo Ecclesiam habeat), semper tenentur ad officium propriae Ecclesiae etiamsi ex ea absint. Episcopus tamen potest, quando reperitur in aliquo suae Dioecesis loco, recitare officium Patroni seu Titularis, de quo ibidem recitatur; et Ecclesiam consecrans etiam in Dioecesi non sua officium Dedicationis recitare."[1]

2. Professores et alumni Seminarii sequi debent Kalendarium Ecclesiae ipsi Seminario adnexae, etiam si regitur a Regularibus speciale Kalendarium habentibus.[2]

3. Alii Sacerdotes et clerici saeculares ad Horas canonicas

[4] Gardellini in Decr. 4542, 18.
[5] De Carpo, Bibl. lit. II. 185. ex Decr. S. R. C.
[6] D. 20. Jun. 1899, n. 4037. 3.

[1] D. 827; 1599; 2390. 3; 2682. 46.
[2] D. 23. Nov. 1906, n. 4194. 8.

obligati, qui alibi domicilium figunt, aut pergunt animo figendi domicilium (aut etiam juxta quosdam, ibi manendi majori anni parte), tenentur sequi Kalendarium Dioecesis, ad quam divertunt, cum ejus subditi fiant.[3]

4. Si vero extra Dioecesim versentur animo ad propriam Dioecesim redeundi, possunt conformari officio loci, in quo morantur, sed non tenentur.[4] Melius autem suum officium retinent Parochi vel Viceparochi, qui Ecclesiae suae ligantur; vel ii, qui de loco ad locum peregrinantur; vel qui per breve tempus alibi morantur.

Mutatio fit ad Vesperas; officium enim juxta Matutinum recitatum continuandum est usque ad Vesperas.[5]

5. Sacerdotes saeculares sine indulto neque religiosorum officium assumere neque Horas juxta eorum ritum recitare valent, licet apud ipsos in eorum Monasteriis degant.[6] Clericus in Ordinibus Sacris constitutus, qui sponte vel invitatus se adjungit Clero, Officium ab Officio ipsius Clerici diversum recitanti, generaliter non satisfacit suae obligationi.[7] Juxta concessionem Pii IX. Clerus, qui exercitia spiritualia peragit sub directione Sacerdotum Societatis Jesu, officiis Kalendarii domus dictae Societatis uti potest.[8]

6. Regularis ex Ordine in quo divinum officium in choro recitatur, "in itinere sequi debet divini officii ordinem coenobii, ex quo discessit: dum pervenit, et manet in altero coenobio, etsi ad tempus, hujus ordinem officii sequatur."[9] Regulares, qui praedicationis vel ex alia rationabili causa per aliquot dies a suo Conventu absunt, sequi debent Officia Kalendarii Coenobii, apud quod hospitantur, si in Choro Breviarium recitent; si vero privatim, servare debent Kalendarium Coenobii, a quo discesserunt.[10]

7. Clerici saeculares III. Ordinis S. Francisci, nisi ad chorum in aliqua Ecclesia sint obligati, uti possunt Kalendario et Breviario Ordinis Minorum S. Francisci.

[3] D. 1445.
[4] D. 2682. 46.
[5] D. 1985. 3.
[6] D. 2917.
[7] D. 27. Jan. 1899, n. 4011. 3.
[8] D. 21 Mai. 1897, n. 3955.
[9] D. 2801. 1; et 3436. 2.
[10] D. 27. Jun. 1896, n. 3919. 13.

[redacted]

CAPUT IV.

DE MODO HORAS CANONICAS IN CHORO SINE SOLEMNITATE PERSOLVENDI

ART. I.

BREVIS CONSPECTUS PRO OFFICIALIBUS CHORI.[1]

255. Choristae in duas partes fere aequales distribuuntur; *Primus chorus* appellatur illa pars in qua est Hebdomadarius seu Officiator; *Secundus chorus* est altera choristarum pars. In utroque choro est acolythus: primus acolythus (cantor), qui ad primum chorum, secundus, qui ad secundum pertinet.

2. **Hebdomadarius** sequentia dicit: *Deus in adjutorium,* ad Matutinum *Domine labia,* ad Completorium *Adjutorium nostrum* et *Converte nos,* Preces (i. e. versus precum), *Confiteor,* Capitula, Absolutiones et Benedictiones (ad Matutinum, Primam et Completorium), Orationes cum *Dominus vobiscum* etc., *Benedicamus Domino, Fidelium animae, Dominus det nobis suam pacem* (voce media); inchoat *Pater noster,* quando alta voce dicendum *Et ne nos inducas,* i. e. in Matutino ante lectiones, in Precibus ad Primam et Completorium; in

[1] Brevis tantum conspectus hoc loco proponitur, etiam Sacerdotibus commendandus, qui sine obligatione chori, e. g. in exercitiis spiritualibus Horas simul recitant. Praesertim hoc casu attendatur, 1° ne unus chorus incipiat, antequam alter suam partem finierit, neve nimis festinetur;

2° Ut in singulis psalmorum versibus asteriscus observetur aliquali pausa;

3° Ne quis vocem prae caeteris elevet vel deprimat; quod quidem, si opportunum videatur, competit soli Hebdomadario vel acolytho inchoanti psalmos. (S. R. C. declaravit, "ad asteriscum in recitatione Horarum canonicarum pausam omnino servandam, non obstante quacumque in contrarium consuetudine." D. 3122. 2.)

Cfr. quoad hoc Cap. De Carpo, Caeremoniale juxta ritum Rom.

[redacted]

Precibus ferialibus ad Vesperas et Laudes "totum dicitur clara voce;" alias *Pater noster* dicitur totum secreto, etiam ante lectiones in Officio Defunctorum. Intonat *Te Deum,* antiphonam finalem B. M. V., et, ubi moris est, *Aperi Domine et Sacrosanctae.* Item, ubi talis usus viget, dicit tres lectiones tertii Nocturni vel nonam lectionem, dum dignior chori dicit Absolutionem et Benedictionem.

3. I. Acolythus seu Cantor	II. Acolythus seu Cantor
dicit: Invitatorium et Ps. *Venite,* choro Invitatorium repetente;	dicit: Invitatorium et Ps. *Venite* simul cum I. acolytho;
Antiphonam ante et post psalmum 1um, 3um, 5um, 7um etc. psalmumque inchoat.[1]	Antiphonam ante et post psalmum 2um, 4um, 6um (seu primum et tertium secundi Nocturni) 8um etc. psalmumque suum inchoat.[1]
Antiphonam cujusque parvae Horae et Completorii, et primum psalmum inchoat.[2]	
Versiculos in Vesperis, Matutino, Laudibus et ad commemorationes, antiphonam ad *Magnificat* et *Benedictus* eamque repetit.	Versiculos in Vesperis, Matutino, Laudibus et ad commemorationes.
Responsoria post lectiones I. et III. Nocturni alternatim cum secundo acolytho.[3]	Post lectiones I. et III. Nocturni Responsorio subjungit versum.
Post lectiones II. Nocturni Responsorio subjungit versum.	Responsoria post lectiones II. Nocturni alternatim cum primo acolytho.
Lectionem brevem (cum *Jube domne benedicere*) ad Primam et Completorium.	
Martyrologium.	
Responsoria post Capitulum in parvis Horis et Completorio, omnibus repetentibus.	Responsoria post Capitulum in parvis Horis et Completorio, simul cum primo acolytho.

Nota.—Si officium sit simplex, acolythi nihil unquam simul proferunt, sed Invitatorium, versiculi etc. a solo primo acolytho dicuntur.

[1] I. e. usque ad asteriscum vel primam pausam.

[2] Vel, ubi mos est, omnes choristae repetunt antiphonas Completorii, imo post quemlibet psalmum in reliquis quoque Horis.

[3] "Alicubi antiphonae et responsoria dicuntur quidem ordine supradicto, at non a solo acolytho, sed a tota sua parte." De Carpo.

4. Lectiones Matutini varie juxta consuetudinem distribuuntur, e. g. ita ut sit unus lector pro quoque Nocturno, vel ita ut singulae lectiones a singulis Lectoribus dicantur. "Lectiones I. Nocturni leguntur ab acolytho, secundi a Subdiacono, III. vero a Diacono." [4]

5. Chorus, sive primus sive secundus suo acolytho se adjungit, quando iste inchoavit psalmum. Plures psalmi sub una antiphona continuo recitantur cum *Gloria Patri* in fine cujusque psalmi. Hymni ex parte Hebdomadarii inchoantur.

ART. II.

DE CAEREMONIIS IN OFFICIO DIVINO SERVANDIS.

256. "Serventur Rubricae quoad tempus standi, sedendi, et genuflectendi in choro."[1] Sequentia praecipue ex Breviario Rom. et Caeremoniali Ep. desumpta sunt. In privata recitatione (etiam cum socio), laudabiliter, quamvis non de praecepto, servantur.

2. **Genuflectendum** est utroque genu in Ps. *Venite* ad verba *venite adoremus . . . ante Deum;* infra *Te Deum* ad *Te ergo quaesumus . . . redemisti;* ad stropham *Tantum ergo* et *O Salutaris Hostia* coram SS. Sacramento sive exposito sive in tabernaculo recondito; ad stropham *O Crux ave spes unica;* ad primam stropham hymni *Veni Creator* et *Ave Maris stella.* In his omnibus "ad integram stropham."[2]

3. Porro utrumque genu flectitur ad antiphonam finalem B. M. V. et ad *Pater, Ave, Credo* in fine Completorii, excepto toto tempore paschali et Dominicis a primis Vesperis, (Sabbato, etiamsi in Quadragesima ante meridiem persolvantur), usque ad crepusculum Vespertinum Dominicae, etiam, si anti solis occasum recitetur Matutinum sequentis feriae II.[3] Ad secundas Vesperas Dominicae standum est etiam post solis occasum. Hebdomadarius tamen ad Orationem semper surgit.[4] Genuflectitur quoque ad *Aperi Domine* et *Sacrosanc-*

[4] Caer. Fr. Min. Germ. inf. et Belg.

[1] D. 2687. 1.

[2] D. 1583. 7.

[3] Ratione diei Dominicae ob resurrectionem Domini.—Cf. D. 2587; et 2682. 42.

[4] Ibid.

tae, quae laudabiliter dicuntur. Ad indulgentiam pro Oratione postrema lucrandam requiritur genuflexio, solo infirmitatis vel gravioris impedimenti casu excepto.[5]

4. Praeterea utrumque genu flectendum est ad omnes Preces *feriales* (ad Laudes, parvas Horas, Vesperas, Completorium), in feriali officio Adventus, Quadragesimae, Quatuor Temporum Septembris et Vigiliarum (exceptis Vigiliis Nativitatis Domini, Epiphaniae, Ascensionis Domini et Pentecostes); Hebdomadarius manet genuflexus usque ad *Dominus vobiscum* exclusive ante Orationem, alii usque ad *Benedicamus Domino* post ultimam Orationem, nisi statim dicenda sit antiphona finalis B. M. V.

5. Porro genua flectuntur ad Preces in officio defunctorum et ad Litanias, solo Hebdomadario ad Orationes surgente. In Triduo sacro etiam Hebdomadarius manet genuflexus ad Orationem *Respice*. Genuflectunt ad Martyrologium in vigilia Nativitatis Domini ad verba *In Bethlehem Juda . . . secundum carnem*.

6. Unicum genu flectit ante Altare majus quicumque accedit ad legile vel ad medium chori ad aliquid legendum vel cantandum, vel qui ab una ad alteram chori partem transit.

7. Si per aliquod temporis spatium orandum sit flexis genibus in loco altiori quam locus est pedum, e. g. in genuflexorio, prius genu dextrum flectitur in plano, postea utrumque in altiori; ac similiter in eodem plano, cum discedendum sit, dextrum flectitur, etiamsi in plano oratum fuerit; quod intelligitur, dummodo locus genuflexionem exigat, alioquin enim ante et post orationem profunda inclinatio Cruci exhibetur. Item, cum quis in choro aliquid intonat, quod flexis genibus canendum sit, stans intonat, deinde genuflectit.

8. **Standum** est in choro,

(*a*) Ad *Pater*, *Ave* et *Credo*, tam ante, quam infra et post officium, praeterquam ad Preces feriales, preces in officio defunctorum necnon in fine Completorii, quando antiphona finalis dicitur flexis genibus.

(*b*) Standum est ab initio omnium Horarum usque ad inceptum primum versum primi psalmi (ad asteriscum vel pausam).

[5] S. C. Ind. 7 Jan. 1856, n. 654; et Nov. Psalterium.

(*c*) In fine omnium Horarum a finita antiphona ultimi psalmi, exceptis Precibus ferialibus et antiphona finali B. M. V. extra Dominicam et tempus paschale (ut supra ad 3), tunc enim genuflectitur; excepta quoque antiphona ad *Magnificat* et *Benedictus* (in officio cum cantu, si tempus permittat), et excepto Martyrologio; tunc enim sedetur.

(*d*) Standum est ad textum Evangelii ante homiliam, ad *Te Deum,* et laudabilius ad Symbolum *Quicunque.*

(*e*) Ad versus post psalmos Nocturnorum, ad absolutiones et ad primas benedictiones cujusque Nocturni. Hebdomadarius ad singulas benedictiones stare debet,[6] item lector recitans lectiones, acolythus solus (vel cum socio) recitans antiphonam etc.

9. **Sedetur:—**

(*a*) Infra psalmos ab incepto primo versu primi psalmi usque ad finitam antiphonam post ultimum psalmum; attamen quoties in officio cum cantu aliquis ex dignioribus surgit ad intonandam antiphonam, omnes de choro surgunt.[7] Laudabilis consuetudo, standi infra psalmos, saltem in officio sine cantu, retineri potest. Ad officium tamen defunctorum semper sedetur.[8]

(*b*) Ad lectiones et responsoria Matutini, excepto textu Evangelii, ad secundam et tertiam benedictionem lectionum et ad Martyrologium; exceptis semper iis qui soli recitant vel intonant; stant enim.

Coram exposito SS. Sacramento "conveniens esset, ut ob reverentiam tanti Sacramenti . . . omnes praesentes, durante officio starent semper capite detecto, et numquam sederent. Quod si ob longitudinem officii praestare non poterunt, non omittant saltem in signum reverentiae detecto capite, divinis officiis assistere."[9] Attamen "tolerari potest consuetudo, quod Clerus et populus dum SS. Sacramentum expositum manet, sedeant, secluso scandalo aut irreverentia."[10]

10. **Inclinatio** capitis profunda fit:

(*a*) Infra versum *Gloria Patri* usque ad *Sicut erat* exclu-

[6] D. 12. Jul. 1892, n. 3780. 10.

[7] Vide infra ad Vesperas solemnes.

[8] Sessio enim est symbolum quietis, et per sessionem innuitur, nos optare defunctis requiem sempiteram. (De Carpo.)

[9] Caer. Ep. II. 33, 33.

[10] D. 3408. 3.

sive, et quoties in fine hymnorum aut alias expresse nominantur tres Divinae Personae, nisi chorales jam sint genuflexi.

(*b*) Ad nomen *Jesu,* et (minus profunda) ad nomen *Mariae* vel Sancti, cujus fit officium vel specialis commemoratio.

(*c*) Ad verba *Sit nomen Domini benedictum* in psalmo *Laudate pueri;* ad *Benedicat* in fine Completorii; ad *Benedicamus Patrem* in Cantico *Trium puerorum;* ad *Sanctus* in hymno *Te Deum* inclinant non cantantes.

(*d*) Lector profunde se inclinat Hebdomadario ad verba *Jube domne benedicere,* donec benedictionem acceperit; et Altari inclinat ad *Tu autem Domine miserere nobis* in fine primae et secundae lectionis; in fine ultimae genuflectit, et postea choro inclinat. (Si Hebdomadarius lectionem recitat vel cantat, "dignior praesens in choro benedicere debet;"[11] solus Episcopus Dioecesanus vel Praelatus habens privilegium dicit: *Jube Domine* etc. et chorus absolute respondet: *Amen.*)

(*e*) Profunda corporis inclinatio facienda est infra *Confiteor* usque ad *Misereatur* inclusive; dicens: *Vobis fratres,* et *Vos fratres* Hebdomadarius ad utramque chori partem se vertit, similiter chorus dicens: *Tibi Pater* et *Te Pater* se vertit ad Hebdomadarium.

11. **Signum Crucis** manu faciendum est:

(*a*) Ad *Deus in adjutorium etc.* initio Horarum, non autem cum dicitur in psalmis et in precibus et ter ad Primam;

(*b*) Ad *Adjutorium nostrum* in Precibus ante *Confiteor,* (non autem post lectionem brevem ad Primam; ibi enim se signant immediate post ad *Dominus nos benedicat,*) et in fine Completorii ad *Benedicat et custodiat nos* cum dicitur *Pater et Filius* etc.;

(*c*) Ad *Indulgentiam* post *Confiteor;*

(*d*) Ad initia canticorum Evangelicorum *Magnificat, Benedictus* et *Nunc dimittis,* "juxta laudabilem communem praxim praesertim in alma Urbe servatam."[12]

(*e*) In festo Epiphaniae ad primam antiphonam *Afferte Domino;* et in ultimo triduo majoris Hebdomadae ad Matutinum, Laudes et Vesperas, dum prima antiphona inchoatur: ad reliquas vero Horas, dum inchoatur primus psalmus.[13]

[11] D. 1108.

[12] D. 3127; et 3156.

[13] Gavantus, Merati, De Carpo.

12. Signum Crucis pollice dextrae manus extensae faciendum est in ore ad *Domine labia,* et ex usu ad *Aperi Domine;* in pectore autem ad *Converte nos Deus* in Completorio juxta consuetudinem.[14]

APPENDIX.

DE PRIVATA RECITATIONE OFFICII DIVINI.

257. In privata recitatione nihil mutatur, excepto *Confiteor,* quod semel tantum recitatur[1] omittendo *Tibi Pater,* vel *Vobis Fratres,* et *Te Pater* vel *Vos Fratres,* et dicendo *Misereatur nostri . . . dimissis peccatis nostris, perducat nos.*

2. In recitatione inter plures *Confiteor* alternatim dicitur ut in choro.

Alternatim recitantur hymni, psalmi, responsoria etc. Lectiones dicuntur a singulis suo ordine. Convenit, ut unus vicem Hebdomadarii gerat. Recitantes se mutuo intelligibiliter audire debent, nec uni incipere licet, antequam alter integre absolverit.

[14] D. 3156.
[1] Hoc etiam valet, si duo Officium recitent. Nov. Psalterium.

CAPUT V.

DE VESPERIS SOLEMNIBUS.

ART. I.

PRAENOTANDA.

258. In festis solemnioribus Vesperae magis solemnes habentur cum *Assistentibus* seu *Pluvialistis,* sive sex, sive quatuor, sive duobus tantum. In Vesperis ordinariis Celebranti assistunt Caeremoniarius, thuriferarius, et duo acolythi seu ceroferarii.

Hoc loco prius exponuntur, quae in Vesperis ordinarie observanda sunt, ita tamen, ut parenthesi addantur, quae pro Vesperis solemnioribus notanda sunt.

2. *Praeparanda*: Super Altari sex cerei accensi;[1] ante scamnum Celebrantis (et duorum Pluvialistarum digniorum) in latere Epistolae legile majus, coopertum panno coloris officii; sedes pro Caeremoniario prope sedem Celebrantis; sedilia pro thuriferario et duobus ceroferariis prope credentiam vel "in medio sanctuario ad cancellos,"[2] vel in stallo inferiori chori; (duo vel quatuor sedilia panno viridi contecta sine postergali pro Pluvialistis seu "Presbyteris paratis"[3] in plano chori hinc inde ante Altare ipsum); pluvialia pro Celebrante et Pluvialistis seu Assistentibus, induenda super superpelliceo vel super rochetto, si ipsis competat.[4]

---

1 Ad Vesperas minus solemnes quatuor cerei sufficiunt. (Merati, De Herdt.)

2 Cerem. U. S.

3 Caer. Ep. II. 3.

4 "Quaeritur, utrum in Ecclesiis mere Parochialibus, ubi non adest obligatio Chori, Vesperae quae ad devotionem populi diebus Dominicis et Festivis cantantur, conformes esse debeant officio diei ut in Breviario, an desumi possint ex alio quolibet officio, ex. gr. de Ssmo Sacramento, vel de B. M. V. *Resp.* Licitum est in casu Vesperas de alio officio cantare; dummodo ii, qui ad Horas canonicas tenentur, privatim recitent illas de officio occurrente." D. 29. Dec. 1884, n. 3624. 12.

ART. II.

REGULAE COMMUNES PRO VESPERIS SOLEMNIBUS.

259. Omnes ad Altare accedunt ut pro Missa solemni, Celebrans et Pluvialistae tantum capite cooperto. Reliqui biretum si adhibeant utraque manu infra pectus tenent. Omnes genuflectunt intra *Aperi Domine.*

2. **Se signant** Cruce ad *Deus in adjutorium* et ad *Magnificat,* [*Benedictus* in Laudibus, pro quibus eaedem regulae].

3. **Inclinant** omnes, capite detecto, ad *Gloria Patri,* ad V. *Sit nomen Domini benedictum*[1] in psalmo *Laudate pueri,* ad nomina *Jesu, Mariae* et Sancti cujus fit officium vel specialis commemoratio, ad doxologiam in ultima stropha hymnorum; at fieri non debet inclinatio, quando Clerus est genuflexus.

4. **Genuflectunt** omnes, in suis locis ad primam stropham *Veni Creator* et *Ave Maris stella,* (quam Celebrans stans intonat), ad stropham *Tantum ergo* in hymno *Pange lingua,* dummodo Sanctissimum sit in Altari sive expositum sive clausum in tabernaculo; ad stropham *O Crux ave;* tandem ad antiphonam finalem B. M. V. extra tempus paschale, exceptis diebus Dominicis a primis Vesperis (etiam in Quadragesima) usque ad Vesperas secundas inclusive, Hebdomadario tamen ad Orationem surgente.

5. **Sedent** post intonationem primi psalmi (ad asteriscum) usque ad antiphonam quinti psalmi repetitam; item intra antiphonam ante *Magnificat* (in dupl.), et post (si tempus sufficiat). Quando vero dignior antiphonam intonat, omnes debent surgere praeter Hebdomadarium paratum et ejus Assistentes[2] "nisi adsit consuetudo, ut una pars tantum assurgat."[3]

Sedentes biretum capiti imponunt; deponunt ad reverentias, et antequam surgant.

[1] Ubi mos est (sicut etiam ad *Sanctum et terribile* in Ps. 110.); Caeremoniale hac de re nihil praescribit.

[2] Caer. Ep. I. 18.

[3] D. 3110. 2.

[redacted]

ART. III.

DE CELEBRANTE IN VESPERIS SOLEMNIBUS.

260. Celebrans seu Officiator indutus superpelliceo et pluviali coloris officii (i. e. de quo Vesperae integrae vel a Capitulo), sed sine stola,[1] accedit ad Altare, ubi capite detecto, (biretum tradens Caeremoniario,) genuflectit in plano, vel si Sanctissimum non adsit in tabernaculo, inclinat ad Crucem; deinde genuflectens in infimo gradu secreto dicit *Aperi Domine.*

2. Surgit, repetit reverentiam ad Sanctissimum vel ad Crucem, salutat chorum,[2] (si adsit ante Altare,) prius ex parte ubi adest dignior[3] deinde ex altera parte, et accedit ad sedem suam.

3. Ibi stans secreto recitat *Pater* et *Ave,* cantat *Deus in adjutorium* etc., se signando.

4. Celebrans ipse intonat stando primam antiphonam, hymnum et antiphonam ad *Magnificat.* Ceterae antiphonae a clericis, seu dignioribus chori, si sint periti, intonandae sunt.

5. Celebrans cantat Capitulum junctis manibus. Ad intonationem *Magnificat* se signat et accedit ad Altare;[4] salutat chorum, ante infimum gradum[5] "genuflectit," (vel Cruci inclinat), et ascendit ad Altare illudque in medio osculatur.

6. Deinde, incenso ibi imposito, Altare incensat, ut in Missa solemni ante Introitum, recitans *Magnificat* juxta laudabilem consuetudinem. Reddito thuribulo ad medium revertitur, descendit, genuflectit in plano (vel inclinat), ut antea, et salutato choro, revertitur ad sedem, ubi incensatur.

7. Postea junctis manibus cantat Orationem unam vel plures. Cantato per Cantores *Benedicamus Domino,* remis-

[1] Licet induere stolam sub pluviali ante Vesperas, si expositio, et benedictio Ss. Sacramenti immediate illas sequatur. D. 27. Maj. 1911, n. 4269. 12.

[2] Non vero pueros inservientes.

[3] D. 3059. 25.

[4] Omittit incensationem, si pluviali non sit indutus; *cf.* D. 5 Febr. 1895, 3844. 2.—Incensatio fit ad Vesperas (*Magnificat*) et Laudes (*Benedictus*), quia respondent sacrificio V. T. vespertino et matutino.

[5] Caer. Ep. II. 3, 10.

siori voce subjungit *Fidelium animae* etc. (non se signans), et secreto *Pater noster.*

8. Si Completorium non sequatur, Celebrans manens suo loco,[6] mediocri voce subjungit *Dominus det nobis suam pacem* etc. et "incipit antiphonam B. Mariae stans ibidem seu genuflectens," postea dicit versiculum; deinde (stando semper) Orationem et *Divinum auxilium* etc.[7]

ART. IV.

DE CAEREMONIARIO IN VESPERIS SOLEMNIBUS.

261. Caeremoniarius superpelliceo indutus post ceroferarios praecedit etc. ut ad Missam solemnem; genuflectens a dextris Celebrantis (seu ultimi Assistentis, si adsint,) dicit *Aperi Domine* etc. Iterata genuflexione in plano cum reliquis salutat chorum, assistit Celebranti (si non adsint Assistentes), levando dexteram pluvialis fimbriam, quando Celebrans se signet, accipiendo et reddendo biretum, quando opus sit.

2. Intra psalmos sedet in proprio scabello prope Celebrantem a dextris, vel ubi magis opportunum sit. Inclinationes faciendas indicat surgendo et inclinando versus Celebrantem et statim ad Altare; adducit Cantores (vel Pluvialistas), ad praeintonandas antiphonas, ad Celebrantem et digniores, invitat acolythos etc. ad accedendum suo tempore.

3. Ad *Magnificat* comitatur Celebrantem ad Altare, et, sin adsint Pluvialistae, ei assistit (consuetis osculis) in imponendo thure et in Altaris incensatione, elevans dextram pluvialis fimbriam. Post Altaris incensationem in cornu Epistolae thuribulum reddit thuriferario. (Si Pluvialistae assistant, interim stat in plano lateris Epistolae.) Postea Celebrantem comitatur ad sedem, cum ipso salutans chorum ex parte Evangelii et Epistolae. Celebrantem triplici ductu incensat, (sin adsint Pluvialistae), ipseque incensatur post Clerum. Assistit Celebranti ad librum, vertens folia, etc. In fine omnes reducit, uti venerant.

6 Caer. Ep. II. 3, 15; Martinucci, De Carpo etc.

7 "In Ecclesiis, ubi non adest stricta obligatio chori, laudabiliter dicitur antiphona finalis B. M. V. in fine Vesperarum." D. 18. Maj. 1883, n. 3574. 1.

ART. V.

DE THURIFERARIO IN VESPERIS SOLEMNIBUS.

262. Thuriferarius egrediens e sacristia sequitur acolythos; (praecedit si thuribulum ferat;) ad Altare genuflectit retro post Celebrantem. Deinde debitis cum reverentiis accedit ad locum suum prope credentiam, vel post Celebrantem, vel ad alium locum convenientem.

2. Hymno intonato vel circa finem ultimi psalmi, factis Altari, Celebranti et choro reverentiis, pergit ad sacristiam, et cum thuribulo et navicula revertitur, dum canitur antiphona ad *Magnificat:* et se sistit apud Altare e cornu Epistolae. Cum Celebrans ad Altare ascendit, thuriferarius illuc a latere ascendit,[1] naviculam tradit Caeremoniario (vel Assistenti), thuribulum sustinet ante Celebrantem donec incensum impositum *et* benedictum fuerit; tunc tradit thuribulum Caeremoniario (vel Pluvialistae), et reposita navicula super credentiam accedit ad sinistram Celebrantis, ubi facta genuflexione assistit Celebranti incensanti; si vero adsint Pluvialistae, remanet prope credentiam. Incensatione peracta thuribulum a Caeremoniario in Altaris cornu Epistolae recipit.

3. Quando Celebrans ad sedem reversus est, Caeremoniario (vel primo Pluvialistae) thuribulum porrigit stans ab ejus sinistris (vel a dextris Pluvialistae, elevans fimbriam pluvialis), inclinans ante et post incensationem. (Deficiente Caeremoniario et Pluvialista, thuriferarius Celebrantem incensat.)

4. Deinde, si nulli vel duo tantum adsint Pluvialistae, thuriferarius incensat chorum eodem ordine ut Diaconus in Missa solemni.[2] Postea incensat duos Pluvialistas (duplici ductu), Caeremoniarium, acolythos, (nisi in choro cum reliquis fuerint incensati,) singulis ductibus, et populum triplici ductu, inclinans ante et post. Ad *Gloria Patri* inclinat versus Altare. Si autem ante repetitionem antiphonae integrae incensationem non perfecerit, omnino cessare debet.—Tandem thuribulum in

[1] "Facta genuflexione ante gradus" (Cerem. U. S.) vel "in suppedaneo ante et post impositionem incensi" (De Herdt) vel "nullam faciens genuflexionem" (Martinucci).

[2] V. n. 87, adn. 1.

sacristia deponit; et si benedictio Sanctissimi sequatur, post *Divinum auxilium* revertitur in Sanctuarium cum ferentibus intortitia.

5. Si assistant quatuor vel sex Pluvialistae, primus incensat Celebrantem, deinde ultimus (quartus vel sextus), comitante thuriferario, incensat chorum, ut Diaconus in Missa solemni, deinde reliquos Pluvialistas. Tunc thuribulum reddit thuriferario, a quo ipse duplici ductu incensatur, et qui deinceps incensat Caeremoniarium, acolythos et populum ut supra.[3]

ART. VI.

DE ACOLYTHIS SEU CEROFERARIIS IN VESPERIS SOLEMNIBUS.

263. "Praecedunt duo acolythi deferentes candelabra cum candelis accensis" etc. uti ad Missam solemnem, et subsistunt fere ad angulum infimi gradus Altaris, vel si locus sit arctior retro post Assistentes, genuflectunt simul cum Celebrante, non antea, deponunt candelabra in pavimento aut super gradus in lateribus; extinguunt suas candelas (nisi Sanctissimum sit expositum); deinde simul cum Celebrante salutantes chorum ad sedes suas accedunt,[1] ubi in stando, sedendo etc. se choro accommodant.

2. Intra quintum psalmum, salutato Celebrante et choro, accedunt ad Altare, candelas suas accendunt, et, dum repetitur antiphona, coibunt in medium ante Altare, genuflectunt (simul cum Pluvialistis si adsint), et ad Celebrantem accedunt debitis cum reverentiis, et hinc inde facie ad invicem conversa ante eum assistunt usque ad intonationem hymni; si infra primam stropham sit genuflectendum, stant ibi usque ad finem strophae.

Tunc coibunt rursus ante Celebrantem, salutant eum et candelabra sua in priori loco reponunt remanentque prope ipsum Altare.

[3] Cfr. Caer. Ep. II. 3, 2, Martinucci I. 9, 37 et II. 2, 49; De Herdt, Praxis Pontif. II. 47. Juxta De Carpo Pluvialistae incensantur ante chorum.

[1] Ibi bireta jam antea sunt deposita, si ipsis utantur.

3. Post *Magnificat,* dum cantatur *Sicut erat* vel antiphona repetitur, iterum ad Celebrantem accedunt ut antea, eique assistunt usque ad *Dominus vobiscum* post ultimam Orationem inclusive. Tunc ut supra redeunt in medium ante Altare et genuflexione facta ibi stabunt usque ad finem Vesperarum.

Si benedictio Sanctissimi danda sit, candelas Altaris infra antiphonam B. M. V. accendunt.

ART. VII.

DE DUOBUS CANTORIBUS IN VESPERIS SOLEMNIBUS.

264. "Duo Cantores, cottis induti, intonant psalmos in medio chori."[1]

Procedunt e sacristia nudo capite post Caeremoniarium ante Assistentes paratos. Ante Altare retro post Celebrantem flectunt unicum genu, et statim accedunt ad loca sua, nempe in inferioribus subselliis chori ab utraque parte, vel in medio chori.

2. Ad intonandos psalmos et *Magnificat* ad medium chori accedunt ibique se jungunt cum debitis reverentiis Altari, choro etc.; intonatione facta cum debitis reverentiis ad loca sua recedunt. Si Cantores in medio chori sedeant, ibidem sine reverentiis faciendis psalmos intonant.[2] Si nulli vel duo tantum adsint Pluvialistae, Cantores in medio chori etiam cantant versum in fine hymni, incipiunt antiphonas ad commemorationes in omni casu, earum versum cantant et *Benedicamus Domino.*

3. Si antiphonas praeintonare debent, non in medium chori nec bini accedunt, sed singulus Cantor eas praeintonat a sua parte, incipiendo a dignioribus hoc modo: facta Altari genuflexione, ducente Caeremoniario accedit ad digniorem, qui intonaturus est, illi caput inclinat, et submissa sed intelligibili voce praecinit antiphonam, i. e. priora verba, quibus ab illo repetitis, facta reverentia, Cantor comite Caeremoniario ad

[1] Non vero Pluvialistae, etiamsi quatuor vel sex adsint.—Cfr. Schober, M. S. et P., pag. 343, adn. 7.

[2] De Herdt, Prax. Pontif. II. 57.

locum suum redit, faciens iterum Altari genuflexionem. Antiphonae cantum prosequitur chorus.[3]

4. Si duo Pluvialistae adsunt, prima antiphona, hymnus et antiphona ad *Magnificat* a primo Pluvialista Celebranti praeintonatur, reliquae antiphonae a cantoribus praeintonantur; si quatuor vel sex Pluvialistae adsint, reliquae quatuor psalmorum antiphonae ab ultimo (quarto vel sexto) Pluvialista praeintonantur.

ART. VIII.

DE PLUVIALISTIS SEU ASSISTENTIBUS IN VESPERIS SOLEMNIBUS.[1]

265. Procedunt "Presbyteri pluvialibus parati bini et bini, et ultimo loco Celebrans, pluviali indutus medius inter duos ex dictis Presbyteris; qui fimbrias anteriores pluvialis ipsius parumper elevant; parati vero procedunt manibus junctis et cooperto capite."[2]

2. Ante Altare, capite detecto, genuflectunt in plano, vel si Sanctissimum in tabernaculo non adsit, inclinant ad Crucem, et genuflectentes a lateribus Celebrantis in infimo gradu recitant *Aperi Domine.* Postea surgunt et repetita reverentia ad Altare salutant chorum, prius a parte in qua stat dignior, comitantur Celebrantem ad sedem ibique stant, duo priores a lateribus ejus, reliqui ante eum faciebus ad invicem conversis, ita ut nec Altari nec Celebranti terga directe vertant. Quando primus Assistens antiphonam praeintonaverit eamque Celebrans intonaverit, iterum Celebrantem salutant et comitante Caeremoniario accedunt ad sedes suas, quae in presbyterio ante Altare hoc ordine ponuntur:

VI.	IV.	III.	V.
PLUVIALISTA.	PLUVIALISTA.	PLUVIALISTA.	PLUVIALISTA

Duo priores Pluvialistae sedent a lateribus Celebrantis in cornu Epistolae.

[3] Si post psalmos antiphona per Organum resumitur, omnes interim illam submissa voce repetere debent.


[1] "In Vesperis non adhibetur neque Diaconus neque Subdiaconus" cum Dalmatica et Tunicella. D. 1194; et 8. Jun. 1911, n. 4271. 3.

[2] Caer. Ep. II. 3, 1.

[redacted]

3. Praeintonatio fit a primo Pluvialista pro Celebrante et a quarto (sexto) pro dignioribus de choro (si sint periti), uti exponitur supra pro Cantoribus (n. 3 et 4).

4. Quando antiphona post ultimum psalmum repetitur, Pluvialistae simul cum acolythis genuflectunt ante medium Altaris, accedunt ad Celebrantem, eumque salutant et assistunt sequenti ordine infra Capitulum, faciebus ad invicem conversis:



Post intonationem hymni salutant Celebrantem et, facta reverentia ante medium Altaris, ad loca sua redeunt.

5. Ad intonationem cantici *Magnificat* cum Celebrante, salutato choro, accedunt ad Altare, genuflectunt in plano (resp. Cruci inclinant). Duo priores Celebranti ad impositionem incensi et ad incensationem Altaris assistunt, elevantes fimbrias pluvialis etc.; reliqui in plano ante Altare permanent. Incensatione peracta, cum Celebrante in plano reverentiam ad Altare repetunt, cum ipso chorum salutant, et consistunt ante Celebrantem, donec ipse a primo Pluvialista incensatus fuerit. Tunc, salutato Celebrante, ad loca sua redeunt.

6. Primus Pluvialista incensat Celebrantem; deinde, si quatuor vel sex Pluvialistae adsint, ultimus (alias thuriferarius) incensat chorum, ut Diaconus in Missa solemni (n. 87, adn. 1).

7. Infra antiphonam post *Magnificat* Pluvialistae cum Ceroferariis accedunt ad Celebrantem, uti ad Capitulum (n. 4), et consistunt infra Orationem seu Orationes usque ad antiphonam finalem B. M. V. inclusive; juxta alios antiphonam illam recitant in locis suis.

8. Si benedictio Sanctissimi immediate post Vesperas sit danda, non debet Assistens dignior pluviali tantum indutus deponere Ostensorium quin utatur stola, sed "vel duo Assistentes sumere debent dalmaticam et tunicellam [infra cantum antiphonae finalis], vel alius Sacerdos cum cotta et stola ponere

et deponere debet Ostensorium cum Sanctissimo Sacramento."[3]
In fine omnes redeunt uti venerant.

Laudes solemnes eodem modo celebrantur uti Vesperae solemnes.

ART. IX.

DE VESPERIS SOLEMNIBUS CORAM SS. SACRAMENTO EXPOSITO.

266. Si SS. Sacramentum ante Vesperas sit exponendum, (infra Octavam Corporis Christi) ad Altare modo consueto acceditur, sed convenit, ut acolythos sequantur saltem duo ferentes funalia, qui ante Altare retro post Assistentes genuflectunt.

2. Celebrans induitur amictu et stola super superpelliceo [si ante Vesperas fiat expositio et benedictio immediate illas sequatur][1] et pluviali; si alius Sacerdos assistit, stolam tantum in actuali ministerio expositionis adhibet. SS. Sacramentum modo consueto in throno collocatur, et a Celebrante, incenso sine benedictione et osculis imposito, triplici ductu incensatur.

3. Deinde recitatur *Aperi Domine*, et Celebrans, facta genuflexione unico genu[2] super infimum gradum sine incl., simul cum Assistentibus ad scamnum accedit. Acolythi relinquunt candelabra sua accensa hinc inde apud Altare; thuriferarius, et ferentes funalia in sacristiam ingrediuntur, postea cum iisdem accensis ad benedictionem SS. Sacramenti reversuri.

4. Si ante Vesperas SS. Sacramentum jam fuerit expositum, accedunt absque thuribulo et intortitiis; et simulatque in conspectum SS. Sacramenti advenerint, caput detegunt, et in plano ante Altare utrumque genuflectunt ac mediocriter se inclinant. (Quae quidem genuflexio cum inclinatione fa-

[3] D. 2528. 1.

[1] D. 3593. 2.

[2] "Celebr. et Pluvialistae unico genu super infimum gradum genufl., quando initio Officii ab altari ad scamnum abscedunt, quando ad altare accedunt pro incensat. inter cant. *Magnificat* et quando post incensationem ad scamnum revertuntur." Schober, l. c. Pag. 352.—Cfr. D. 2682. 49.

cienda est, quoties, SS. Sacramento exposito, ad Altare acceditur vel ab ipso receditur.)

5. Vesperae modo consueto fiunt. Sed coram SS. Sacramento omnes salutationes seu reverentiae, etiam ad Episcopum praesentem omittendae sunt;[3] item oscula manus etc. omittuntur. "Conveniens esset, ut omnes praesentes starent semper. . . . Quod si ob longitudinem Officii praestare non poterunt, non omittant saltem detecto capite assistere."[4]

6. Ad *Magnificat,* debitis genuflexionibus factis, Celebrans in suppedaneo se retrahens paululum ad latus Evangelii incensum imponit sine osculis, sed cum benedictione (quia etiam Altare est incensandum). Deinde sine genuflexione descendit in secundum gradum, et genuflexus in ora suppedanei SS. Sacramentum triplici ductu incensat, inclinans ante et post; deinde more solito Altare, non tamen Crucem, si adsit, incensat. Nec aliud Altare incensatur. Postea Celebrans, Clerus etc. incensantur modo consueto, sed cavendum, ne terga ad SS. Sacramentum vertantur.

7. Orationi non addenda est commemoratio de SS. Sacramento (nisi officium requirat), nec omittendus est v. *Fidelium animae.*[5]

ART. X.

DE VESPERIS ASSISTENTE EPISCOPO CELEBRATIS.

267. I. Episcopus (Dioecesanus) *cappa indutus,* si Vesperis assistat, facta oratione ante Altare, accedit ad sedem suam in latere Evangelii, medius inter duos "Diaconos assistentes," superpelliceo indutos. Celebrans, antequam Episcopus adsit, cum suis assistentibus etc. more solito ad Altare accedit, et se sistit apud scamnum a latere Epistolae; Episcopo advenienti se profunde inclinat, et Episcopo orante ante Altare, ipse cum suis Assistentibus genuflexus orat in loco suo. Si Celebrans accedat, postquam Episcopus in sede sua existat, in accessu se ei profunde inclinat, et ad Altare parumper orat et facta reverentia Episcopo, ad scamnum accedit.[1]

[3] D. 2928.
[4] Caer. Ep. II. 33. 33.
[5] D. 3086. 1.

[1] De Herdt, Prax. Pont. II. 32.

2. Celebrans ante *Deus in adjutorium* Episcopo se profunde inclinat, ad petendam licentiam incipiendi. Quandocunque ad Altare accedit vel ab eo recedit, se inclinat Episcopo. "Notandum Celebranti, Assistentibus ceterisque ministris, in his Vesperis praetermitti salutationem chori propter praesentiam Episcopi."[2]

3. Episcopus in sede sua stat aut sedet sicut chorus. Diaconi assistentes biretum ei porrigunt vel ab eo accipiunt. Ad antiphonam ante *Magnificat* Episcopus incensum imponit et benedicit, dum Presbyter assistens (superpelliceo, resp. rochetto indutus) naviculam osculis ministrat et thuriferarius genuflexus thuribulum praesentat. Incensato Altari Celebrans in cornu Epistolae, (ut ad Introitum Missae solemnis,) a primo Pluvialista duplici ductu, Episcopus a Presbytero assistente triplici ductu incensatur. Deinde Presbyter assistens et duo Diaconi assistentes et reliqui incensantur.

In fine post *Benedicamus Domino, Deo gratias* Episcopus solemnem dat benedictionem cum solita formula *Sit nomen Domini,* etc.

4. II. Episcopus potest adesse Vesperis ac si ipse officium perageret, nempe "amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola, *pluviali, et mitra paratus,*"[3] quibus paramentis ex Altari sumptis induitur per Diaconos assistentes, praeter annulum, qui imponitur ei per Presbyterum assistentem.[4] Incepto primo psalmo mitram assumit, eamque retinet usque ad Capitulum inclusive. Ad antiphonam ante et post *Magnificat* mitram assumit. Sub cantico *Magnificat* baculum tenet et incensatur capite aperto. Sub benedictione etiam mitram assumit, nisi sit Archiepiscopus.

ART. XI.

DE VESPERIS PONTIFICALIBUS.

Brevis Conspectus.

268. Vesperae Pontificales ab Episcopo celebrantur, uti numero praecedenti (4°), et supra pro Sacerdote celebrante

[2] De Herdt, Prax. Pont. II. 32.
[3] Caer. Ep. I. 15, 10.
[4] Ibid. II. 1, 4.

(Art. III.), cum assistentia quatuor vel sex Pluvialistarum (Art. VIII.) exponitur.

2. Excipe: (*a*) Diaconi assistentes induti sunt dalmaticis, Presbyter assistens pluviali; (*b*) "Subdiaconus seu alius[1] cantabit Capitulum,"[2] facie ad Episcopum versa in loco ubi cantatur Epistola; (*c*) Episcopus imposito incenso ad *Magnificat,* cum mitra et baculo ad Altare usque ad gradus accedit et sic recedit, atque incensatur in throno a Presbytero assistente. Baculum etiam tenet stans in throno capite aperto infra cant. *Magnificat;* (*d*) Antiphona B. M. V. non dicitur, sed, dicto per Chorum *Deo Gratias,* Episcopus, reassumpta Mitra [nisi sit Archiepisc.], stans in sede sua, vel ab Altari, solemnem dat benedictionem juxta solitam formam.[3]

1 "First chanter, in cope, or the subdeacon." Cerem. U. S.

2 Caer. Ep. II. 1, 11.

3 Ibid. II. 1, 18.

CAPUT VI.

DE OFFICIIS SOLEMNIBUS TENEBRARUM, ET DEFUNCTORUM.

ART. I.

DE OFFICIO SOLEMNI TENEBRARUM.

269. Praeparanda. In Altari sex cerei cerae communis seu flavi coloris accenduntur.[1] SS. Sacramentum, si ibi adsit, alio defertur.[2] "A latere Epistolae," ubi a Subdiacono solet cantari, "ponitur candelabrum triangulare accommodatum ad sustinendos quindecim cereos cerae communis."[3] Prope candelabrum aderit hasta cum exstinctorio. In medio choro ponitur legile.

2. **In functione.** Vespere fer. IV., V. et VI. majoris Hebdomadae Matutinum cum Laudibus cantatur ita ut ante solis occasum fere compleatur. Omnes in locis suis genuflexi recitare possunt *Aperi Domine.* Deinde stantes dicunt secreto *Pater, Ave* et *Credo.* Ad Officiatoris nutum cantores primam antiphonam cantant, sub qua (ut etiam initio omnium Horarum hujus tridui,) omnes se signant signo Crucis.[4] Tunc duo ex cantoribus psalmum intonant, et omnes sedent. Ad finem cujusque psalmi, (eo quod *Gloria Patri* omittitur,) fit quaedam inflexio vocis. Cantores repetunt antiphonas, et duo cantores intonant psalmos.

3. Finito quolibet psalmo, tam Nocturnorum quam Laudum, acolythus quidam exstinguit cereum in ima parte trianguli ad latus Evangelii, deinde cereum qui ad latus alterum situs est et ita porro praeter illum qui est in vertice.[5]

[1] Caer. Ep. II. 22, 4.
[2] Ita auctores.
[3] Caer. Ep. ib.
[4] Gavant. Merati, De Carpo.
[5] Caer. Ep. II. 22, 7.

[redacted]

4. Duo cantores versiculum cantant, et chorus respondet. Deinde ad *Pater noster* (totum secreto) omnes surgunt. Interim, invitante Caeremoniario, is qui cantat lamentationem, accedit ad legile, genuflectit simul cum Caeremoniario, (qui comitatur a sinistris), et salutant chorum. Salutationes chori omittuntur solummodo "in officio Feriae VI. ab adoratione Crucis usque ad Nonam Sabbati Sancti."[6] In fine, iterata ad Altare genuflexione et ad chorum reverentia, revertitur ad locum suum, comitante Caeremoniario. Chorus cantorum responsorium cantat. Ita porro pro reliquis lamentationibus et lectionibus, incipiendo a lectoribus junioribus.

5. Nocturnis continuo subjiciuntur *Laudes*. Ad primam antiphonam omnes se signant. Versiculus cantatur a duobus cantoribus. Ad intonationem cantici *Benedictus* omnes surgunt et se signant.

"Dum dicitur Versiculus *Ut sine timore* etc. Caeremoniarius seu aliquis Capellanus [seu acolythus] exstinguit singulatim ad quemlibet Versiculum singulos cereos Altaris, alternatim incipiendo a cornu Evangelii, et pariter omnia alia lumina si qua sunt per Ecclesiam, extinguuntur, praeterquam ante SS. Sacramentum. . . Cum repetitur Antiphona ad *Benedictus*, Caeremoniarius" [acolythus] "removet ex candelabro triangulari unicum cereum accensum in summitate trianguli positum eumque accensum, elevata manu, sustinet super cornu Epistolae Altaris, et cum inchoatur *Christus factus est pro nobis* etc. illum sic accensum abscondit retro Altare, vel alio modo,"[7] e. g. in laterna praeparata.

6. Cum incipitur *Christus factus est* etc. omnes genuflectunt, "postea chorus incipit sub silentio *Pater noster*, mox Ps. *Miserere mei Deus* etc. modulata, sed flebili voce."[8] Tunc Superior "genuflexus, ac capite aliquantulum inclinato recitat clara voce orationem *Respice, quaesumus* etc. usque ad *Qui tecum* exclusive, quod secrete complet."

"Qua Oratione finita, Caeremoniarius manu scabellum seu librum percutiens, per breve spatium, strepitum fragoremque facit, et a ceteris similiter fit, donec Caeremoniarius cereum praedictum accensum, qui fuerat absconditus, in medium proferat, quo prolato, omnes cessare debent a strepitu. Finito

6 D. 3059. 27.
7 Caer. Ep. II. 22, 11 etc.
8 Ibid.

strepitu omnes surgunt, et recedunt eodem modo et ordine quo venerant."[9]

Si totum Matutinum cantari nequeat, tunc cantetur saltem primum Nocturnum et *Benedictus*.[10]

In Officio Feriae IV. V. et VI. Majoris Hebdomadae cantus Lamentationum, Responsoriorum et Psalmi *Miserere* necnon reliquarum partium liturgicarum fieri nequit simul cum sono Organi aut aliorum instrumentorum.[11]

7. *Significatio ritus.* Hoc triduo mortis Christi celebramus exequias. Matutinum et Laudes etiam in choro praeter morem pridie sero recitantur, et absolvuntur ingredientibus jam tenebris, ut repraesentetur occasus solis justitiae; itemque ut spirituales significentur gentis Judaicae tenebrae in abnegando et crucifigendo Salvatore mundi. Consueto caret initio et fine Matutinum cum Horis (*Deus in adjutorium, Per Dominum* etc. quia ablatus est Christus, qui est principium et finis, Alpha et Omega; item, ut in nobis luctus et moeror animique perturbatio expressius pateat.

Per candelas, quae paulatim extinguuntur, repraesentantur Apostoli Christum deserentes; per illam quae non extinguitur sed tantum absconditur, mors quidem Christi designatur, ast manente semper Divinitate tum corpori tum animae conjuncta. Strepitus seu fragor significat perturbationem naturae ob mortem Christi Domini. Candela ista iterum in medium profertur, ut Christi resurrectio insinuetur.[12]

ART. II.

DE OFFICIO SOLEMNI DEFUNCTORUM.[1]

270. Officium defunctorum cantari potest omnibus saltem diebus, quibus Missa de *Requie* permittitur. In die obitus seu depositionis omni die permittitur excepto triduo sacro majoris Hebdomadae, in quo preces et officium privatim tantum recitari permittuntur.[2] Vesperae pridie dicuntur.

[9] Caer. Ep. II. 22. 15. 16.

[10] De Carpo, Caer.

[11] D. 16. Jun. 1893, n. 3804. 2.

[12] Cf. De Carpo, Bibl. liturg. III. 143.

[1] Non agitur hic de Officio diei 2. Nov.

[2] D. 3479. 2; et 4. Aug. 1892. n. 3788. 2.

2. Ad initium Vesperarum et Matutini dicitur *Pater. Ave.* (*Credo.*), nisi immediate sequantur Vesperas respective Matutinum cum Laudibus diei currentis vel delationem cadaveris ad Ecclesiam ac Responsorium *Subvenite.*[3]

3. Antiphonae duplicantur in die obitus (seu post acceptum nuntium), in die depositionis etiam absente corpore, die 3°, 7°, 30° anniversario et quoties solemniter celebratur Officium, etsi unum tantum Nocturnum dicatur.

4. Ad Matutinum dicitur Invitatorium cum Ps. *Venite,* quando tria Nocturna dicuntur aut quando unum Nocturnum persolvitur ritu duplici. Die depositionis corpore praesente primum semper Nocturnum dicitur. Alias, si unum tantum Nocturnum recitetur, dicendum est primum pro Dominica, fer. II et V., secundum pro fer. III. et VI., tertium pro fer. IV. et Sabbato.[4]

5. Psalmi *Lauda anima* in Vesperis et *De profundis* in Laudibus [in fine] non dicuntur, quando Officium recitatur ritu duplici.[5] Si officium pro uno persolvitur, versiculi qui Orationem immediate praecedunt et quae subsequuntur, in singulari dicuntur. (Sed duo ultimi versus post Orationem omittuntur, si statim sequatur Missa vel Absolutio.) Reliqua in Officio non mutantur.

6. **Ritus.** Celebrans pro Vesperis et Matutino solemni indui potest superpelliceo, stola et pluviali nigro.[6] Accedit ad Altare modo consueto praecedentibus acolythis cum candelis accensis, Caeremoniario et duobus Cantoribus.

Dum omnes stant in locis suis et dictis *Pater. Ave.* (*Credo.*), si dicenda sunt, duo Cantores in medio choro ante legile incipiunt Invitatorium *Regem cui omnia vivunt* etc. Chorus Invitatorium repetit etc. Ad verba *Venite adoremus et procidamus ante Deum* omnes genuflectunt. Chorus Cantorum antiphonas cantat,[7] et intonato per duos Cantores primo psalmo

[3] D. 14. Feb. 1913. Si in privata recitatione Matutinum cum unico vel tribus Nocturnis a Laudibus separetur, subjungitur: *Dominus vob.* Oratio (seu Orationes) ut ad Laudes. *Requiem aeternam. Requiescant in pace. Amen.* Ad initium Laudum vero dicitur *Pater. Ave.* D. 24. Jul. 1912.

[4] Rubr. Brev. novi et Rit. Rom. novi.

[5] Rituale novum.

[6] Caer. Ep. II. 10. 10, et S. R. C. 12. Aug. 1854, n. 3029.5.

[7] Ex consuetudine possunt praeintonari, ut in aliis officiis solemnibus. De Carpo.

[redacted]

omnes sedent. Post tertiam antiphonam cujusque Nocturni duo Cantores versiculum in medio choro cantant; et post responsorium omnes surgunt, secreto dicunt *Pater noster,* et sedent. Lector comitante Caeremoniario et facta reverentia Altari et choro ad legile cantat lectionem; postea responsorium cantatur a choro; Lector vero iteratis reverentiis revertitur. Et ita porro. Post nonam lectionem tollitur legile de medio choro.

Antiphonae ad Laudes cantantur a choro Cantorum,[8] et psalmi inchoantur a duobus Cantoribus. Ad intonationem cant. *Benedictus* omnes surgunt et se signant. Sub precibus genuflectunt, solus Celebrans ad *Dominus vobiscum* et Orationem surgit. Deinde, sin Missa vel Absolutio sequatur, subjungit: *Requiem aeternam* etc., et duo Cantores *Requiescant in pace.*

Si Missa sequatur, "dum in Officio dicuntur Laudes, Sacerdos cum Ministris paratur ad Missam," modo alius Sacerdos adsit, qui in fine Laudum Orationem dicat.

[8] V. adn. praec.

[redacted]

Pars Tertia.

DE RITUALI ROMANO.[1]

CAPUT I.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

ART. I.

ANIMADVERSIONES PRAEVIAE.

271. Fideliter observanda sunt, quae a Conc. Balt. Plen. II. Decr. 227-246 de Baptismo statuuntur, praesertim sequentia:

Detestabilem parentum catholicorum socordiam, qui parvulorum aetatem tot casibus obnoxiam non statim baptismatis Sacramento muniendam curant, volumus ut pastores animarum acerrime ac saepius reprehendant. (225.)

2. Gravissima reprehensione digni sunt sacerdotes, qui infantes ab aliena, sive paroecia sive dioecesi, sibi oblatos temere baptizant, cum facile a proprio pastore baptizari potuissent. Abusum hunc iterum damnamus ac prohibemus. (227.)

3. Curent sacerdotes, ut omnes fideles, praesertim medici, nutrices, atque obstetrices privati baptismatis conferendi modum rite calleant. Sedulo etiam explicent gravissimam, qua tenentur omnes absente sacerdote, obligationem illud infantibus, vel adultis consentientibus, qui in proximo mortis periculo forte constituantur, impertiendi. (228.)

[1] Functiones liturgicae praecipue pro cura animarum perficiendae in Rituali Romano tractantur. Imprimis sunt Sacramenta et sacramentalia aliaeque publicae functiones.

Conferantur quae initio hujus Compendii, n. 3, 4, de fontibus Liturgiae exposita sunt; item Conc. Pl. Balt. II. Decr. 205-223. Citationes sine addito in hac III. Parte sumptae sunt ex Rituali Romano.

4. Censemus infantes acatholicorum, quos ipsi parentes afferunt, baptizandos quoties probabilis affulget spes catholicae eorum educationis. Curandum autem omnino est ut patrinus, vel matrina, iique catholici, habeantur. Meminerit autem sacerdos, in mortis periculo, quotiescumque occasio se obtulerit, omnes infantes baptizari non solum posse, sed etiam debere. (229.)

5. Baptizandi sunt adulti omnes moribundi, quoties prudenter judicari potest, eos non certo respuere fidei gratiam; tunc enim *sub conditione* baptizari possunt. (230.)

6. Quando diversa tum Sanctorum, tum familiae nomina in Baptismo infantibus tribuuntur, si sacerdos censuerit expedire, in prima interrogatione omnia nomina exprimat; in sequentibus tamen formis et precibus, nomina vulgo dicta christiana tantum repetat. In libro autem baptismatum, omnia nomina recenseantur. (233.)

7. Curandum Missionariis, ut fontes baptismales *sub clavi*, in unaquaque ecclesia, ubi Baptismi Sacramentum ordinarie ministratur, quamprimum erigantur, prope quos omnia quae ad administrationem hujus sacramenti pertinent, nitide serventur.[2] (234.)

8. Praecipimus, ne unquam sacerdotes extra ecclesiam hoc sacramentum conferre audeant, praeter mortis imminentem casum, in urbibus unam aut plures ecclesias habentibus. Qui ruri degunt, ubi nulla est ecclesia, infantes ad ecclesiam propinquiorem vel stationem, in qua Sacrum fieri solet, baptizandos adducant. Quod si ob aeris intemperiem, itineris difficultatem, vel alias graves causas hoc fieri nequeat, tunc missionarii prudentiae et conscientiae relinquimus, ut eos domi cum omnibus Ecclesiae caeremoniis baptizet.[3] (237.)

[2] *Cin. II.* Pastores per canonicam Ecclesiae disciplinam tenentur quam primum post Feriam V. in Coena Domini nova olea sancta obtinere iisque uti in Benedictione Fontis Baptismalis et in Sacramentis administrandis, veteribus in Lampade coram SS. Sacram. reverenter combustis. (2.)

[3] Ex justa et rationabili causa Ordinarii permittere possunt, "ut parvulis, praeterquam quod instante mortis periculo vel urgente infirmitate, domi baptismatis sacramentum ministretur." S. C. de disc. Sacram. 23. Dec. 1912. In quo casu Baptismus "cum omnibus Caeremoniis Ritualis Romani administrandus est." S. C. R. 17. Jan. 1914. Generalem hujusmodi facultatem Episcopi dare non possunt, sed pro unoquoque dumtaxat casu particulari.

9. Quum Baptismus privatus, ob mortis periculum, domi conferendus est, Sacerdos, stola alba indutus, omissis omnibus ante Baptismum dicendis vel agendis, Catechumenum statim trina vel etiam una aquae infusione rite baptizet; postea vero si tempus adhuc suppetat, et Chrisma secum habeat, liniat eum in vertice, et linteolum candidum imponat, candelamque accensam ei porrigat, sicut in Ordine baptizandi traditur. (238.)

10. Haeretici plerique, cum de Baptismo parum recte sentiant . . , ritus quosdam, sine quibus haud consistit sacramenti ratio negligere solent. Ideoque eos, quum Ecclesiae nomen dant, iterum baptizari *fere semper* oportet.[4] (240.)

11. Quod idem dicendum est, si forte dubium de valore Baptismi ab obstetrice, aut alia persona laica administrati excitatum fuerit. Non illico, ob exortum dubium iterandus est Baptismus; sed tota res caute et diligenter investiganda, et testimonia eorum, qui interfuerunt, definienda. (241.)

12. Optant praesules hujus provinciae ut benedictio mulieris post partum non promiscue, atque nulla ratione habita puerperae dispositionis,[5] neque extra Ecclesiam vel locum ubi sacrum fit, in posterum conferatur. (246.)

272. "In conversione haereticorum a quocumque loco vel a quacumque secta venerint, inquirendum est de validitate baptismi in haeresi suscepti. Instituto igitur in singulis casibus examine, si compertum fuerit, aut nullum aut nulliter collatum fuisse, baptizandi erunt absolute: si autem pro temporum aut locorum ratione, investigatione peracta, nihil sive pro validitate, sive pro invaliditate, detegatur, aut adhuc proba-

[4] "If we could have sufficient certainty, about the baptism conferred in any Protestant sect at the present day, it would be about that conferred by the Anglicans. . . Yet there is always sufficient reason to doubt, in any particular case, whether it has been actually conferred in the manner directed by the 'prayer-book.' . . Very frequently the minister contents himself with dipping his finger in the water and throwing one or two drops on the child, without much anxiety as to whether they may touch the skin, or merely fall on the dress." Rev. O'Kane. Notes on the Rubrics of the R. Ritual, n. 458.

[5] "Tantummodo illae mulieres jus ad illam benedictionem habent, quae ex legitimo matrimonio pepererunt." S. C. C. 18 Jun. 1859. At non prohibetur parochis, quominus aliis quoque mulieribus benedicant. Acta S. Sedis.

[redacted]

bile dubium de baptismi validitate supersit, tunc sub conditione secreto baptizentur. Demum si constiterit validum fuisse, recipiendi erunt tantummodo ad abjurationem seu professionem fidei."[1]

2. Sequens modus in conversis ab haeresi ad fidem excipiendis servari debet:

I. "Si Baptismus absolute conferatur nulla sequitur abjuratio, nec absolutio eo quod omnia abluit Sacramentum Regenerationis."

II. "Si Baptismus sit sub conditione iterandus, hoc ordine procedendum erit:

1° "Abjuratio, seu fidei professio;

2° "Baptismus conditionalis;

3° "Confessio sacramentalis cum Absolutione conditionata."

III. "Quando denique validum judicatum fuerit Baptisma, sola recipitur abjuratio, seu fidei professio, quam Absolutio a censuris sequitur. Si tamen nonnunquam ejusmodi Neo-conversus valde desideret ut ritus in ejus Baptismo olim omissi, hac occasione suppleantur, Sacerdos huic pio ejus voto morem gerere utique liberum habet. Debebit tamen in tali casu adhibere ordinem baptismi adultorum, et mutare mutanda ob Baptismum jam valide susceptum."[2]

3. Nota quod in dubio onus probandi est pro valore Baptismi prioris, non pro nullitate. Examine de valore talis Baptismi proponantur hae quaestiones:

(*a*) An aqua naturalis adhibita fuerit sufficienti quantitate ut deflueret;

(*b*) An caput aut aliud corporis membrum ablutum sit;

(*c*) An aqua tetigerit cutem, aut solummodo crines;

(*d*) An in forma nihil omissum fuerit, e. g. verba *Ego te baptizo,* vel mutatum fuerit, e. g. *in nominibus,* vel *in nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus Sancti;*

(*e*) An verba simul cum effusione aquae prolata fuerint;

(*f*) An *eadem* persona aquam infuderit et simul verba enuntiaverit.

4. Filii acatholicorum baptizari possunt, quoties affulgeat

[1] S. R. E. U. Inquis. 20. Nov. 1878; et 21. Feb. 1883.

[2] S. C. S. Off. 20. Jul. 1859. Cf. C. Pl. Balt. II. n. 242.

probabilis spes catholicae educationis.[3] Baptizari debent infantes, si parens catholicus consentiat, quamvis altera pars (sive catholica sive acatholica) sit invita. Non possunt baptizari, si duo conjuges acatholici promissionem Catholicae educationis recusent. "Proposito dubio, an filii mulierum christianarum et patris Turcae . . sint baptizandi, instante patre vel matre, quum pater in progressu aetatis illos instruat in secta mahometana, et filii timeant profiteri se esse christianos. SS^mus [Clemens VIII.], auditis votis, decrevit, ut *baptizentur*."[4] "Si duo conjuges protestantes, deficiente ministro proprio, exhiberent Parocho alterive Sacerdoti proprium infantem baptizandum, declarantes, sese per hoc haud intelligere obstringi ad eum educandum in Religionem Catholicam, poteritne Parochus eum baptizare, ut interdum in tuto ponat innocentis infantuli aeternam salutem, praescindendo ab eo, quod in futuro evenire possit, quando ad aetatem discretionis pervenerit? *Resp.* Negative, praeterquam in periculo mortis."[5]

5. Diaconus in casu mediocris necessitatis, et delegatus a Sacerdote potest solemnem Baptismum conferre; at "non potest Diaconus salem benedicere et aquam."[6]

ART. II.

ORDO BAPTISMI PARVULORUM.

273. Convenit, ut fons baptismalis habeatur prope januam Ecclesiae a parte Evangelii. Ita S. Carolus praescripsit. "Baptisterium sit cancellis circumseptum sera et clave munitum." Praeparentur S. Chrisma et S. Oleum, vasculum ad aquam Baptismi fundendam etc. quae in Rituali Rom. recensentur.

2. "Omnibus praeparatis Sacerdos lotis manibus superpelliceo et stola violacea indutus accedat ad limen Ecclesiae, ubi foris exspectant qui infantem detulerunt." Quod quidem saepe

[3] S. Congr. de P. F. et C. Pl. Balt. II. n. 229.

[4] 12 Oct. 1600.

[5] Congr. S. R. U. Inq. 19 Jan. 1886.

[6] D. 10. Febr. 1888, n. 3684.

vix fieri potest, praesertim ubi atrium non adest; tunc consulendum ut infans intus prope januam vel aliqua distantia a Baptisterio exspectetur, ut observari possit Rubrica juxta quam "Sacerdos procedens ad fontem cum Susceptoribus conjunctim dicit *Credo* et *Pater*."

3. Idioma vernaculum in administratione baptismi adhiberi potest quoad quaestiones et responsa patrini vel matrinae, si eadem a parocho prius sermone Latino recitentur.[1]

"Ter exsufflet leniter in faciem infantis," non per modum halantis vel in forma Crucis; hoc enim foventis est, non expellentis; sed fit leniter labiis fere compressis.[2] Deinde "dicat semel: *Exi ab eo*" etc.

4. "Imponit manum super caput," quod quidem moraliter, non tangendo, fieri potest.—"Immitit modicum salis benedicti," i. e. unum alterumve granum, "in os infantis dicens: *N. accipe sal sapientiae . . Pax tecum.*"[3] "Imponit extremam partem stolae," i. e. sinistram, "super infantem," i. e. ejus pectus. Si fuerint plures infantes, ad *N.* et *N.* super singulos successive imponit stolam et ad postremum addit: *ingredimini etc.*

5. *Credo* et *Pater Noster* Sacerdos "stans" lingua latina recitare debet, susceptores autem vernacula recitare possunt.[4] Parva distantia a Baptisterio Exorcismum dicit; deinde digito, i. e. "pollice non vero indice"[5] accipit de saliva oris sui, leviter tangendo linguam suam; tangit aures in parte infima, non per modum Crucis; tangendo dextram dicit: *Ephpheta*, sinistram: *quod est, adaperire,* et nares: *In odorem* etc. Nares aut semel in summitate tangit, quia censentur unicum

[1] V. Excerpta ex Rit. Rom. et C. Prov. Balt. V.: "Permiserunt, ut Appendix fieret amplior, precibus quibusdam vernacula lingua redditis. Districte tamen praeceperunt Sacerdotibus omnibus latinam formam precum nunquam omittere." (8).

"Interrogationes a Rituali praescriptas *lingua latina* faciendas neque mutationem in Rituali inducendam esse, S. R. C. constanter respondit . . nihil relinquitur, nisi ut Sacerdos, postquam omnia lingua latina pro se dixerit, eadem vernacula lingua pro patrinis repetat." Lehmkuhl, Theol. Mor. II. 69. (ed. X.)

[2] "Gently, as a person, e. g. would blow dust off a book or paper." O'Kane.

[3] Rit. Rom. editio typica.

[4] D. 30. Dec. 1881, n. 3535. 10.

[5] D. 3368. 3.

organum; aut juxta alios bis tangit, nempe a parte dextra et sinistra. Abstergit digitos manutergio.

6. Deinde (vel juxta alios post sequentem unctionem) Sacerdos accedit ad fontem intra cancellos,[6] et si convenienter fieri possit, se sistit facie versus Altare majus fere conversa.

Unctio olei Catechumenorum fit in pectore; "adultis vero mulieribus ponatur in illa parte, quam ratio pudicitiae demonstrabit;"[7] et abstergitur bombacio, vel post unctionem inter scapulas, vel antea si vertendo infantem locus inunctus fortasse veste tangatur.

7. Post unctionem "deponit stolam violaceam, et sumit aliam albi coloris," vel si stola sit bicolor, eam vertit in partem albam.[8]

274. Tribus interrogationibus factis (et lingua vernacula repetitis), Sacerdos ante ipsum actum Baptismi omnia caute ordinat: (*a*) ut Susceptores infantem physice tangant, e. g. manum dextram ad humerum apponant; (*b*) ut infans teneatur facie prona versus vas in quod aqua defluit; (*c*) ut paratum sit vasculum ad aquam Baptismi fundendam,[1] et pelvis in quam influat, (nisi aqua immediate in sacrarium Baptisterii defluat,) atque linteolum ad caput baptizati abstergendum.

2. "Tunc Sacerdos vasculo seu urceolo accipit aquam baptismalem, et de ea ter fundit super caput infantis in modum Crucis, et simul verba proferens, semel tantum distincte et attente dicit: *N. Ego te baptizo in nomine Patris* +, fundat primo, *et Filii* +, fundat secundo, *et Spiritus* + *Sancti*, fundat tertio."[2] In Baptismo conditionato: *N. Si non es*

[6] Cf. Cat. Rom. p. II. c. II. n. 68.

[7] Paulus III. Const. *Altitudo Div. Conc.*

[8] D. 3086. 7.

[1] A ladle or small vessel, provided for this purpose, and used for no other; it should be furnished with a lip or spout, through which the water might be easily poured in a gentle, steady stream. O'Kane.

[2] The priest pours the water on the child's head, making with the little stream, as it falls on the head, the sign of the cross at the word *Patris*, another at the word *Filii*, and a third at the words *Spiritus Sancti;* being careful, as here directed, to pronounce the form distinctly and with attention. If the hair be thick, it is a useful precaution to furrow it with the fingers of the left hand, while the water is poured on with the right. (O'Kane, n. 344, 345.)

baptizatus (*baptizata*), *ego te baptizo in nomine etc.* Si infans sit capillatus, Sacerdos digitis sinistrae manus caesariem ejus discriminat, dum dextra aquam infundit; vel efficit, ut aqua super frontem aliquantulum fluat: quod etiam faciendum est, dum caput infantis aliqua scabie opertum est.[3]—Deinde caput infantis abstergit linteolo in hunc solum usum destinato.

3. "Deinde Chrismate ungit infantem in summitate capitis[4] in modum Crucis, dicens . . . *Ipse te liniat Chrismate salutis* + *in eodem*, etc. Tum bombacio abstergit pollicem suum et locum inunctum."

4. "Imponit capiti ejus linteolum candidum, non illud quod adhibetur ad tergendum caput baptizati aut manus suas.—Datur candela accensa ex cera alba, nisi consuetudo sit offerendi candelam ex cera virgine.[5]

5. Baptismo completo curet Sacerdos colligi bombacium ad illud comburendum. Digitos inunctos medulla panis abstergit, et lavat manus, cujus lotionis aqua in piscinam vel sacrarium fundatur.

6. "Admonendi sunt Susceptores de spirituali cognatione. . . . Curet Parochus parentes infantis admoneri, ne in lecto secum ipsi, vel nutrices parvulum habeant, propter oppressionis periculum; . . . ne filios hebraeis aliisve infidelibus vel haereticis mulieribus ullo modo lactandos aut nutriendos tradant." Quae admonitiones, si tunc dari nequeant, alio tempore opportuno fiant, e. g. instructione sponsorum.

7. Nomina etc. statim "in Baptismali libro Parochus accurate describat;" cujus rei neglectu gravia damna aliquando inferri possunt.

8. Si plures simul sint baptizandi, generaliter Orationes (*Oremus* etc.) et Exorcismi dici possunt in plurali pro omnibus. Rituale Rom. edit. 1913 et "Excerpta ex Rituali Romano" (edit. Baltim.) apte disponunt, quae *singulariter singulis* dici vel fieri debent. donec occurrat Rubrica: *In plurali pro omnibus.*

[3] Past. Brug.

[4] The crown of the head.

[5] Baruff.

[redacted]

ART. III.

DE BAPTISMO AEGROTI A SACERDOTE IN PERICULO IMMINENTI CONFERENDO.[1]

275. Sacerdos stola alba indutus, "omissis quae Baptismum praecedunt, infantem vel adultum aegrotum baptizet ter, vel etiam semel infundens aquam super caput ejus in modum Crucis, dicens: *Ego te baptizo in nomine Patris,* + etc."

2. "Deinde si habeat Chrisma, liniat eum in vertice, dicens: *Deus omnipotens etc.*"

"Postea dat ei linteolum candidum, dicens: *Accipe vestem* etc."

"Ac demum dat ei ceream candelam accensam, dicens: *Accipe lampadem ardentem etc.*"

3. "Si supervixerit, suppleantur alii ritus omissi" praecedentes in Ecclesia, non vero statim in domo privata, nisi fieri possit conformiter Decreto Conc. Plen. Balt. II.,[2] vel subsequenti Decreto S. Congregationis S. Off.

4. "Adulti qui propter infirmitatem ante mortem nunquam deferri ad Ecclesiam praevidentur, si petunt a Sacerdote baptizari domi, vel jam a Christianis baptizati, petunt super ipsos caeremonias suppleri, Sacerdotes possunt et tenentur uti illis caeremoniis [Ritualis Romani] quibus uti possunt."[3]

5. Ordo supplendi omissa super infantem baptizatum vid. "Excerpta ex Rit. Rom." immediate post "Baptism. Parvulorum;" vel in Editione typica (Ratisbon.) post "Ordinem Baptismi Adultorum" adnotatus tam pro infante quam adulto.

ART. IV.

DE BAPTISMO ADULTORUM.

276. "Adultus[1] debet prius in Christiana fide ac sanctis moribus diligenter instrui;" praesertim "admonendus est Catechumenus, ut peccatorum suorum poeniteat." Excipe

[1] Cf. C. Pl. Balt. II. n. 238.

[2] N. 237.

[3] S. C. S. Off. 10 Apr. 1861.

[1] "Possunt baptizari, etiam invitis parentibus, pueri adulti qui Baptismum desiderant: adultus autem censetur qui septennium complevit, regulariter loquendo." S. C. de Prop. F. 3 Mart. 1703.

mortis periculum; at "missionarius tenetur adulto etiam moribundo, qui incapax omnino non est, explicare fidei mysteria, quae sunt necessaria necessitate medii, ut sunt praecipua mysteria Trinitatis et Incarnationis."[2] Attamen si sensibus sint destituti vel periculum in mora, "baptizandi sunt adulti omnes moribundi, quoties prudenter judicari potest, eos non certo respuere fidei gratiam; tunc enim *sub conditione* baptizari possunt.[3]

2. In Baptismo adulti respondet ipse Catechumenus. De caeremoniis faciendis prius instruatur; item Patrinus, qui si "Ordo Baptismi Adultorum" adhibeatur, pluries Crucem cum pollice signat in fronte Catechumeni etc.—Convenit etiam, ut significatio caeremoniarum prius explicetur, e. g. quomodo signo Crucis omnes et singuli sensus baptizandi Redemptori consecrentur; proponatur exemplum Christi halantis in discipulos, sanantis caecum per salivam, tangentis auriculas et linguam surdi et muti.[4]

3. Omitti possunt, quae Sacerdos initio ad gradus Altaris, "si temporis ratio ferat, dicit," nempe *Deus in adjutorium* etc. cum tribus psalmis et Orationibus.

In pluribus Dioecesibus ex indulto Apostolico etiam pro baptizandis adultis uti licet forma, quae in Rituali Romano pro Baptismate parvulorum invenitur.[5]

[2] C. S. Off. 10 Maji, 1703.

[3] C. Pl. Balt. II. n. 230.

[4] Cf. 1 Cor. II. 2; Col. I. 20; Gal. II. 19 et VI. 14.

[5] Tale indultum 6 Febr. 1859 Provinciae S. Ludovici concessum est, adhuc vigens (donec revocetur), in omnibus Dioecesibus, quas isto anno 1859 Provincia S. Ludovici comprehendebat.—"Adulti baptizari possunt a Sacerdote, qui eos in principiis fidei instruxit." Ep. Arch. Neo-Aurel. 21 Dec. 1861. Cfr. Eccl. Review, vol. X. p. 298 et Tanquerey, Theol. Dogmat. III. p. 271.

[redacted]

CAPUT II.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

ART. I.

PRAEPARANDA.

277. In Altari, sex candelabris instructo, ponuntur paramenta episcopalia, nempe pluviale ac stola albi coloris et amictus in medio, mitra in latere Evangelii; vasculum s. Christmatis in pelvicula super Altari vel credentia.

Prope Altare baculus pastoralis.

2. Super credentia: Pontificale; scotula cum candela; medulla panis in lance; urceus cum pelvi, et mantile pro lotione manus; globuli gossipii.

Ante Altare in plano genuflexorium.

3. Singulis confirmandis Parochus distribuit schedas continentes nomen et cognomen confirmandi ejusque sponsoris; quae schedae in confirmatione colliguntur, ut deinde nomina in librum confirmatorum referantur.[1]

ART. II.

DE ADMINISTRATIONE CONFIRMATIONIS.

278. Modus Episcopum rite recipiendi exponitur Articulo sequenti (n. 1-3). Extra s. Visitationem ad portam Ecclesiae fit solummodo aspersio.

Episcopus procedit ad Altare et procumbens in genuflexorium paullum orat. Hymnus *Veni creator* cum oratione *Deus qui corda* etc. laudabiliter cantatur.[1]

[1] Martinucci III. 12, 65, et VII. 1.

[1] Cerem. U. S.

[redacted]

Si sit Ordinarius, in throno vel sede elevata ad latus Evangelii praeparata, vel in faldistorio posito ad latus Evangelii in suppedaneo exuit mozettam, induit vestimenta et tunc lavat manus.

2. Tunc Episcopus vel Sacerdos quidam sermonem habet ad confirmandos.[2]

Posthac confirmandi omnes cum compatribus suis genuflectunt. Episcopo aderunt ministri de libro et candela.

3. Episcopus deposita mitra stans in suppedaneo versa facie ad confirmandos elata voce dicit: *Spiritus sanctus* etc.[3]

Deinde signans se dicit: *Adjutorium nostrum etc.* et versiculos reliquos recitat, vel cantat tono feriali simul cum Oratione.[4] Eodem modo assistentes ad versiculos et ad singulas invocationes, e. g. *Spiritum sapientiae et intellectus,* respondent, *Amen.*

4. "Pontifex sedens super faldistorium praedictum" accipit mitram et baculum pastoralem;[5] "vel etiam si multitudo confirmandorum id exigerit, dispositis illis per ordinem super gradus presbyterii" ad cancellos, "vel alibi, Pontifex stans cum mitra illos confirmat."[6] Ab ipsius dextris consistit clericus cum Chrismate, et alter recepturus a confirmandis schedam cum ipsorum nomine, quod suggerit Episcopo; ab Episcopi sinistris, (vel, si ad faldistorium confirmet, loco convenienti) stat clericus abstergens frontem confirmati. A tergo confirmandi stat ejus patrinus imponens in actu unctionis dextram humero dextro confirmandi.[7]

"Episcopus S. Confirmationem conferens, intinget pollicem in S. Chrisma et manu extensa imposita super caput con-

[2] "Nonnullis in locis mos est, ut quidam ecclesiasticus edoceat atque exerceat confirmandos antequam ad Ecclesiam adveniat Episcopus." Martinucci, l. c.

[3] Vide Pontific. Rom. et Excerpt. Rit. Rom.

[4] Martinucci, l. c.

[5] Ibid.

[6] Pontific.

[7] Facile quoad sponsores menti Ecclesiae obsequitur (cf. C. Pl. Balt. II. n. 253) Parochus, modo fideles prius moneat, ut confirmandus quisque sponsorem sibi provideat; ut binos confirmandos accedentes ad Episcopum bini sponsores statim subsequantur, et stent ut supra. "Nullus qui non sit confirmatus, potest esse in confirmatione patrinus, nec pater aut mater, maritus aut uxor. Neque masculi feminis patrini neque feminae masculis matrinae esse deberent" (Pontif.) neque "ille idem qui infantem levavit e sacro fonte." (S. C. C. 16 Febr. 1884.)

firmandi, percontatus nomen ejus unctionem in formam Crucis pollice efficiet in fronte *N. signo te* etc."[8]

5. "Omnibus confirmatis Pontifex," sedens in faldistorio, "tergit cum mica panis et lavat pollicem et manus super pelvim. Interim cantatur," vel recitatur a Clero.

ANT. *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis a templo sancto tuo quod est in Jerusalem. Gloria Patri. Sicut erat.*

REPET. ANT. *Confirma hoc.*

"Qua repetita Pontifex deposita mitra surgit, et stans versus ad Altare dicit," vel cantat tono feriali: *Ostende nobis* etc., "omnibus confirmatis genu flectentibus, et vertens se ad confirmatos dicit: *Bene+dicat vos Dominus* etc."

6. Tandem Pontifex accepta mitra et baculo pastorali dat admonitionem ad mentem Pontificalis, et recitat ipse, vel Parochus *Credo, Pater* et *Ave.* Benedicit eos nullam proferens formulam.[9]

7. In privata administratione Confirmationis Episcopus stolam albam super rochetum induit, et utitur mitra dum unctionem peragit.[10]

ART. III.

DE ORDINE AD VISITANDAS PAROCHIAS.[1]

279. Quando Episcopus visitaturus Parochiam rite recipi potest, ab ejus hospitio (domo parochiali) procedunt hoc ordine: primo Confraternitates, deinde tres clerici seu acolythi, nempe is qui defert Crucifixum exiguum (in pelvicula albo velo contectum) medius inter acolythum cum aqua benedicta, et thuriferarium,[2] post eos Crux processionalis inter ceroferarios; Cantores et reliqui clerici; ultimus Parochus vel dignior Cleri ante Episcopum. Interim cantantur vel recitantur Cant. *Benedictus* et alii psalmi.

2. Ad portam Ecclesiae omnes capite detecto subsistunt;

[8] Martinucci VII. 7, 38, juxta Rubr. Pontificalis Bened. XIII. permissu editi.

[9] Martinucci VII. 1, 44.

[10] Ibid. n. 47.

[1] Cf. Pontificale et Martinucci VI. 37 et III. 12 pro parochiis ruralibus.

[2] Si quatuor acolythi non adsint, ad portam Ecclesiae praeparabitur mensa cum vasculo aquae benedictae et exigua ista imagine Crucifixi.

Episcopus genuflectit in pulvino ad limen praeparato; Parochus imaginem Crucifixi osculandam Episcopo porrigit.[3] Deinde aspersorium cum osculis tradit Episcopo, qui signat se ipsum, deinde adstantes intra et extra Ecclesiam aspergit, ad quod omnes genuflectunt, exceptis Canonicis et Praelatis.

Tunc Episcopus ministrante Parocho immittit cum benedictione incensum in thuribulum, quod ei praesentatur a thuriferario genuflexo. Parochus triplici ductu Episcopum incensat, profunde inclinans ante et postea, et benedicitur ab Episcopo.

Removetur pulvinus.

3. Statim procedendo ad Altare cantatur vel voce alta recitatur:

ANT. *Sacerdos et Pontifex, et virtutum opifex, pastor bone in populo sic placuisti Domino.*

Vel sequens

RESP. *Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo: Ideo jurejurando fecit illum Dominus crescere in plebem suam.*

V. *Benedictionem omnium gentium dedit illi, et testamentum suum confirmavit super caput ejus. Ideo jurejurando fecit illum Dominus crescere in plebem suam. Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto. Ideo jurejurando* etc.

4. Ad Altare Episcopus genua submittit genuflexorio ante infimum gradum parato. Parochus prope credentiam imponit stolam, ascendit ad Altare et, "stans in cornu Epistolae Altaris versus ad orantem"[4] Episcopum, cantat vel recitat:

V. *Protector noster aspice Deus.*
R. *Et respice in faciem Christi tui.*
V. *Salvum fac servum tuum.*
R. *Deus meus sperantem in te.*
V. *Mitte ei, Domine, auxilium de Sancto.*
R. *Et de Sion tuere eum.*
V. *Nihil proficiat inimicus in eo.*
R. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.*
V. *Domine exaudi orationem meam.*
R. *Et clamor meus ad te veniat.*
V. *Dominus vobiscum.* R. *Et cum spiritu tuo.*

[3] Pontif. et Martinucci, l. c. [4] Pontificale.

Oremus.

Deus, humilium visitator, qui eos paterna dilectione consolaris: praetende societati nostrae gratiam tuam; ut per eos, in quibus habitas, tuum in nobis sentiamus adventum. Per Christum Dominum nostrum. R. *Amen.*

5. Parochus stolam super credentiam deponit. "Pontifex surgens ascendit ad Altare, osculaturque illud in medio et ibidem populo solemniter benedicit"[5] dicens: *Sit nomen Domini benedictum* etc.

6. "Qua data," vel post sermonem infra Missam, si Episcopus celebret, "facit promulgari indulgentias, quas ipse [praesentibus] concedit." Clericus igitur ante Episcopum inclinatus recitat *Confiteor.* Parochus, facta Episcopo inclinatione, publicat Indulgentias (50 dierum) formula *Reverendissimus in Christo Pater* etc. (ut supra in Missa Pontif. n. 104, 3). Episcopus assurgit et dicit: *Precibus et meritis* etc.

["Deinde, vel in medio Missae, versus ad populum sedens proponit populo causas adventus sui."

"*Primo* ad absolvendas animas defunctorum.

"*Secundo,* ut sciat, et videat qualiter Ecclesia ipsa spiritualiter et temporaliter gubernetur.

"*Quinto* ad exhibendum *Sacramentum Confirmationis.*"[6]]

280. Episcopus igitur "primo ad absolvendas animas defunctorum"[1] assumit paramenta nigra episcopalia, nempe amictum, stolam nigram, pluviale nigrum, et mitram simplicem;—vel solummodo stolam nigram super mozettam. Stans ante Altare versus populum recitat sine cantu alternatim cum assistentibus:

ANT. *Si iniquitates.*

PSALM. *De profundis* etc.; in fine: *Requiem* etc.

ANT. *Si iniquitates observaveris, Domine: Domine quis sustinebit?*

Qua dicta, deposita mitra, dicit:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster.

5 Pontificale.

6 Ibid. p. III.

1 Quae suffragia fiunt "juxta Altare" pro defunctis Episcopis; deinde in media Ecclesia vel in Coemeterio pro omnibus fidelibus defunctis.

[redacted]

Interim aspersorio aspergit super pavimentum presbyterii in medio, a sinistris et a dextris suis; deinde imposito incenso in thuribulo et illo benedicto, eodem modo incensat. Quo facto dicit:

V. *Et ne nos* etc. R. *Sed libera nos* etc.
V. *In memoria aeterna erunt justi.*
R. *Ab auditione mala non timebunt.*
V. *A porta inferi.*
R. *Erue, Domine, animas eorum.*
V. *Requiem aeternam dona eis, Domine.*
R. *Et lux perpetua luceat eis.*
V. *Domine, exaudi* etc. R. *Et clamor meus* etc.
V. *Dominus vobiscum.* R. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes famulos tuos Pontificali fecisti dignitate vigere: praesta, quaesumus, ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio. Per Christum Dominum nostrum. R. *Amen.*

2. Post hanc Orationem pro Episcopis vadunt in Coemeterium, vel in mediam Ecclesiam ad tumbam vel pannum nigrum in pavimento positum, (circumdatum quatuor candelabris,)[2] praecedentibus clericis cum aqua benedicta et thuribulo, deinde crucifero inter ceroferarios, et Clero cantante vel recitante.

RESP. *Qui Lazarum resuscitasti a monumento foetidum.* Tu eis, Domine, dona requiem, et locum indulgentiae.*

V. *Qui venturus es judicare vivos et mortuos et saeculum per ignem.* Tu eis, Domine, dona requiem et locum indulgentiae.*

Episcopus cum ministris suis recitat ANT. *Si iniquitates.* PS. *De profundis* etc. In fine *Requiem aeternam* etc. ANT. *Si iniquitates observaveris, Domine: Domine, quis sustinebit?*

3. "Cum fuerint in medio coemeterii," aut Ecclesiae ad tumbam vel pannum nigrum, "Chorus cantat Responsorium" *Libera,* ut ad Absolutionem defunctorum. "Dum Responsorium repetitur Pontifex imponit incensum more consueto." Completo Responsorio deponitur mitra, Chorus cantat *Kyrie*

[2] *Cerem.* U. S.

eleison etc. Episcopus: *Pater noster,* aspergit et incensat in medio, a sinistris et a dextris suis solum Coemeterii, aut tumbam vel pannum.

"Quo facto dicit versus:"

V. *Et ne nos inducas* etc. R. *Sed libera* etc.

V. *In memoria aeterna erunt justi.*

R. *Ab auditione mala non timebunt.*

V. *A porta inferi.*

R. *Erue, Domine, animas eorum.*

V. *Requiem aeternam* etc. R. *Et lux perpetua* etc.

V. *Domine, exaudi,* etc. R. *Et clamor meus* etc.

V. *Dominus vobiscum.* R. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes famulos tuos Sacerdotali fecisti dignitate vigere: praesta quaesumus; ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio.

Deus, veniae largitor, et humanae salutis amator, quaesumus clementiam tuam, ut nostrae congregationis fratres, propinquos, et benefactores, qui ex hoc saeculo transierunt, beata Maria semper Virgine intercedente, cum omnibus Sanctis tuis ad perpetuae beatitudinis consortium pervenire concedas.

Deus, cujus miseratione animae fidelium requiescunt, famulis et famulabus tuis omnibus hic et ubique in Christo quiescentibus, da propitius veniam peccatorum; ut a cunctis reatibus absoluti tecum sine fine laetentur. Per Christum Dominum nostrum. R. *Amen.*

V. *Requiem aeternam dona eis, Domine.*

R. *Et lux perpetua luceat eis.*

Tum duo Cantores dicunt:

V. *Requiescant in pace.* R. *Amen.*

"Mox Pontifex, elevata dextera, producit signum Crucis ab omni parte super coemeterium" aut tumbam vel pannum, nil dicens.

4. In reditu ad Ecclesiam vel Altare, Episcopo inchoante, recitant alternatim sine cantu Ps. *Miserere* etc., in fine *Requiem aeternam* etc. Episcopus stans ante Altare majus, deposita mitra, dicit:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

V. *Pater noster,* reliqua secreto.

V. *Et ne nos* etc. R. *Sed libera nos* etc.
V. *A porta inferi.*
R. *Erue, Domine, animas eorum.*
V. *Domine exaudi* etc. R. *Et clamor meus* etc.
V. *Dominus vobiscum.* R. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

Absolve, quaesumus Domine, animas famulorum famularumque tuarum ab omni vinculo delictorum: ut in resurrectionis gloria inter Sanctos et Electos tuos resuscitati respirent. Per Christum Dominum nostrum. R. *Amen.*

281. "His peractis, depositis stola et pluviali nigris, et assumptis albis, incipit visitationem a SS. Eucharistia[1] ad Baptisterium, inde ad s. Olea, ad sacras Reliquias, tum ad Altaria et Capellas, et sacras Imagines, item ad sacristiam et coemeterium se confert . . . et ad alia loca pia."[2]

2. "Poterit postea," vel quandocunque placuerit, "Pontifex confirmare pueros."[3]

3. Peracta demum visitatione,[4] cum discedere voluerit Pontifex, in suo habitu communi accedit ad Ecclesiam, et stans ante Altare in cornu Epistolae versus ad Illud, dicit:

Ps. *De profundis* etc. in fine *Requiem aeternam* et Ant. *Si iniquitates.*

Deinde dicit *Pater noster,* secreto.
V. *Et ne nos inducas* etc. R. *Sed libera* etc.
V. *A porta inferi.* R. *Erue, Domine,* etc.
V. *Requiescant in pace.* R. *Amen.*
V. *Domine, exaudi* etc. R. *Et clamor* etc.
V. *Dominus vobiscum.* R. *Et cum spiritu tuo.*

[1] Aperto tabernaculo incensatur, cantatur *Tantum ergo* (interim Episcopus inspicit ciborium et tabernaculum), dein *Genitori;* et Episcopus accepto velo humerali impertitur cum ciborio trinam populo benedictionem. (Martinucci, III. 12, 59.)

[2] Pontificale.

[3] Ibid.

[4] Permultis locis mos saluberrimus viget, ut Episcopus etiam scholas parochiales ipse visitet et discipulorum studia, progressum etc. inspiciat.

Oremus.

Deus, cujus miseratione animae fidelium requiescunt, famulis et famulabus tuis omnibus hic et ubique in Christo quiescentibus, da propitius veniam peccatorum, ut a cunctis reatibus absoluti, tecum sine fine laetentur. Per Christum Dominum nostrum. R. *Amen.*

"Post haec discedit, quo voluerit."[5]

[5] En pietas Ecclesiae, quae visitationem instituit "primo ad absolvendas animas defunctorum," et in fine quasi valedicens pro iisdem animabus supplicat.

De Parochiis pro fidelibus diversae linguae in eodum territorio degentibus S. C. de Propaganda Fide haec statuit:

Quaer.: 1°. "An in eodem territorio plures pro populo diversae linguae paroeciae erigi possint, qua omnimoda ad invicem independentia gaudeant?"

2°. "An Episcopus contra mentem legesque Ecclesiae offendat si statuat, ut familiarum ad parochiam quamdam pertinentium filii et filiae in parentum domibus degentes, eidem paroeciae adstricti maneant, donec a paterna potestate emancipati non fuerint, nisi ob peculiares circumstantias Episcopo aliud pro salute animarum salubrius visum fuerit?"

3°. "Utrum quasi paroeciae diversae nationalitatis, modo conditiones a Concilio Plenario Baltimorensi III., Tit. II., Cap. V. praescriptae concurrant, inamovibiles declarari possint?"

"*R.* Ad I. *Affirmative,* quoties erectio Missionum per linguas Ordinario pro suo prudenti arbitrio opportuna videatur pro salute animarum.

Ad II. *Negative,* salvo jure parentum mittendi filios d quascumque scholas catholicas.

Ad III. *Affirmative* prout in primo."

Romae, die 8 Junii 1887. (Juxta textum authenticum.)

CAPUT III.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

282. "Sacerdos, priusquam ad audiendum accedat, si tempus suppetat, divinum auxilium piis precibus implorabit. . . . Superpelliceo et stola violacei coloris utatur, prout tempus vel locorum feret consuetudo." S. R. Congregatio: "Conveniens est, ut in Ecclesia adhibeatur stola."[1] C. Pl. Balt. II. statuit: "Ad tribunal sacrum accedens Confessarius, superpelliceo ac stola violacea, ad praescriptum Ritualis Romani sit indutus."[2] Confessiones extra Ecclesiam vel confessionale audiens saltem stolam laudabiliter adhibet. Mulierum Confessiones absque necessitate nunquam nisi per crates interpositas audire licet.[3] Regulares Confessarii, si sint monachi aut fratres mendicantes non quidem superpelliceum, sed tamen stolam adhibere debent super habitum sui Ordinis; alii clerici regulares etiam superpelliceum adhibere debent.[4]

2. Confessarius poenitentem accedentem (juxta laudabilem consuetudinem) benedicit, dicens: *Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis, ut rite confitearis omnia peccata tua. In nomine Patris*+, etc.

3. Quoad absolutionis formam *Misereatur tui* etc. ad *Indulgentiam* etc. "dexteram versus poenitentem elevat," loco manus impositionis antiquitus usitatae; proinde convenit, ut palma poenitentem respiciat.

4. Si poenitens non absolvatur, Confessarius voce aliquantulum secreta lente dicere potest *Misereatur* etc., et deinde elevata manu *Indulgentiam* etc., illum in fine signando, sine qua elevatione manus et benedictione nullus poenitens quantumvis indispositus dimitti potest,[5] praesertim, si confessionale a parte anteriori sit omnino apertum.

1 D. 3158. 2.
2 Decr. 293.
3 *Ibid.* n. 295.
4 Catalanus etc. juxta praxim Eccles. Urbis etc.
5 Baruff.; Catalan.; Fornici etc.

5. "Parochi pueros ad primam confessionem diligentissime praeparent."[6] "Eos qui ad septennium pervenerint ad confessionem accedere curent."[7] "Ne autem haec prima confessio ultra nonum annum differatur, stricte prohibemus. Ac deinceps, quamdiu scholas frequentant, singulis trimestribus ad confessionem faciendam adducendi sunt."[8] Pastor animarum vi muneris sui tenetur instruere et praeparare etiam surdos mutos parochiae vel Missionis suae, vel potius monere ipsorum parentes aut tutores, ut istos in schola vel instituto Catholico[9] instruendos curent.

6. Agens de prima confessione parvulorum Concilium nostrum[10] graviter monet, "tam parvulis etiam prima vice confessuris quam adultis licere, *quemlibet* ab Episcopo probatum confessarium adire." Facile enim verecundia, timor, immo familiaritas vel specialis benevolentia in confessarium evadere posset occasio sacrilegae confessionis. Quare Ecclesia in hac re largam conscientiae libertatem fidelibus tam parvulis quam adultis vindicat. "Quo magis confessiones sacrilegae evitentur, fidelibus libera eligendi confessarium facultas tribuatur. Nullus igitur confessarius ullum fidelem adigat, urgeat vel quomodocunque moveat, ut sibi confiteatur, neque si quis ipsi polliceri vellet, se ipsi soli confessurum esse, talem pollicitationem acceptet. Parochi imprimis subditis aegrotis, si verecundiae suspicionem moveant, paterne alium confessarium arcessendum offerant. . . . Per annum, praesertim tempore paschali presbyteros externos ab Episcopo approbatos sibi adsciscant.

"Parochianos, si id opus videbitur, edoceant, sub *proprio sacerdote*, de quo S. Concilium Lateranense IV. loquitur, *non* subintelligendum esse *proprium parochum,* sed quemvis sacerdotem a Dioeceseos Ordinario approbatum."[11]

Etiam Moniales pluries per annum ad Confessarium extraordinarium adire lex Ecclesiae jubet,[12] de qua lege nec Confessarius nec Superiorissa dispensare potest.

Omnes totius Orbis confessarii a locorum Ordinariis appro-

6 C. Prov. Colon. p. 132.

7 C. Plen. Balt. II. no. 442.

8 C. Pr. Col. ibid.

9 *Catholic Deaf-Mute Institution.*

10 C. Plen. Balt. II. no. 292.

11 Syn. D. Pad. el. Episc. Conr. Martin. Cfr. epistola Praefecti S. Congregationis de P. F. ad Patres C. Prov. Cincinnat. III. Ed. nova pag. 131.

12 S. C. de Relig. 3. Feb. 1913.

[redacted]

bati, "auctoritate Ssmi Dni n. Pii X., omnium Sodalium cujuscumque Ordinis, Congregationis aut Instituti sacramentales confessiones excipere, quin de licentia a Superiore obtenta inquirere vel petere teneantur, atque valide et licite absolutionem a peccatis in Ordine vel Instituto etiam sub censura reservatis, impertire queant." Hoc Decretum comprehendit etiam novitios et etiam confessiones, quas Religiosi ritus Latini faciunt apud Confessarios ritus Orientalis et vicissim.[13]

7. "Moniales omnes . . . cum graviter aegrotant, licet mortis periculum absit, quemlibet Sacerdotem ad confessiones excipiendas adprobatum arcessere possunt, eique, perdurante gravi infirmitate, quoties voluerint, confiteri."[14]

8. Saecularium confessiones etiam in aliena paroecia audire potest quilibet Confessarius approbatus, relinquens testimonium scriptum pro Pastore Viaticum et Extremam Unctionem administraturo. Aliquando Sacerdotes vicini hoc spiritu liberali ducti sibi invicem plenam licentiam committunt administrandi infirmis quibuslibet petentibus etiam Viaticum et Extremam Unctionem.

9. "Sacerdos ad audiendam confessionem vocatus, promptum facilemque se praebeat."[15] "Gravissimum quippe crimen foret, si pastoris negligentia aut desidia vel unus e grege fidelium hoc Sacramento fraudaretur."[16] Plura de administratione Sacramenti Poenitentiae vid. in C. Plen. Balt. II.[17]

13 S. Congr. de Relig. 5. Aug. 1913 et 3. Maii 1914.

14 S. C. de Relig. 3. Feb. 1913.

15 Rit. Rom.

16 C. Plen. Balt. II. no. 291.

17 No. 270-296.

CAPUT IV.

DE SANCTISSIMO EUCHARISTIAE SACRAMENTO.

ART. I.

DE FREQUENTI COMMUNIONE.

283. De frequenti Communione S. Congregatio Concilii d. 16. Dec. 1905 haec quae sequuntur, statuit:

1. Communio frequens et quotidiana, utpote a Christo Domino et a Catholica Ecclesia optatissima, omnibus Christifidelibus cujusvis ordinis aut conditionis pateat; ita ut nemo qui in statu gratiae sit et cum recta piaque mente ad s. mensam accedat, prohiberi ab ea possit.

2. Recta autem mens in eo est, ut qui ad sacram mensam accedit non usui aut vanitati, aut humanis rationibus indulgeat, sed Dei placito satisfacere velit, ei arctius caritate conjungi, ac divino illo pharmaco suis infirmitatibus ac defectibus occurrere.

3. Etsi quam maxime expediat ut frequenti et quotidiana Communione utentes, venialibus peccatis, saltem plene deliberatis, eorumque affectu sint expertes, sufficit nihilominus ut culpis mortalibus vacent, cum proposito nunquam se in posterum peccaturos: quo sincero animi proposito, fieri non potest quin quotidie communicantes a peccatis etiam venialibus, ab eorumque affectu sensim se expediant.

4. Cum vero Sacramenta Novae Legis, etsi effectum suum ex opere operato sortiantur, majorem tamen producant effectum quo majores dispositiones in iis suscipiendis adhibeantur, idcirco curandum est ut sedula ad sacram communionem praeparatio antecedat, et congrua gratiarum actio inde sequatur, juxta uniuscujusque vires, conditionem ac officia.

5. Ut frequens et quotidiana Communio majori prudentia fiat uberiorique merito augeatur, oportet ut Confessarii consilium intercedat. Caveant tamen Confessarii ne a frequenti seu quotidiana Communione quemquam avertant, qui in statu gratiae reperiatur et recta mente accedat.

6. Cum autem perspicuum sit, ex frequenti seu quotidiana Communione unionem cum Christo augeri, spiritualem vitam uberius ali, animam virtutibus effusius instrui, et aeternae felicitatis pignus vel firmius sumenti donari, idcirco Parochi, Confessarii et Concionatores, juxta probatam Catechismi Romani Doctrinam (Part. II, cap. 4, n. 60), christianum populum ad hunc tam pium ac tam salutarem usum crebris admonitionibus multoque studio cohortentur.

7. Communio frequens et quotidiana praesertim in religiosis Institutis cujusvis generis promoveatur; pro quibus tamen firmum sit decretum "Quemadmodum" diei 17. mensis Decembris 1890 a S. Congr. Episcoporum et Regularium latum. Quam maxime quoque promoveatur in clericorum Seminariis, quorum alumni altaris inhiant servitio; item in aliis christianis omne genus ephebeis.

8. Si quae sint Instituta, sive votorum solemnium sive simplicium, quorum in regulis aut constitutionibus, vel etiam calendariis Communiones aliquibus diebus affixae et in iis jussae reperiantur, hae normae tamquam mere "directivae" non tamquam "praeceptivae" putandae sunt. Praescriptus vero Communionum numerus haberi debet ut quid minimum pro Religiosorum pietate. Idcirco frequentior vel quotidianus accessus ad eucharisticam mensam libere eisdem patere semper debebit, juxta normas superius in hoc decreto traditas. Ut autem omnes utriusque sexus Religiosi hujus decreti dispositiones rite cognoscere queant, singularum domorum moderatores curabunt, ut illud quotannis vernacula lingua in communi legatur intra Octavam festivitatis Corporis Christi.

9. Denique, post promulgatum hoc decretum, omnes ecclesiastici Scriptores a quavis contentiosa disputatione circa dispositiones ad frequentem et quotidianam communionem abstineant.

ART. II.

DE AETATE ADMITTENDORUM AD PRIMAM COMMUNIONEM.

284. S. Congregatio de disciplina Sacramentorum d. 8. Aug. 1910 sequentem normam de prima puerorum Communione ubique servandam statuere censuit:

I. Aetas discretionis tum ad Confessionem tum ad S. Communionem ea est, in qua puer incipit ratiocinari, hoc est circa septimum annum, sive supra, sive etiam infra. Ex hoc tempore incipit obligatio satisfaciendi utrique praecepto Confessionis et Communionis.

II. Ad primam Confessionem et ad primam Communionem necessaria non est plena et perfecta doctrinae christianae cognitio. Puer tamen postea debebit integrum catechismum pro modo suae intelligentiae gradatim addiscere.

III. Cognitio religionis quae in puero requiritur, ut ipse ad primam Communionem convenienter se praeparet, ea est qua ipse fidei mysteria necessaria necessitate medii pro suo captu percipiat, atque eucharisticum panem a communi et corporali distinguat, ut ea devotione quam ipsius fert aetas ad SS. Eucharistiam accedat.

IV. Obligatio praecepti Confessionis et Communionis quae puerum gravat, in eos praecipue recidit qui ipsius curam habere debent, hoc est in parentes, in confessarium, in institutores et in parochum. Ad patrem vero, aut ad illos qui vices ejus gerunt, et ad confessarium secundum Catechismum Romanum, pertinet admittere puerum ad primam Communionem.

V. Semel aut pluries in anno curent parochi indicere atque habere Communionem generalem puerorum, ad eamque, non modo novensiles admittere, sed etiam alios, qui parentum confessariive consensu, ut supra dictum est, jam antea primitus de altari sancta libarunt. Pro utrisque dies aliquot instructionis et praeparationis praemittantur.

VI. Puerorum curam habentibus omni studio curandum est ut post primam Communionem iidem pueri ad sacram mensam saepius accedant et si fieri possit, etiam quotidie, prout Christus Jesus et mater Ecclesia desiderant, utque id agant ea animi devotione quam talis fert aetas. Meminerint praeterea quibus ea cura est gravissimum quo tenentur officium

providendi ut publicis catechesis praeceptionibus pueri ipsi interesse pergant, sin minus, eorundem religiosae institutioni alio modo suppleant.

VII. Consuetudo non admittendi ad Confessionem pueros, aut nunquam eos absolvendi, quum ad usum rationis pervenerint, est omnino improbanda. Quare Ordinarii locorum, adhibitis etiam remediis juris curabunt ut penitus de medio tollatur.

VIII. Detestabilis omnino est abusus non administrandi Viaticum et Extremam Unctionem pueris post usum rationis, eosque sepeliendi ritu parvulorum. In eos, qui ab hujusmodi more non recedant, Ordinarii locorum severe animadvertant.

ART. III.

DE ORDINE ADMINISTRANDI SACRAM COMMUNIONEM EXTRA MISSAM.

285. Est intentio Ecclesiae, ut Communio intra Missam fidelibus distribuatur. Sed "rationabilis causa"[1] sufficit, ut Communio detur extra Missam.[2]

Distribui licet etiam immediate ante vel post Missam privatam, sed non immediate ante vel post Missam solemnem, aut cantatam, aut conventualem.[3]

"Sacerdos SS. Eucharistiam ministraturus, lotis prius manibus, et superpelliceo indutus ac desuper stola coloris Officii illius diei convenientis vel coloris albi[4] praecedente clerico seu alio ministro procedit ad Altare manibus junctis" vel deferens bursam cum corporali.[5] Duo "cerei sint accensi et

[1] Rit. Rom. et D. 17. Jul. 1894, n. 3832. 3.

[2] "Cum tamen Sacerdos, sacris vestibus indutus, rationes examinare non possit, ex quibus fideles sacra Communione refici cupiunt, fere semper eam dare debet; cumque S. R. Congregationi relatum esset, quemdam parochum fidelibus, post Missam Communionem petentibus, eam negare, ejus praxis improbata fuit. Vid. Gard. n. 4984." Schober, p. 112. Publico peccatori adhuc ex crimine diffamato etiam publice petenti Communionem denegandam esse ex Theol. Morali constat.

[3] D. 19. Jan. 1906, n. 4177. 3.

[4] D. 2740. 12. Die 2. Nov. utendum est colore violaceo aut albo. D. 19. Apr. 1912 ad X.

[5] D. 2850. 3. "Convenit ut bursa sit *ejusdem* coloris ac stola." D. 3515. 1.

ante Communicandos linteum mundum" albi coloris extensum, cujus loco non licet uti velo calicis, manutergio, casula etc.

2. Sacerdos ante gradus Altaris, deposito bireto, genuflectit in plano, surgens iterum genuflexus utroque genu in infimo gradu parumper orat; ascendit ad Altare, explicat corporale, aperit tabernaculum, "genuflectit, extrahit pyxidem et illam super corporale depositam discooperit; et facit genuflexionem. Minister genibus flexis nomine populi ad cornu Epistolae facit confessionem generalem dicens: *Confiteor* etc." Deficiente omnino ministro idoneo, ipse Sacerdos antequam Altare conscendat in infimo gradu recitabit *Confiteor.*[6]

3. "Tum Sacerdos iterum genuflectit" (nisi minister confessionem jam ad praecedentem genuflexionem perfecerit), "et manibus junctis ante pectus vertit se ad populum, advertens, ne terga vertat Sacramento, et in cornu Evangelii dicit: *Misereatur vestri* etc.," semper plurali numero. "Et addit: *Indulgentiam* etc. signans Communicandos."

4. "Deinde ad Altare se convertit, genuflectit, manu sinistra pyxidem prehendit; et duobus digitis, pollice et indice, Sacramentum accipit, et elevat," uno vel duobus digitis super pyxidis labium, "conversusque ad populum in medio Altaris" (coram Sanctissimo exposito in cornu Evangelii) "dicit clara voce: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Mox subdit: *Domine non sum dignus* etc. quod iterum, ac tertio repetit" omnia voce clara.

5. "Postea," non prius, "ad communicandum accedit," semper per gradus anteriores, "incipiens ab iis qui sunt ad partem Epistolae; sed primo, si Sacerdotibus, vel aliis ex Clero danda sit Communio, iis ad gradus Altaris genuflexis praebeatur, vel si commode fieri potest, intra sepimentum Altaris sint a laicis distincti. Sacerdotes vero cum stola communicent" coloris ejusdem quo utitur Sacerdos qui ministrat vel coloris albi, Diaconi cum stola super cottam transversa."[7]

6. "Sacerdos unicuique porrigens Sacramentum, et faciens cum eo signum Crucis super pyxidem," ad benedicendum communicaturum, "simul dicit: *Corpus Domini* etc." et propius admovens manum et pyxidem, non vero tam prope ut communicans in eam fere inhalet, imponit Sacramentum super

[6] D. 3488. 3. [7] D. 3499. 1 et 2.

linguam communicantis, tribus ultimis digitis bene clausis. Si aliquando communicandis tempus accedendi praebendum sit, Sacerdos expectans interim se convertat ad Altare.

7. "Ubi vero omnes communicaverint Sacerdos reversus ad Altare dicit:"[8]

O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, et futurae gloriae nobis pignus datur. (*Alleluja.*)

V. *Panem de coelo praestitisti eis.* (*Alleluja.*)

Minister respondet: *Omne delectamentum in se habentem.* (*Alleduja.*)

8. Mox Sacerdos dicit:

V. *Domine, exaudi orationem meam.*

R. *Et clamor meus ad te veniat.*

V. *Dominus vobiscum.* R. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili etc. *Qui vivis et regnas cum Deo P.,* etc.[9]

Tempore paschali dicitur Oratio:

Spiritum nobis, Domine, tuae caritatis infunde: ut quos Sacramentis paschalibus satiasti, tua facias pietate concordes. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

R. *Amen.*

Hae preces dicendae sunt infra ablutionem et extersionem digitorum.[10]

9. Statim ac sacerdos deposuit pyxidem super Altari et antequam eam cooperit, genuflectit.[11] Deinde "si aliquod fragmentum digitis adhaeserit, illud in pyxidem deponat," confricando digitos super illam, claudit pyxidem, "digitos abluat et abstergat." Postea "reponit Sacramentum in tabernaculo," genuflectit et tabernaculi ostiolum claudit.[12]

[8] Antiphona *O sacrum convivium, Versiculus* et Oratio *Deus qui nobis* sunt de praecepto secundum novum Rituale. *Alleluja* additur Temp. Pasch. et per Octavam Corp. Christi.

[9] Nota hoc loco conclusionem longam, ante Benedictionem Sanctissimi vero brevem.

[10] D. 14. Jan. 1898, n. 3975. 3 1.

[11] Ib. ad 3. 2.

[12] D. 3116.

10. "Deinde elevatis oculis, extendens, elevans, et jungens manus caputque Cruci inclinans" sine Altaris osculo[13] "iis, qui communicarunt benedicit" dicens:[14]

Benedictio Dei omnipotentis [conversus vero ad populum] *Patris* +, *et Filii, et Spiritus sancti, descendat super vos, et maneat semper.* R. *Amen.*

Convertens se ad Altare replicat corporale ponitque in bursa. Deinde discedit eodem modo quo venerat.

11. Haec benedictio post distributionem Communionis extra Missam semper danda est, etsi Sanctissimum sit expositum, unico excepto casu, quando datur immediate ante vel post Missam defunctorum.[15]

12. Si Communio distribuenda sit immediate ante vel post Missam privatam (non vero cantatam), calix ad cornu Evangelii et bursa in loco solito collocatur; reliqua ut supra.

13. Communio distribui potest "tempore quo in Ecclesia Missae celebrantur, vel ad formam Rubricae vel ad formam indulti eidem Ecclesiae concessi"[16] etiam ante auroram vel post meridiem, imo "sub vesperis, i. e. in extrema diei parte, si accedat aliqua specialis causa."[17] Nocte Nativitatis Domini Communio distribui nequit, nisi in religiosis institutis etc., de quibus supra n. 17. adn. 3. huj. Compendii.

14. Quando Sacerdos immediate ante vel post Missam sacris paramentis indutus, vel omnino extra Missam, cum superpelliceo et stola sacram Communionem distribuit [solis] Monialibus, quae habent Chorum retro post Altare, debet post recitatum *Confiteor* deponere Ciborium ad fenestellam Chori, et ibi ad Moniales conversus dicere *Misereatur* etc.[18]

ART. IV.

DE ORDINE ADMINISTRANDI S. COMMUNIONEM INTRA MISSAM.

286. "Communio populi intra Missam statim post Communionem Sacerdotis celebrantis fieri debet."[1] Calicem igitur palla tegit et paululum ad cornu Evangelii removet. Deinde

13 D. 2704. 6.
14 Nov. Rituale IV. 2.
15 D. 30 Aug. 1892, n. 3792. 10.
16 D. 2572. 23.
17 S. Lig. VI. (V.) 252.
18 D. 6. Feb. 1892, n. 3764. 14. Cfr. D. 3800.
1 Rituale Romanum: Ordo admi[illegible] Communionem.

sumit pyxidem, vel si pauci [circiter sex] sint communicandi, patenam cum s. particulis, et dicto *Confiteor*[2] etc. omnia peragit ut no. prae. 3-7; at pollicem et indicem non separat. Quod tamen liceret, si alias in longiori distributione difficilius pyxidem tenere posset, modo prius digitos in vase laverit.[3] "Finita Communione revertitur ad Altare, nihil dicens: non dat eis benedictionem, quia illam dabit in fine Missae. Deinde dicit secreto: *Quod ore sumpsimus* etc."

2. S. R. Congreg. declaravit: "Posse etiam in Missis defunctorum, cum paramentis nigris, S. Communionem fidelibus ministrari, etiam ex particulis praeconsecratis, extrahendo pyxidem a tabernaculo. Posse item in paramentis nigris ministrari Communionem immediate post Missam defunctorum; data autem rationabili causa, immediate quoque ante eamdem Missam; in utroque casu omittendam esse benedictionem,"[4] non vero Orationem cum Versiculis; sed *Alleluja* etiam tempore paschali omittendum.[5]

3. Ex Decreto Generali S. R. C. 14 Aug. 1894 elucet praxis S. Communionem Religiosis utriusque sexus in votorum professione et renovatione intra Missam administrandi: *In professione,* Sacerdos, ad profitentes conversus, S. Hostiam manu tenens, post uniuscuiusque professionem elata voce emissam, S. Communionem singulis impertitur. *In votorum* vero *renovatione,* Sacerdos, dum omnes simul formulam renovationis recitant, manet ad Altare conversus, et post recitationem tantum omnibus S. Communionem distribuit.[6]

[2] *Confiteor* in Missa Pontificali a Diacono canendum est; in Missa solemni vel alta voce dicendum vel cantandum juxta consuetudinem; in Missa solemni de *Requiem* alta voce dicendum est. C. Episc. I. 9. 6. et II. 29. 3.; et S. C. R. 28. Nov. 1902, n. 4104. 2.

[3] Minister communicandus est ante ceteros quamvis digniores, D. 1074.—Laico Missae inservienti Sacra Communio ministrari potest in ora suppedanei Altaris, etiamsi non sit indutus habitu clericali. D. 8. Jun. 1911, n. 4271. 1.

[4] D. 3177.

[5] D. 3465.

[6] Cf. D. 14. Aug. 1894, n. 3836.

ART. V.

DE COMMUNIONE INFIRMORUM.

287. A. Delatio Viatici publica. Quando SS. Sacramentum manifeste ad infirmum deferri potest, ut in Catholicis regionibus, vel hic in nosocomiis, monasteriis etc. "defertur honorifice, semper lumine praecedente. . . Sacerdos indutus superpelliceo et stola et, si haberi potest, pluviali[1] albi coloris . . . imposito sibi oblongo velo, utraque manu accipiat vas cum Sacramento," quod integrum cooperiat extremitatibus hujus veli humeralis.[2] "Sacerdos Sacramentum gestans dicit psalmum *Miserere* et alios psalmos et cantica," aut recitat Litanias vel Rosarium etc.[3]

2. **B. Delatio Viatici occulta.** Ordinarii ex justa et rationabili causa permittere possunt, "ut mala affectis valetudine, qui domo egredi nequeant et Communionem ob devotionem petant, cum praesertim in aliqua paroecia plures petant, vel aliquis petat frequenter, S. Eucharistia privatim, seu non observatis Ritualis praescriptionibus, ab ecclesia domum deferatur."[4] Quando Sacerdos hac facultate utitur, sequentia observanda sunt.

Duobus cereis accensis manibusque lotis Sacerdos superpelliceo et stola alba indutus[5] modo consueto SS. Sacramentum "ponit in pyxide seu parva custodia," non plures particulas quam sunt infirmi communicandi. Clauso tabernaculo SS. Sacramentum super Altari relinquit,—vel juxta alios in sacristia super mensam deponit, debitis genuflexionibus,—ibidem stolam et superpelliceum exuit (simulque vestem talarem, si illam super vestes saeculares induerat). Deinde assumit, quae requiruntur pro Viatico administrando; nempe Rituale, superpelliceum revolutum, stolam albam,[6] quam "semper habeat propriis coopertam vestibus,"[7] manutergium parvum

[1] Pluviale non est de praecepto, Gard.

[2] D. 2017.

[3] Baruff. Caval.

[4] S. C. de disc. Sacram. 23. Dec. 1912.

[5] C. Pl. Balt. II. Decr. 264.

[6] Etiam feria VI. in Parasceve. D. 2383.

[7] Bened. XIV. Const. 2. Feb. 1744; et S. C. de disc. Sacram. 23. Dec. 1912.

et corporale, nisi in bursa cum Sanctissimo sit reconditum.

(Praeterea, si Extrema Unctio simul sit administranda, assumit Oleum infirmorum cum bombaceo, et, si forte apud infirmum non exstent, Crucem parvam, cereum et aquam benedictam, nisi illam in cubiculo ad usum infirmi benedicere velit.)[8]

Deinde de Altari vel mensa sacristiae pyxidem parvam cum SS. Sacramento accipit, quam in sacculo seu bursa reconditam "per funiculos collo appensam in sinu reponat: et nunquam solus procedat, sed uno saltem fideli, in defectu clerici, associetur."[9] "Injungimus Presbyteris strictam obligationem semper in hisce casibus sanctam hostiam super pectus deferendi."[10]

"Dum Sanctissimum deferunt, vana et inutilia evitent eloquia; piae potius contemplationi vel precibus [e. g. Rosario] dent operam."[11]

288. C. Administratio Viatici. "Ingrediens vero locum ubi jacet infirmus," i. e. cubiculum, "dicat:"

V. *Pax huic domui.* R. *Et omnibus habitantibus in ea.*

"Tum depositum Sacramentum super mensa, linteo mundo cooperta, [cum duobus cereis[1]] genuflexus adorat, omnibus in genua procumbentibus." Quandocunque postea accedit ad SS. Sacramentum vel recedit, genuflectit.

[8] Quae omnia sine mora assumi possunt, si certo semper loco simul composita asserventur.

"'It would be desirable to have a small box containing all the requisites, which the priest could bring with him or send before him. This is strongly recommended by the first Synod of Westminster to priests on the English mission.'—O'Kane.

[9] Uti adn. 7.

[10] Lit. Encycl. S. C. de P. F. confirm. a Pio IX. ad Archiep. Balt. F. P. Kenrick, 25 Febr. 1859. Cf. C. Pl. Balt. II. n. 264.

"In our first edition we said that it might be done also by putting the pyxis with its covering into a pocket made in the vest for this purpose, and used for no other. But the Sacred Congregation of Rites, referring to this matter, requires that, when the Blessed Eucharist is carried privately, what the Rubric prescribes be observed in every particular. In hoc casu adamussim servetur quod praescribit Rubrica.'' O'Kane, n. 807. Cf. Rit. Rom. de Com. infirm. n. 10 in fine.

[11] Pl. Balt. II. n. 264.

[1] Cf. Rit. n. 7 et 8.

2. Deinde induit superpelliceum et stolam.[2]

3. "Accepta aqua benedicta aspergit infirmum et cubiculum, dicens antiphonam: *Asperges me* etc., et primum versum Ps. *Miserere* etc.," cum V. et Oratione ut in Rituali.

[2] S. Sedes facultatem concessit *deferendi* occulte SS. Sacramentum,'' minime vero illud extrahendi e tabernaculo vel ministrandi in domibus sine superpelliceo etc. Immo monet Concilium Pl. Balt. II. Decreto 264: ''Infirmis S. Eucharistiam ministrantes, praescripta Ritualis Rom. in quantum circumstantiae sinunt, diligentissime servent.''

S. R. C. praecepit, ut eliminetur consuetudo, portandi *et ministrandi* infirmis SS. Sacramentum cum stola super vestem communem absque cotta sive superpelliceo, in Parochiis ruralibus ubi longum est iter, et servetur Ritualis Rom. praescriptum (16 Dec. 1826, Gandaven. n. 2650). Idem a S. Congr. pro Extrema Unctione administranda mandatur.

''Cum Viaticum aegrotantibus publice ferri non potest, Sacerdos illud deferat in bursa decenter ornata, vel portatili pyxide ad collum appensa et gremio sub veste innixa, quae parvis corporalibus et purificatoriis mundis instruatur. Item viaticum administrari non debet, nisi luceant cerei, praeter casum necessitatis, et nisi Sacerdos induatur superpelliceo et stola, quae semper induere debet quotiescumque in Ecclesia vel extra Ecclesiam sacras functiones exercet.'' Syn. D. Neo-Aurelian II. no. 30.

''Ministrare Eucharistiam sine stola et superpelliceo communiter censent Doctores esse mortale ex genere suo.'' S. Alph. Lig.

''With us the priest goes to the house of a sick person in his ordinary dress; but he should bring with him, or contrive to send before him, the vestments which the rubric requires him to wear.'' O'Kane, n. 797. Quod etiam ab antiquis Missionariis americanis saltem in pluribus Dioecesibus religiose observatum est et observatur. Nihil valet incommodum, secum ferendi parvum et tenue superpelliceum; nil valet consuetudo in quibusdam locis contra praeceptum liturgicum. Si cui superpelliceum sine veste talari absonum videatur, secum ferre potest vestem talarem tam tenuem ut in itinere simul cum superpelliceo tam facile portari possit quam tempore pluviae id quod vulgo dicunt *umbrella*.

''No doubt, the inconvenience of bringing it [a soutane or cassock] is often so great as to justify the priest in dispensing with it. But surely it is not always so. For example, there can be no great inconvenience if he goes to the place on a car or other vehicle, or if he is accompanied by the messenger who came for him. The soutane, for instance, might be of very light material, made without sleeves and so as to fit easily over the ordinary coat; it could thus be carried without much inconvenience along with the surplice, both being, as we suppose, compressible into very small bulk.'' O'Kane, n. 917

4. "His dictis accedat ad infirmum, ut cognoscat num sit dispositus et velit confiteri," etsi antea confessus sit.

Verus quidem compassionis affectus aegroto exhibeatur, sed ante sacramentorum administrationem vix de ipsius conditione inquirendum est, quia aegrotus forte exponens, qualia et quanta patiatur, nimis dissipetur.

In ista confessione aegrotus contra praecipuas tentationes tempore morbi vel mortis praemuniri, et in patientiam et fiduciam erga Dei misericordiam, SS. Cor Jesu ejusque S. Vulnera etc. erigi potest.

5. Ad S. Communionem infirmus apte praeparetur per actus fidei etc. prout tempus, infirmitas etc. permittat. Breviores saltem preces semper fere recitari possunt, omnibus genuflectentibus.[3]

6. "Postea facta de more confessione generali (*Confiteor*) sive ab infirmo, sive ejus nomine ab alio, Sacerdos dicit: *Misereatur tui* etc., *Indulgentiam* etc."

"Deinde facta genuflexione accipit, Sacramentum more solito dicens: *Ecce Agnus Dei* etc. et ter: *Domine non sum dignus* etc. Et infirmus simul dicat saltem semel."

"Tum Sacerdos dans infirmo Eucharistiam, dicat: *Accipe, frater* (vel *soror*) *Viaticum* etc."

7. Sacerdos infirmo Communionem distribuens semper dicere debet *Misereatur tui* etc., sive infirmus accipiat Viaticum, sive communicet ex devotione. Si sacerdos in altari penes infirmum celebrat, dicendum est *Misereatur vestri*.[4] Formula *Accipe frater Viaticum* etc. adhiberi potest, quandocunque eidem infirmo in mortis periculo administratur; juxta alios adhibetur tantum pro prima vice in eodem morbo.[5]

8. "Quod si mors immineat, et periculum sit in mora, prae-

[3] E. g. O Jesus, my God and my Savior, I believe in Thee. I most humbly adore Thee here present in the Blessed Sacrament.

I hope in thy infinite mercy, in thy precious blood and holy wounds. I love Thee, O infinitely good and loving God, with my whole heart and soul.

I am most heartily sorry for all my sins. Nothing shall ever separate me from thy holy love. Come, then, dear Jesus, and enter into my poor heart.

Vid. libellus *Vade mecum ad infirmos pro Missionariis Americae Sept. continens preces lingua anglica et germanica pro cura infirmorum utiles.* Apud Herder. St. Louis, Mo. Pag. 8 vid. preces prolixiores.

[4] D. 16. Nov. 1906, n. 4193. 4

[5] Cf. O'Kane, n. 777.

dictis precibus omnibus vel ex parte omissis, ei statim Viaticum praebeatur."

9. "Postea Sacerdos abluat digitos, et infirmo detur ablutio," sive per Sacerdotem sive per alium.

Si pyxis statim ad Ecclesiam reportari nequeat, ut in Missa purificetur, convenit ut statim purificetur hoc modo: Sacerdos aquam super pollicem et indicem dextrum in pyxidem, et ex pyxide in cochlear aliudve vas infundit, ex quo porrigitur infirmo. Postea extergitur pyxis purificatorio.

Si ablutio digitorum aegroto dari nequeat, reportetur ad Ecclesiam, aut in ignem injiciatur.[6] Licet quoque digitos purificatorio madefacto lavare et simul abstergere.[7]

10. "Deinde dicat: *Dominus vobiscum* etc. cum Oratione, *Domine sancte, Pater omnipotens* etc." etiam post Communionem extra mortis periculum administratam.

In gratiarum actionem etc. infirmo breves actus suggerantur.[8]

11. "His expletis," (vel quando Extrema Unctio et benedictio Apostolica sit impertienda, ultimo ante recessum,) "si altera particula Sacramenti superfuerit," Sacerdos [velo humerali indutus] "accipiens vas cum Sacramento" illudque velo cooperiens, "facit cum eo signum Crucis super infirmum, nihil dicens, revertitur ad Ecclesiam dicendo Ps. *Laudate Dominum de coelis* etc. et alios psalmos et hymnos. Cum pervenerit ad Ecclesiam, ponit Sacramentum super Altare, adorat, deinde dicit: *Panem de coelo*, etc. (*Alleluja.*) *Dominus vobiscum* etc. *Oremus. Deus qui nobis*[9] etc. [cum conclusione breviori]. Deinde annuntiat [generaliter, non specialiter enumerando] Indulgentias a summis Pontificibus concessas SS. Sacramentum comitantibus."[10]

[6] Cav. Baruff.

[7] Baruff. Falise.

[8] E. g. O my dearest Jesus, I return Thee heartfelt thanks for having deigned to come to me, a poor sinner. I praise and adore Thee, and with heartfelt love I welcome Thee a thousand times.

O Jesus, I give Thee my heart for evermore. I will love Thee for ever and ever. Nothing shall ever separate me from thy love, neither tribulation nor distress neither want nor suffering, neither life nor death.

O Jesus, I live for Thee. My Jesus, I will die for Thee. My Jesus, I am thine in life and in death. Soul of Christ, sanctify me, etc.

Vide *Vade mecum*, pag. 10.

[9] Etiam tempore Paschali D. 2089. 7.

Indulgentia 7 annorum

12. "Postea cum Sacramento in pyxide velo [humerali] cooperta faciat signum Crucis super populum nihil dicens." His duabus tantum vicibus, (hic et antea apud infirmum,) benedictio Sanctissimi cum pyxide datur. Omittenda est feria VI. in Parasceve.[11]

13. "Quod si sumpta fuerit una tantum particula, tunc ea infirmo administrata, Sacerdos eum [in fine] manu benedicit," dicens *Benedictio Dei* etc.

14. Quando pluribus infirmis in eodem cubiculo S. Communio detur omnia semel dicuntur pro omnibus, excepto *Accipe Viaticum* etc. vel *Corpus Domini* etc.

15. "Diaconus, qui defert s. Viaticum infirmis, deficiente Presbytero et Ordinarii concurrente licentia, potest facere adspersionem aquae benedictae, dicere *Misereatur, Indulgentiam,* signare infirmum, dicere *Dominus vobiscum* cum Oratione, et benedicere cum SS. Sacramento infirmum et assistentes."[12]

16. "Nemo ad prandendum aut cibum ullo modo accedat, dum hunc cibum Angelorum secum portat; sed potius domum statim revertatur, et in tabernaculo pyxidem reverenter collocet. In corde habeant Sacerdotes verba illa: *Jesu, quem velatum nunc aspicio* etc."[13]

et 7 Quadrag. pro comitantibus SS. cum lumine; (*b*) Indulgentia 5 annorum et 5 Quadrag. pro comitantibus illud sine lumine; (*c*) Indulgentia 100 dierum pro iis, qui illud comitari non valentes dicunt *Pater* et *Ave* ad intentionem summi Pontificis dum SS. Sacramentum ad infirmum ferri conspiciunt; etc.

[11] D. 2383.

[12] D. 3074. 1.

[13] C. Tuam. III.

CAPUT V.

DE SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS.

ART. I.

ANIMADVERSIONES PRAEVIAE.

289. S. Oleum infirmorum in Ecclesia vel sacristia conservandum est "loco nitido et decenter ornato," e. g.: intus pannis sericis violacei coloris et extra cum inscriptione *S. Oleum infirmorum;* "sub clave ac tuta custodia."[1]

2. Domi loco decenti ac tuto conservari licet solummodo in casu necessitatis, e. g. quando ob longam distantiam ab Ecclesia "periculum praevidetur, ut si Sacerdos vocatus ad conferendam unctionem praesto non esset:"[2] "quo in casu omnino servetur etiam domi Rubrica quoad honestam et decentem tutamque custodiam."[3]

3. Non licet s. Oleum in tabernaculo SS. Sacramenti, licet in loculo separato, conservare, vel simul cum Sanctissimo, e. g. in bursa vel Cruce quadam ad infirmos deferre. "Parochus vas s. Olei infirmorum sacculo serico violacei coloris inclusum caute deferat."[4]

4. "Debet autem hoc Sacramentum infirmis praeberi, qui, cum ad usum rationis pervenerint, tam graviter laborant, ut mortis periculum imminere videatur; et iis qui prae senio deficiunt, et in diem videntur morituri etiam sine alia infirmitate."

5. Pueris igitur dandum est, qui "censentur capaces Sacramenti Poenitentiae, quamvis nondum tanta polleant judicii maturitate ut videantur apti ad rite participandam Eucha-

[1] Conc. Lat. IV.
[2] S. Alph. Lig.
[3] D. 2650. 3; cf. 15. Nov. 1890, n. 3739. 2; et 23. Jun. 1892; n 3779. 7.
[4] Rit. Rom.

ristiam, de cujus ineffabili excellentia et sanctitate non ita facile edoceri queunt."[5]

Item conferri debet neophyto aegroto recenter baptizato;[6] amentibus seu delirantibus, qui antea "illud petierint seu verisimiliter petiissent, seu dederint signa contritionis."

6. "Omni studio ac diligentia periculose aegrotantibus adhibendum est,"[7] seu aegrotantibus non tantum in certo sed etiam in probabili seu dubio mortis periculo. Ita potest valide et licite inungi infirmus qui jaceat hectica febri (*consumption*) correptus, quamvis pluribus adhuc mensibus aut etiam anno integro victurus praevideatur.[8] "Gravissime peccant [Parochi], qui illud tempus aegroti ungendi observare solent, quum jam, omni salutis spe amissa, vita et sensibus carere incipiat,"[9] imo aegrotum exponunt periculo moriendi sine Extremae Unctionis sacramento. Dilatione indebita per notabile morbi tempus aegrotus privatur speciali hujus sacramenti gratia quando illa tantopere indiget; privatur igitur speciali et abundantiori auxilio, quo aegrotus spiritualiter sublevatur atque confortatur ad sustinendos insultus atque tentationes diaboli easque vincendas, ferendaque cum patientia et merito morbi incommoda et dolores, imo ea auferenda sanitatemque restituendam, si ad salutem aegroti expedierit. Quae restitutio sanitatis non efficitur "per modum miraculi," seu ita ut Deus propter sacramentum apertum miraculum patret, sed solum ita, ut speciali providentia naturalia remedia dirigat et adjuvet. Quare aegroti hoc effectu privantur, si Extremae Unctionis susceptio tam diu differatur, dum sine miraculo sanitati restitui non possint.[10]

[5] Bened. XIV. syn. Dioec. VIII. 6, 2. "When it is doubted whether a child has attained the use of reason, the sacrament should be conferred conditionally." O'Kane, n. 860.

[6] S. C. de Prop. F. 26 Sept. 1821.

[7] "As soon as it can be prudently pronounced that one is in danger of death from sickness, even though the danger be not proximate, even though there be a hope of recovery, the sacrament may be administered; and there is a strict obligation of not deferring it till the last moment." O'Kane, n. 859.

[8] Sabetti, n. 828, juxta S. Alphons. etc.

[9] Catech. Rom. II. 6, 9.

[10] S. Alph. Bellarm. Cf. Lehmkuhl, II. n. 567.

"Cum hoc Sacramentum administratur, nulla a fidelibus oblatio petatur" Syn. Plen. Hib. n. 104.

7. "In eadem infirmitate iterari non debet, nisi diuturna sit, ut si, cum infirmus convaluerit, iterum in periculum mortis inciderit;" et iterari potest, quamvis *dubitetur* an revera status morbi mutatus fuerit, si adsit scilicet ratio probabilis existimandi infirmum exiisse e periculo mortis.[11]

"Jam est quasi alius infirmitatis status, quamvis non sit alia infirmitas simpliciter."[12]

ART. II.

DE ORDINE MINISTRANDI SACRAMENTUM EXTREMAE UNCTIONIS.

290. "Sacerdos intrans cubiculum dicit V. *Pax huic domui* etc. Deinde deposito Oleo super mensa," mappa candida cooperta, et cerea candela accensa,[1] "superpelliceo et stola violacea indutus," excepto solo casu necessitatis,[2] "aegroto Crucem pie deosculandam porrigit; mox in modum Crucis," i. e. in medio, a sinistris et a dextris suis "eum aqua benedicta, et cubiculum et circumstantes aspergit dicens Antiphonam: *Asperges me* etc." Si immediate praecedat S. Communio, V. *Pax huic domui* etc. et aspersio omittitur, et sumitur stola

11 Sabetti l. c. O'Kane, n. 880: "Generally speaking, changes for the better do take place in diseases of lengthened duration, as consumption or dropsy. In one of these, a person in manifest danger of death at present may be over this danger in a few days, and be tolerably well for several weeks or months, although it is known that the disease still continues, and is even likely to end fatally. In such a case, when the disease takes another turn, and the person is again in similar danger, Extreme Unction may be again administered, for, though the disease is the same, the *state* of the disease is different. N. 881. It often happens that, all things considered, there is a doubt whether the state of the disease has really changed—whether the danger has at any time ceased or has all along continued; and in this case of doubt the priest is recommended to administer the sacrament again, as more in accordance with the ancient practice of the Church. (Bened. XIV. In Supplem. 3 p. Q. 33.) Now it may be contended that there is, generally speaking, ground for such a doubt in the case of any one who lives a month after receiving Extreme Unction, and is still in danger of death."

12 Bened. XIV. l. c.

1 Rit. Rom.

2 D. 2650. 2. 2.

coloris violacei. "Quod si aegrotus voluerit confiteri, audiat illum, et absolvat."

2. "Deinde piis verbis illum consoletur, et de hujus Sacramenti vi, atque efficacia, si tempus ferat, breviter admoneat." Quae ad conditionem aegroti specialius spectant, plerumque in ipsa confessione dici possunt; "paucis verbis, cum suavitate et opportunitate, ne aegro molestiam sed levamen afferat; si infirmus sit timoratus, pauca et gravia sunt adhibenda verba; si fuerit peccator aut liberioris vitae, suavia, ne deterreatur et in desperationem inducatur, nisi forte vixerit in damnabili securitate, quo casu efficaciter excitandus est, sed ita tamen ut periculum desperationis praecaveatur."[3]

Actus fidei etc. elici possunt, recitando, omnibus genuflectentibus, preces breves.[4]

3. "Postea dicat: *Adjutorium nostrum* etc." cum tribus Orationibus uti in Rituali. "Quae Orationes, si tempus non patiatur, ex parte vel in totum poterunt omitti."

"Tum de more facta confessione generali latino vel vulgari sermone, Sacerdos dicat: *Misereatur tui* etc. *Indulgentiam,* etc." Debet repeti *Confiteor,* etsi ante Communionem recitatum fuerit.[5] "Antequam incipiat ungere infirmum, moneat adstantes, ut pro illo orent, et ubi commodum fuerit, recitent septem psalmos poenitentiales cum Litaniis, vel alias preces," e. g. Rosarium vel Litanias SS. Nominis Jesu, vel B. M. V.

4. "Mox dicat: *In nomine Patris* etc." infirmum ter benedicens, et deinde tenens dextram extensam, (vel pro arbitrio non extensam) infra hanc Orationem.

Tunc ipse manu sinistra tenet vas s. Olei et sex globulos bombacei super patinula positos, et minister tenet librum, aut vice versa; et fiunt s. unctiones.

5. Unctiones faciendae sunt pollice dextro per modum Crucis. In membris geminis incipitur a dextro; tunc Sacerdos, "caveat ne alterum ipsorum inungendo Sacramenti formam prius absolvat, quam ambo hujusmodi paria membra

[3] De Herdt, III. 204.

[4] E. g. O my dearest Savior Jesus Christ, who, out of pure mercy, hast instituted the holy Sacrament of Extreme Unction for the consolation of the sick, behold, I, a poor sinner, have recourse to this heavenly means of grace, etc. V. Vade mecum ad infirmos, pag. 14.

[5] S. C. Ind. 5 Feb. 1841.

perunxerit." Si forte erret, sumendo unum oleum pro altero, reiteret unctiones sub conditione.

6. Facienda est unctio 1ª ad oculos seu in superciliis vel palpebris; 2ª ad aures, i. e. in ima auricula; 3ª ad nares, i. e. super extremitatem summitatis nasi unica unctione vel juxta alios duplici unctione; 4ª ad os, labiis compressis; quod si commode fieri nequit, sufficit alterutrum labrum inungere; 5ª ad manus in media palma interiori; "Presbyteris exterius ungantur;" 6ª ad pedes in superiori parte vel in plantis; 7ª ad lumbos sive renes ad latera seu ad summitatem ossis femoralis, quae unctio "omittitur semper in feminis," atque in Excerptis Ritualis Rom. notatur: "Usus invaluit in his Provinciis istam unctionem etiam in viris semper omittendi."

"Post quamlibet Unctionem tergat loca inuncta novo globulo bombacei vel rei similis, eumque in vase mundo reponat, et ad Ecclesiam postea deferat comburat, cineresque projiciat in sacrarium."

7. Omnibus unctionibus peractis Sacerdos pollicem medulla panis, (vel farina aut sale) perfricat, manus lavat et abstergit, atque lotionem etc. nisi commode secum ferre et in sacrarium mittere possit, statim in ignem conjici curet. Si vero nimia videatur interruptio, praesertim si infirmus ad mortem acceleret, prius preces absolvit, cavendo, ne interim pollice aliquid tangat.

8. Postea Sacerdos reliquas preces ex Rituali recitat et "salutaria monita breviter praebere poterit," dicendo preces breves lingua vernacula, (saltem si infirmus non videatur fatigatus nec Benedictio Apostolica sequatur).

"Denique aquam benedictam et Crucem, nisi aliam habeat, coram eo relinquat, ut illam frequenter adspiciat, et pro sua devotione osculetur et amplectatur."

"Admoneat etiam domesticos et ministros infirmi, ut si morbus ingravescat, vel infirmus incipiat agonizare, statim ipsum Parochum accersant, ut morientem adjuvet, ejusque animam Deo commendet: sed si mors immineat, priusquam discedat, Sacerdos animam Deo rite commendabit."

ART. III.

DE MINISTRANDA EXTREMA UNCTIONE IN CASU INSTANTIS MORTIS.

291. Si infirmus videatur in extremis et periculum imminere, omittuntur preces praecedentes. Sacerdos tali infirmo suggerit actus contritionis paucis verbis, (e. g. "Dicas in corde tuo: O Jesu, Deus et Salvator mi, doleo de peccatis meis quia amo te; accuso me de peccatis meis;—visne?") Et detur sacramentalis absolutio. Si vero tempus suppetat, etiam confessio brevis praemittitur. Statim aegrotum de ministranda Extrema Unctione monet, ne intentio in ipso desit, dicit *Confiteor, Misereatur,* etc. uti in Rituali.

2. Si vero ad hoc non videatur tempus sufficere, statim, data absolutione, incipit unctiones:

Per istam sanctam unctionem etc.

3. Si autem infirmus videatur in ultima agonia constitutus et periculum immineat, ne moriatur priusquam singulae unctiones fiant, Sacerdos praemittit, ut supra, brevissime actum contritionis, absolvit, et sine mora inungit sub hac forma: *Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti. Amen*[1]—inungendo in fronte vel in unico sensu magis ad unctionem exposito. Unica enim unctio sufficit ad validitatem Sacramenti Extremae Unctionis; neque requiritur, ut fiat expressio sensuum sive generalis sive particularis, ut olim Theologi putarunt. Nec oportet, ut postea in singulis sensibus consuetae unctiones sub conditione peragantur sub specialibus formis, quia praefata forma generalis est virtualiter multiplex. A gravi tamen culpa excusari nequeunt, qui extra casum verae necessitatis, vel unam ex quinque sensuum unctionibus praetermittunt. (Cf. Ephem. Lit. XX. p. 451.)

4. Si aegrotus supervivat, "dicantur Orationes praetermissae," excepto *Confiteor* etc. "Si vero dum inungitur, infirmus, decedat, Presbyter ultra non procedat" et recitet preces post exspirationem: *Subvenite Sancti Dei,* etc.

5. "Si dubitet an vivat adhuc" infirmus, sive ab initio sive inter unctiones, Sacerdos "Unctionem prosequatur, sub condi-

[1] Decretum S. Officii 25 Apr. 1906.

tione [saltem mentali] pronuntiando formam, dicens: *Si vivis, per istam sanctam Unctionem* etc."

6. Si *pluribus simul* in eodem cubiculo, e. g. in nosocomiis, Extrema Unctio administratur, preces ante et post unctiones semel recitentur in plurali, unicuique autem Crux osculanda porrigatur, et unctiones cum formis super singulis repetantur. Si preces istae in plurali commode recitari nequeant, sufficit, easdem in singulari numero pronuntiari, quia singulariter dicta de unoquoque seorsum sumpta etiam intelliguntur.[2]

ART. IV.

DE EXTREMA UNCTIONE ADMINISTRANDA IN MORBIS CONTAGIOSIS ALIISVE DIFFICULTATIBUS

292. Ob morbum contagiosum Orationes ante et post Extremam Unctionem vel Viaticum *per se* non sunt omittendae. At si grave et extraordinarium subsit periculum sive ipsi Sacerdoti sive aliis per ipsum, preces istae non essentiales omitti vel alibi recitari possunt; tunc enim cessat lex positiva ob grave periculum vel incommodum, in quo necessitas excusat. Quando tale existat periculum vel incommodum, generaliter dici nequit, sed prudenti judicio determinandum est.[1]

2. Tale periculum vel incommodum occurrere potest etiam ex majori numero aegrotantium, e. g. in proelio, in extraordinaria calamitate in via ferrea, vel tempore epidemiae, praesertim in majoribus nosocomiis etc., quando timendum est, ne Sacerdos omnibus aegrotis sat tempestive succurrere non possit, vel tempore sibi (e. g. in nosocomio saeculari a medicis) assignato omnia perficere non valeat. Ecclesia enim vult preces istas non essentiales in angustiis istis potius omitti, quam aegrotos quosdam forsan sine sacramentis vel benedictione apostolica in articulo mortis ex hac vita decedere.

3. Immo gravi existente infectionis periculo, unctio non tantum renum sed etiam pedum omitti potest, quia neutra pertinet ad substantiam sacramenti.[2] Item tempore pestis vel alia urgente necessitate poterit adhiberi una unctio in

[2] De Herdt, III. 209.

[1] Cf. De Herdt, III. 207.

[2] S. Alph. Lig. VI. 710; Bened. XIV. Syn. dioec. VIII. 3, 2.

fronte vel aliquo sensu[3] (ut supra, n. 291, 3). At monet Benedictus XIV.: "Ne vero Parochi hac libertate abutantur, expedit, ut Episcopus simul serio eosdem admoneat a gravis culpae reatu non excusari qui extra casum verae necessitatis vel unam ex quinque sensuum unctionibus praetermittit." Etiam orationes in Rituali extra necessitatis casum sub gravi sunt praescriptae. Litaniae vero vel psalmi ab assistentibus recitanda sunt tantum de consilio.[4]

4. Ob infectionis periculum unctiones fieri possunt cum virgula, quae post quamlibet unctionem, antequam in s. oleum reponatur, purganda est per stuppam, ne oleum inficiatur aliisque infirmis postea periculum afferat;—vel diversae virgulae ligneae ad singulas unctiones adhibeantur posteaque comburantur. Idem valet pro rabidis (ex hydrophobia), quorum saliva inficiendi vim habet. Ipsorum unctio non in labiis sed in loco vicino fieri potest. Pro morbis contagiosis convenienter adhibetur vasculum s. olei distinctum ab eo quod pro aliis infirmis adhibetur.[5]

[3] Ibid. et S. Offi. 25. Apr. 1906.

[4] "The second case [omittendi quasdam unctiones, a fortiori omittendi orationes istas Ritualis] is that in which the sacrament is to be administered to a number of sick, and in which there is danger that, if the five unctions are applied to each, there will not be time to administer the sacrament to all. This case must be of frequent occurrence in time of epidemic, and must, no doubt, be often dealt with by military chaplains in time of war, when they have to administer the last sacraments to a number of wounded men together." O'Kane, n. 874, citans "Modo Pratico dal P. M. Antonio Brandimarte. Roma."

[5] "In time of pestilence, if the priest apprehends danger from using his thumb, he may apply the oil by means of an instrument. To preserve the oil from being tainted, the instrument, which may be of any material, ought to be wiped with cotton after each unction, before it is again dipped into the vessel of oil; or, if it be of wood, a different piece may be used for each unction, and burned immediately after use. The mouth may be anointed in this way in case of hydrophobia. . . If there be no instrument at hand, the priest might use a little cotton dipped in the oil, being careful to burn it after the unction." O'Kane, n. 927.

CAPUT VI.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

ART. I.

ANIMADVERSIONES PRAEVIAE.

293. Parochus "pueros quosdam bona indole praeditos et indicia praebentes ex quibus judicari possint idonei ad sacerdotium, ad pietatem singulari studio instruat, primis scientiae sacrarumque disciplinarum elementis imbuat, atque si opus fuerit, etiam ex propria pecunia adjuvet, quo studiorum curriculum in aliquo minori Seminario prosequi possint."[1]

2. Pro iis qui ad Sacerdotium promovendi sunt, fidelium preces, praesertim in Ecclesia paroeciae istorum orginis vel domicilii, efflagitentur. Quod quidem juxta Concilii Trid.[2] mentem fieri potest sequenti proclamatione, ob varias rationes perutili.[3]

Forma denuntiandi Ordinationem.

Dearly beloved Brethren:—

It was the custom of the first Christians to fast and to pray, before the Apostles by the imposition of hands conferred the holy priesthood upon those whom God had chosen and whom the Holy Ghost was to send to preach the divine word (Acts XXIII. 3). In accordance with this venerable custom holy Church enjoins on all her children to fast during the ember days which occur in the four seasons of the year, and which are specially set apart as the time for conferring holy orders upon her chosen ministers; and she admonishes all the faith-

[1] C. Queb. II. 22.
[2] Sess. 23 de ref. c. 5.
[3] Cf. Instr. past. Eyst.

ful to unite in fervent prayer, in order to draw down blessings from the Throne of Mercy, and to importune God to give to His Church priests "according to His own heart," who shall be worthy the sublime dignity which is about to be imparted to them.

You have strong reasons, dearly beloved Brethren, to heed this invitation of holy Church: for the priests are appointed by God to repel with undaunted courage the fierce attacks which are made especially in our day on the sanctuary of our holy faith; to be the chosen instruments of our Savior Jesus Christ, whereby you are to be redeemed and sanctified, that "He might cleanse to Himself a people acceptable, a pursuer of good works" (Tit. II. 14). All this should be made manifest in the purity of their lives, in which they are to be a shining light for you; in the fidelity with which they are to watch over you; in the love wherewith they are to guide you; in the prayers which they are unceasingly to send up for you to the eternal High Priest in Heaven.

Therefore it has ever been deemed meet and just, right and available unto salvation, that the faithful, for whom "every priest is ordained in the things that appertain to God" (Hebr. V. 1), should also have an interest in the ordination of the clergy, and should be made acquainted with the names of those who are to be promoted to the dignity of the priesthood.

It is a special mark of divine favor when it pleases God to choose from a congregation those persons whom He deigns to call to His ministry and to admit to his Sanctuary. He in a manner visits such a congregation with the same grace with which He visited the house from which He chose His servant David. And such a congregation above all has special cause to be thankful for this signal mark of distinction, and to pray for those whom God has selected from among them.

Now such a proof of the divine good pleasure has been given to you, dearly beloved Brethren; and hence, in accordance with the mind of holy Church, I have to announce to you [in the name of the Rt. Rev. Bishop—Most Rev. Archbishop], that on the —— day of —— the holy order of priesthood is to be conferred on N. N., he having proved himself worthy to be promoted to this sacred dignity.

All the members of this congregation are therefore earnestly

requested to offer up their prayers for him, who has been chosen from among them, that his ordination may redound to the greater glory of the Most Adorable Trinity, to the honor and consolation of the holy Catholic Church, to the preservation of our holy faith, and to the salvation of himself and the Christian people.

Let us therefore invoke upon him the sevenfold gifts of the Holy Ghost.

7 *Pater* et 7 *Ave.*

V. Pray for us Saint . . .[4]
R. That the Lord of the harvest may send forth laborers into His harvest.

Let us pray.

O Almighty and Eternal God! graciously hear our supplications, and pour down the blessings of the Holy Spirit and the plenitude of Thy heavenly gifts upon Thy servant whom Thou hast called to Thy holy ministry, that, with Thy help, he may faithfully discharge the sacred duties of the priesthood to Thy greater honor and glory, and for the salvation of souls, and finally enter with them into life everlasting,—through Christ our Lord. Amen.

Vielgeliebte in Christus dem Herrn!

Die ersten christlichen Gemeinden fasteten und beteten, ehe die Apostel durch die Auflegung der Hände die heilige Priesterweihe denen erteilten, welche Gott auserwählt hatte und die vom heiligen Geiste zur Verkündigung des Wortes Gottes ausgesandt werden sollten (Apostelg. 13, 3). Getreu dieser ehrwürdigen Sitte hat unsere Mutter, die heilige katholische Kirche, an den Quatemberzeiten, als den zur Weihe ihrer neuen Diener bestimmten Tagen, allen Gläubigen zu fasten befohlen; und sie mahnt alle zu beten, auf dass der Himmel durch das gemeinsame Flehen aller ihrer Kinder zur Erhörung ihrer Bitte geneigt gemacht werde, und sie Priester nach dem Herzen Gottes erhalte, welche würdig sind der heiligen Weihe, womit sie geschmückt werden sollen.

Es sind dringende Beweggründe, Vielgeliebte, die euch auf-

[4] Patronus Ecclesiae vel Dioecesis.

fordern, der Mahnung der heiligen Kirche zu entsprechen. Denn die Priester sind von Gott gesetzt, dass sie mit unerschrockenem Mute den Angriffen widerstehen, welche besonders in unsern Tagen auf das Heiligtum unsers Glaubens gemacht werden; dass sie seien die auserlesenen Werkzeuge Jesu Christi unsers Erlösers, bestimmt, euch zu heiligen und euch zum wohlgefälligen Volke Gottes zu machen (Tit. II. 14), durch die Reinheit des Wandels, mit dem sie euch vorzuleuchten, durch die Treue, mit der sie über euch zu wachen, durch die Liebe, mit der sie euch zu leiten, durch das Gebet, das sie für euch ohne Unterlass zum ewigen Hohenpriester emporzusenden berufen sind.

Darum ist es von jeher als billig und recht, nützlich und heilsam erachtet worden, dass die christliche Gemeinde, um derentwillen die Priester gesetzt sind (Hebr. V. 1), auch an der Weihe desselben Anteil nehme und mit dem Namen derjenigen bekannt gemacht werde, denen die Ehre des Priestertums zugedacht ist.

Es ist ein besonderes Zeichen göttlichen Wohlgefallens, wenn der Herr sich würdigt, aus einer Gemeinde sich solche auszuwählen, die er zu seinem Priestertum beruft und in sein Heiligtum aufnimmt, indem er diese Gemeinde mit einer ähnlichen Gnade heimsucht, wie das Haus, aus dem er sich seinen Diener David erwählte. Eine solche Gemeinde hat vor allem Ursache, Gott für diese Gnade zu danken und ihn für diejenigen zu bitten, die er aus ihr berufen hat.

Dieses Wohlgefallen Gottes, Vielgeliebte, ist euerer Gemeinde widerfahren, und habe ich euch nach altem Brauch der heiligen Kirche [im Namen Sr. Gnaden, unsers hochwürdigsten Herrn Bischofes] zu verkünden dass unser geliebtes Pfarrkind *N. N.* am —— die heilige Priesterweihe empfangen werde, nachdem derselbe würdig befunden ist, zum Priestertum erhoben zu werden.

Darum sind alle Pfarrkinder dieser Gemeinde mit dieser Verkündigung der bevorstehenden Weihe dringend ersucht, für den aus eurer Mitte erkorenen eure Gebete zu vereinigen, auf dass diese Weihe geschehe zur grössern Ehre des dreieinigen Gottes, zur Verherrlichung und zum Troste der heiligen katholischen Kirche, zur Erhaltung unsers heiligen Glaubens, zum ewigen Heile des erwählten und aller Christgläubigen.

[redacted]

Lasset uns deshalb zur Erflehung der siebenfachen Gnade des heiligen Geistes beten:

7 Vater unser. 7 Ave.

V. Bitte für uns, heiliger . . .[4]

R. Auf dass der Herr der Ernte Arbeiter in seinen Weinberg sende.

Lasst uns beten!

Allmächtiger, ewiger Gott, erhöre gnädig unser Flehen, und giesse ueber deinen Diener, den Du zum Priestertume auserwählt hast, die Segnung des heiligen Geistes und die Fülle deiner himmlischen Gaben aus, auf dass er das Amt, das ihm durch deine Gnade auferlegt wird, auch zu deiner Ehre und zum Heile der Gläubigen verwalte, um mit diesen die Krone des ewigen Lebens zu erlangen. Durch Christum unsern Herrn. Amen.

ART. II.

DE ORDINIBUS CONFERENDIS.

294. *Missa* ordinationis in diebus ad s. Ordines conferendos statutis, i. e. Sabbatis Quatuor Temporum, Sabbato *Sitientes* seu ante Dominicam Passionis, et Sabbato Sancto, celebranda est de feria sine commemoratione festi vel officii occurrentis,[1] cum Oratione pro ordinandis sub unica conclusione, et deinde cum Orationibus in Missa feriali secundo et tertio loco dicendis. Extra dies statutos Missa de festo currente [cum Oratione pro Ordinandis, ut supra] celebranda est.[2]

2. Conferuntur Ordines infra Missam:

4 Patronus Ecclesiae vel Dioecesis.

1 Sabbato Pentecostes et quando Officium fuerit de Feria commemoratio simplicis aut simplificati occurrentis fieri debet. D. 23. Nov. 1906, n. 4194. 7.

2 D. 1049. 3. 4; et 2375. 2.

[redacted]

IN SABBATIS IV. TEMPORUM:	IN SABB. "SITIENTES" ET IN FESTIS EXTRA TEMPORA.
Tonsura post *Kyrie eleison;*	post Introitum.
Ostiariatus post primam Lectionem;	post *Kyrie eleison.*
Lectoratus post secundam Lect.;	" "
Exorcistatus post tertiam Lect.;	" "
Acolythatus post quartam Lect.;	" "
Subdiaconatus post quintam Lect.;	post Collectam.
Diaconatus post Epistolam;	post Epistolam.
Presbyteratus ante ultimum versum Tractus, resp. Sequentiae;	ante ultimum versum Tractus, vel Gradualis, vel Alleluja, vel Sequentiae.

3. "Ordinandi debent se praesentare cum paramentis Ordini suo convenientibus," juxta dispositionem Pontificalis, aut induti aut super brachio sinistro illa sustinentes, "et candelis in manu [dextra] accensis."[3] Quandocumque ad Altare ascendere debent, candelae a clericis ad hoc designatis accipientur, et quando descendunt, ardentes restituuntur. Ad Litanias extinguuntur et sub finem Litaniarum ab istis clericis accenduntur.[4]

4. Quando ex dispensatione Apostolica Ordinationes "extra tempora" fiunt,[5] "antequam ad collationem Ordinum procedatur, legitur mandatum Apostolicum, sive supplicatio, cujus

[3] Paramentorum "color sit ipsius Celebrantis in Missa; nisi aliud postulat necessitas." D. 17. Jul. 1894, n. 3832. 6.

[4] Martinucci, VII. 2.

[5] "Facultas conferendi sacros ordines *extra tempora* vi articuli I. Form I., Episcopis missionariis generatim concessa, limitatur, nisi specialissimum adsit indultum, ad solos dies, quibus de jure communi conferre liceat Ordines minores, scilicet dies festivos de praecepto, etiam in favorem fidelium abrogatos, non vero extenditur ad singulos anni dies, aut saltem ad omnes dies in quibus recitatur officium ritus duplicis." S. R. C. 18 Maji, 1883, Marianopol. (Montreal). Proinde ista facultate ordines conferri possunt extra tempora Dominicis, et festis Nativitatis, Circumcisionis, Epiph. Domini, Resurrect. cum 2 feriis seq., Ascens., Pentec. cum 2 fer. seq., Trinit., Corp. Chr., Invent. Crucis.; in fest. B. M. V., Purificationis, Annunt., Assumpt., Nativ. et Imm. Concept., Omnium SS., Dedic. Michaelis Arch., Nativ. S. Joan. B., S. Joseph, in festis Apostolorum, incl. S. Mathiae, S. Steph., SS. Innocent., S. Laurent., S. Sylvestr., S. Annae. (92 diebus per annum.) Cf. Konings, Commentarium in facultates Apost. n. 37; et Lehmkuhl, II. n. 605.

vigore Pontifici facultas conceditur ordinandi; quibus lectis dicit Pontifex: *Deo gratias.*"[6]

Ante ordinationem, sc. priusquam singulorum nomina appellentur, Episcopus "palam interdicit per unum ex suis [e. g. Archidiaconum], ne quis accedat irregularis etc." (*Reverendissimus in Christo pater* etc.[7]), etiamsi unus in sacello Episcopali ordinetur.[8]

5. Suo tempore Archidiaconus invitat ordinandos, *Accedant* etc.; Notarius appellat singulos nomine et cognomine, non praemittens titulum "Dominus" nec alium quemquam[9] (pro Regularibus praemittitur *Frater N.*). Singuli respondent *Adsum,* progrediuntur versus Altare et genuflectunt; ad Subdiaconatum vero promovendi (saeculares) stant intra monitionem Illi, qui Subdiaconi, Diaconi ac Presbyteri ordinandi sunt, se prosternunt, dum recitantur Litaniae et Episcopus eos benedicit. Sabbato Sancto dicendae sunt Litaniae in Missali pro die assignatae.[10]

6. Ad Tonsuram quilibet simul cum Episcopo dicit: *Dominus pars haereditatis* etc.[11] Ubi Pontificale praescribit respondendum *Amen* in traditione instrumentorum vel indumentorum, hoc juxta consuetudinem ab ordinando dicendum est.[12] Proinde *Amen* respondent Acolythi ad candelae et urceolorum porrectionem; Subdiaconi ad amictus, manipuli, tunicae et libri; Diaconi ad stolae, dalmaticae, libri Evang. porrectionem; Presbyter ad casulae induitionem dicit *Deo gratias,* ad unctionem manuum et porrectionem calicis *Amen.*

7. Instrumentorum traditio pluribus ordinandis simul fieri potest. In ordinatione vero Presbyterorum cuilibet tradendus est calix. Acolythi tangant pollice candelabrum, indice candelam; "instrumentum bugia de candela serviens Episcopis ad librum non potest esse materia Ordinis acolythorum loco

[6] Pontif.

[7] V. Pontif., ante cap. "De Clerico faciendo." Fit nomine Episcopi Ordinarii, etsi ordinatio ab Episcopo extraneo fiat.—Tempore sedis vacantis "inhibitio legenda est nomine Vicarii capitularis [Administratoris] hisce verbis: Reverendissimus Domi N. hujus Dioeceseos, S cante, Vicarius Capitularis deputatus, sub excommunicationis poena praecipit, etc." D. 19. Sept. 1883, n. 3593. 1.

[8] D. 3006. 4.

[9] Martinucci.

[10] D. 20. Mai. 1890, n. 3731. 6

[11] D. 2682.3.

D. 2682. 6.

candelabri.[13] Subdiaconi apponent pollicem dextrum cuppae, indicem autem et medium digitum super patenam.[14]

Presbyteri "calicem cum vino et aqua, et patenam superpositam cum hostia accipiunt inter indices et medios digitos," ita ut cuppam calicis mediis digitis et patenam cum hostia indicibus tangant. Post traditionem calicis accedunt ad credentiam ibique manus tergunt medulla panis et lavant.

8. Offertorio lecto omnes offerunt candelas accensas osculando candelam et manum Episcopi, primo Presbyteri tunc Diaconi et alii suo ordine.

Ab Oratione *Suscipe Sancte Pater* Presbyteri ordinati simul cum Episcopo genuflexi omnia de Missali recitant,[15] excepta benedictione; in Missa cantata suppressiore voce dicant quae ab Episcopo cantantur.

Pacem dabit Episcopus "primo ex singulis ordinatis cujuslibet ordinis *sacri*,"[16] nempe primo Presbytero, primo Diacono et primo Subdiacono ex novis ordinatis, qui *pacem* praebebunt ceteris ordinatis ad ordinem eumdem; postea Subdiaconus ultimus primo acolytho, hic ceteris. "Si ordinatorum parvus sit numerus, Pontifex poterit dare pacem singulis."[17]

9. Presbyteri communicant, antequam dicatur *Confiteor, Misereatur* etc. Formula *Corpus Domini* etc. omitti debet.[18] Post istorum Communionem Diaconi et Subdiaconi dicunt *Confiteor.* Deinde Episcopus dicit *Misereatur, Indulgentiam,* ac more solito *Ecce Agnus Dei* et *Domine non sum dignus* ac *Corpus D. N. J. C. custodiat te;* etiam pro Ordinatis ad minores Ordines.[19]

Diaconi et Subdiaconi dicent *Nocturnum talis diei*, ab Episcopo praescriptum, sine Ps. *Venite, exultemus*, sine Hymno et Lectionibus, sed solis cum Psalmis et Antiphonis.[20] Quoad vero Psalmos sumendi ipsi erunt ex Officio vel Feriae vel Festi vel Dominicae (1. Noct.) juxta praescriptum Episcopi.[21]

[13] D. 2194. 4.—Cf. Martinucci, VII. 2. 85.

[14] Martinucci, VII. 2. 98.

[15] D. 2404. 1. 2.

[16] In Missa solemni prius *pacem* dat Presbytero assistenti, Diaconis assistentibus, Diacono et Subdiacono.

[17] Pontific.

[18] D. 17. Jan. 1890, n. 3721. 1. 2.

[19] D. 2682. 16. Cf. Index Decr. vol. V. p. 110.

[20] D. 10. Jul. 1903, n. 4117.

[21] D. 27. Jun. 1899, n. 4042. 1. 2.

295. De defectibus supplendis. Si quae essentialia quoad materiam et formam in s. Ordinibus omissa vel substantialiter mutata fuerint, supplenda sunt;—sub conditione quidem, si prudenter dubitetur de essentiali omissione vel mutatione. Ita S. R. Congr.[1] quoad ordinationem Diaconi decrevit: "Si [Episcopus] solam tradidit partialem materiam Libri Evangeliorum sine forma, caute et secreto suppleat defectum, traditionem materiae simul cum prolatione suae formae repetendo." C. S. Off. approb. Clem. VIII.: "Si Episcopus non per se ipsum, sed per alium materiam seu instrumenta ordinandis tradiderit, sunt reordinandi sub conditione."[2]

Item dubia est ordinatio Presbyteri, qui nec calicem nec patenam physice tetigerit, vel post formam jam completam; sufficit vero tactus mediatus, e. g. manu linteolo obvoluta, vel uno tantum digito, vel si alterutrum tetigerit.

Si traditio calicis et patenae repetenda sit, etiam repeti debent tres manuum impositiones; nec tamen iterandae sunt caeremoniae *accidentales*, seu ea quae spectant ad electionem et instructionem candidatorum necnon preces certe accessoriae.[3]

2. Dubia est ordinatio Presbyteri et integra (sub conditione) repetenda, si Episcopus omiserit primam impositionem manuum (quae fit nil dicendo), vel secundam non tenendo "manum dexteram extensam super illos," sed conjunctas tenens manus ante pectus dum dicit formam *Oremus, fratres charissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hos famulos suos* etc.; aut si substantialiter vitiaverit Orationem *Oremus, fratres charissimi,* vel Orationem subsequentem *Exaudi* cum "Praefatione" quae post unctionem manuum tandem protrahitur, vel verba postea proferenda: *Accipe potestatem* etc.[4]

3. Si tertiam impositionem manuum omiserit vel formam substantialiter mutaverit, supplenda est. "Episcopus perturbavit formam adnexam postremae manuum impositioni, dicendo: 'Quorum remiseris peccata retenta sunt, et quorum retinueris remissa sunt.' Sub conditione in privato Oratorio

[1] D. 2767.
[2] Item C. S. O. 1 Aug. 1697.
[3] Ex dissertatione eximia cl. H Rouxel S.S., Prof. Sem. Marnop., privatim benigne communicata.
[4] Lehmkuhl, II. n. 591.

quovis anni tempore suppleatur a quovis Episcopo, induto de more, tertia manuum impositio et forma respectiva, ***Accipe Spiritum sanctum,*** non tamen repetendo caeremonias accidentales antea adhibitas."[5]

4. Quoad primam et secundam manuum impositionem vel extensionem "Sacra Rituum Congregatio interrogata: 'Num in Ordinatione Presbyteri tum Pontifex tum Sacerdotes qui adsunt, debeant prius imponere utramque manum super caput cujuslibet Ordinandi, et postquam haec impositio ab omnibus absoluta fuerit, tunc elevare manus dexteras, easque extensas super illos tenere dum Pontifex stans cum mitra solus dicit Orationem: vel potius tum Pontifex tum Sacerdotes qui adstant, vix facta impositione utriusque manus, statim dexteras manus extendunt easque sic extensas tenent donec Episcopus Orationem absolverit,' respondit: Negative ad primam partem; affirmative ad secundam."[6] Postea declaratum est: "Sacra Congregatio dum in praefato suo Responso ritum insinuavit in peragenda sacra Ordinatione circa manuum impositionem observandum, non idcirco in dubium revocare intendit valorem sacrae Ordinationis, eo quod in illa Episcopus Ordinans manus extensas non tenuerit super Ordinatum etiam per intervallum, quod inter primam et secundam manuum impositionem intercedit."[7]

ART. III.

DE PRIMITIIS NEO-SACERDOTUM.

296. Quando Neo-Sacerdos ad celebrandam primam Missam processionaliter (a domo parochiali) ad Ecclesiam adducitur,[1] cantari potest Ps. LXXXIII. *Quam dilecta* cum Ant. *Sacerdotes Dei benedicite Domino: Servi Domini hymnum dicite Deo.*

Ad Altare ante Missam cantari potest hymnus *Veni Creator* cum versu *Emitte Spiritum* et Oratione *Deus qui corda.*

[5] D. 2836.

[6] D. 3274.

[7] 3307.—Cf. Scavini, III. 665, et Ferraris, V. Ordo; et alii.

[1] Aliquando ferens parvam Crucem vel candelam, praecedente parvulo ("Angelo") gestante coronam florum super pulvino positam; quae tamen Celebranti imponi non debet.

2. Sacerdoti solemniter prima vice celebranti **assistere potest** Presbyter superpelliceo, amictu et pluviali **absque stola**, indutus,[2] dummodo assistat tantum ad librum.

Celebrans, non vero Assistens in Dominica adspersionem aquae perficere debet. Ad Diaconum, non vero ad Assistentem, pertinet Celebrantem incensare et fidelibus cum patena ministrare, quoties Eucharistica Communio instituenda est. In fine Missae *Te Deum.*

3. Summus Pontifex "concedere dignatus est, servatis de jure servandis, Indulgentiam Plenariam Sacerdoti primum Sacrum facienti ejusque consanguineis ad tertium usque gradum inclusive, qui primo eidem Sacro interfuerint; ceteris vero Christi-fidelibus adstantibus Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum."[3]

4. Tres Missae ab Episcopo ordinante impositae, una de Spiritu sancto, altera de B. M. V., tertia pro defunctis, sequuntur regulas Missarum votivarum, et debent dici, quando juxta Rubricas licet Missas votivas privatas celebrare. Missa pro defunctis erit quotidiana cum Orationibus ibi positis.—Sola Missae qualitas, non vero Sacrificii applicatio praecipitur. (S. Alph., etc.)

5. Benedictio a Neo-Sacerdotibus hac formula dari potest. *Oremus. Deus, qui charitatis dona per gratiam Sancti Spiritus tuorum fidelium cordibus infudisti; da famulis et famulabus tuis pro quibus tuam deprecamur clementiam, salutem mentis et corporis, ut te tota virtute diligant, et quae tibi placita sunt, tota dilectione perficiant. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.* (In singulari pro uno vel una.)[4] Postea dicitur: *Benedictio Dei omnipotentis Patris* +, *et Filii, et Spiritus Sancti, descendat super vos* (vel *super te*) *et maneat semper. Amen.*[5]

[2] D. 1. Dec. 1882, n. 3564. 2.

[3] S. C. Ind. et SS. Rel. 16 Jan. 1886.

[4] Orat. ad diversa (30) "pro devotis amicis."

[5] Haec benedictio sola sufficit.

CAPUT VII.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

ART. I.

ANIMADVERSIONES PRAEVIAE.

297. "Parochus admonitus de aliquo matrimonio in sua parochia contrahendo, *primum* cognoscat, . . utrum inter eos sit aliquod canonicum impedimentum;" utrum "uterque sciat rudimenta fidei, cum ea deinde filios suos docere debeant." *Secundo* igitur Parochus sponsos in doctrina christiana instruere debet, nisi de hac ipsorum scientia constet. *Tertio* ipsos instruere debet specialiter de ipso matrimonio "quomodo in eo recte et christiane conversari debeant," nempe de obligationibus conjugum erga se invicem et prolem suscipiendam. *Quarto* "admoneantur conjuges, ut antequam contrahant, sua peccata diligenter confiteantur[1] et ad SS. Eucharistiam atque ad matrimonii sacramentum suscipiendum pie accedant."[2]

2. "Ter a proprio contrahentium Parocho continuis diebus festis in Ecclesia intra Missarum solemnia denuntientur. . . Si vero vir et mulier parochiae sint diversae, in utraque parochia fiant denuntiationes."[3]

1 Plerumque confessio generalis suaderi potest, pluribus diebus ante nuptias facienda ob impedimenta occulta forsan detegenda.

2 Cf. Heiss de matrim. § 67-70. Konings comp. n. 1543.—Instruct. sponsorum lingua anglica conscripta ad usum Parochorum. Eadem instructio lingua germanica conscripta. (B. Herder, St. Louis, Mo.)

3 "Si quis Sacerdos, cujus erit matrimonio assistere, adeo fuerit sui sancti officii immemor ut recuset matrimonium celebrare, nisi obtenta prius aut saltem promissa certa quadam pecuniae summa, vel alia re pretio aestimabili, suspensionem suo Ordinario reservatam ipso facto incurrat." Syn. Plen. Hib. 111.

ART. II.

DE RITU CELEBRANDI MATRIMONII SACRAMENTUM.

298. "Matrimonium omni tempore contrahi potest" nempe per ritum qui in Rituali Rom. continetur. Temporibus vero prohibitis nuptiae quidem celebrari possunt de licentia Episcopi, at sine solemnitate, ideoque privatim; et omissis Missa et benedictione [nuptiali]. Neque iisdem temporibus, Commemoratio pro Sponsis fieri potest in Missa occurrente.[1] Tempus clausum dicitur a Dominica I. Adventus usque ad diem Epiphaniae, et a feria IV. Cinerum usque ad Octavam Paschatis inclusive.

2. "Parochus Matrimonium celebraturus in Ecclesia superpelliceo et alba stola indutus, adhibito uno saltem clerico superpelliceo pariter induto, qui librum et vas aquae benedictae cum adspersorio deferat. . . " At, "si immediate sequitur Missa, praeter albam et stolam induere debet etiam planetam."[2] Manipulus super Altari prius ponitur, necnon pelvicula pro annulo sponsae; super patena duae hostiae pro Communione sponsorum.[3] Quamvis benedictio nuptialis dari possit, etsi sponsi infra hanc Missam non communicent, "curent tamen Parochi et animarum Rectores adhortari fideles nupturos, ut in Missa . . communicent."[4]

3. Parochus ante Altare stans in medio suppedanei se convertit ad populum. Sponsi genuflectunt in extremitate anteriore suppedanei, vel super gradu superiore Altaris, sponsa a sinistris sponsi. Simul duo testes consistent pedibus prope sponsos.[5] Tunc Parochus "Exhortationem ante matrimonium" lingua vernacula ex appendice Excerpt. Ritualis Rom. legere potest.

4. Deinde interroget utrumque singillatim vulgari sermone: *N. vis accipere N.* etc.[6]

Post verba *Ego conjungo vos* etc. "eos aspergat aqua bene-

[1] D. 30. Jun. 1896, n. 3922. 6.
[2] D. 3158. 3.
[3] Heiss. § 69; Martinucci, IV. 12, 1.
[4] D. 3329.
[5] Martinucci, IV. 12.
[6] Juxta Excerpt. Rit. R. adduntur verba quae ex antiquis Ritualibus desumpta sunt: *I, N. take thee for my lawful wife,* etc.

dicta" in medio, a sinistris et dextris suis. "Mox benedicat annulum," etiam pro secundis nuptiis.[7] Si desit annulus, haec benedictio omittitur; preces tamen *Confirma hoc* cum reliquis semper recitandae sunt.[8] Finita Oratione sponsi recedunt ad sedes suas, "ad balaustrium."[9]

5. Celebrans accipit manipulum, minister Rituale et vasculum aquae benedictae super credentia collocat, et Sacerdos Missam celebrat.

Dicto *Pater noster* et facta genuflexione, in latere Epistolae se vertit ad sponsos, qui ad Altare reversi genuflectunt, et manibus junctis recitat Orationem *Propitiare* etc., ministro prope sinistram Missale tenente. Postea sponsi recedunt, Celebrans in medio genuflectit et Missam prosequitur, extergens patenam, etc. "Postquam sumpserit Sanguinem, communicet sponsos."[10]

"Dicto *Benedicamus Domino,* vel si Missae conveniat, *Ite Missa est,*" ante *Placeat,* "Sacerdos conversus ad sponsum et sponsam," reversos ad Altare, "dicat: *Deus Abraham* etc. Postea moneat eos Sacerdos sermone gravi, ut sibi invicem servent fidem" etc.[11] seu legit exhortationem post matrimonium.[12] "Postea eos adspergat aqua benedicta, et dicto *Placeat tibi* etc. det benedictionem, complendo Missam."

6. Haec "benedictio nuptialis . . in Missa pro sponso et sponsa semper impertienda est in matrimonio Catholicorum, intra tamen Missae celebrationem, juxta Rubricas et extra tempus feriatum, omnibus illis conjugibus, qui eam in contrahendo matrimonio quacunque ex causa non obtinuerint, etiam si petant, postquam diu jam in matrimonio vixerint, dummodo mulier si vidua, benedictionem ipsam in aliis nuptiis non acceperit. Insuper hortandi sunt iidem conjuges catholici, qui benedictionem sui matrimonii non obtinuerint, ut eam primo quoque tempore petant."[13]

[7] Si postea amittitur vel frangitur, novus hac forma benedici potest. (De Herdt, III. 273.)

[8] D. 3548. 1.

[9] Martinucci l. c.

[10] Rub. Miss.

[11] Ibid.

[12] Excerpt. append.

[13] Decr. Gen. C. Inq. 31 Aug. 1881. Benedictio nuptialis consistit in Orationibus . . . *Propitiare, Domine* etc. et *Deus qui potestate* etc. dicendis ante *Libera nos* etc. necnon *Deus Abraham* etc. dicenda ante benedictionem. S. R. C. 9 Mai. 1893, n. 3798. 3.

7. Parochus "Missam pro sponso et sponsa" ad aliam intentionem applicare potest, si a sponsis petita non sit.

In eadem Missa plures sponsi benedici possunt, preces tamen non dicuntur in plurali, sed prout in Missali ponuntur.

8. *Pro matrimoniis mixtis* vide Excerpt. Rit. Rom. in appendice. Matrimonia mixta ordinarie extra Ecclesiam[14] absque ullo ritu ecclesiastico contrahenda sunt, "ut in Catholicorum animis nunquam obliteretur memoria tum canonum, qui istiusmodi mixta matrimonia detestantur, tum constantissimi illius studii, quo S. Mater Ecclesia nunquam destitit filios suos avertere ac deterrere ab iisdem mixtis conjugiis in eorum et futurae prolis perniciem contrahendis.[15]

ART. III.

DE MISSA VOTIVA PRO SPONSO ET SPONSA.

299. Missa votiva pro sponso et sponsa permittitur in duplicibus, etiam majoribus; prohibetur autem:

(*a*) In Dominicis et festis de praecepto;

(*b*) In duplicibus 1ae et 2ae classis;[1]

(*c*) Per octavas Epiphaniae Pentecostes et Corporis Christi, in vigilia Pentecostes aliisque diebus duplicia 2ae classis excludentibus.

(*d*) In feria Rogationum, si praeter Missam praescriptam Rogationum alia Missa celebrari non possit.[2]

14 Non in sacristia sed in domo parochiali aliove loco honesto. De Herdt, III. 284.

15 Instr. S. Sedis ad omnes Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios. (15 Nov. 1858.)

Aliquando ex lege Dioecesana sequens vel similis promissio a parte acatholica est signanda:

I, the undersigned, not a member of the Catholic Church, wishing to contract marriage with ——, a member of the Roman Catholic Church, propose to do so with the understanding that the marriage tie is indissoluble, except by death, and promise, on my word and honor, that —— shall be permitted the free exercise of religion according to —— belief; and that all children of either sex born of this marriage shall be baptized and educated in the faith and according to the teachings of the Roman Catholic Church. And furthermore, that no other marriage ceremony than that before the Catholic priest shall take place.

—— ——

Signed in the presence of —— ——, this —— day of ——.

1 D. 3016. 1.

2 Cf. D. 3209

Extra tempus clausum haec Missa dici potest etiam in feriis majoribus et Vigiliis.[3]

2. Diebus impeditis, si nuptiae benedicendae sint, dicenda est Missa diei, in qua fit commemoratio ex Missa pro sponso et sponsa (simul cum Orationibus istis post *Pater noster* et ante *Placeat,*) idque sub distincta conclusione primo loco post alias commemorationes a Rubricis praescriptas et ante Orationes imperatas, etiam in festis 1ae classis; exceptis fortasse Vigilia et festo Pentecostes cum duobus sequentibus diebus, in quibus sub unica conclusione facienda videtur.[4]

3. Prohibetur Missa vel commemoratio pro sponsis *et* benedictio nuptiarum (non vero benedictio ex Rituali[5]) : (*a*) tempore feriato; (*b*) si mulier sit vidua, quae in prioribus nuptiis benedictionem nuptialem obtinuit.[6]

6. Missa pro sponso et sponsa est votiva privata; proinde celebranda sine *Gloria* et sine *Credo,* in qua, si commemoratio specialis non occurrat, 3° loco dicitur Oratio, quae in semiduplicibus istius temporis 2° loco dicenda est. Si festum duplex occurrens 2° loco commemoretur, 3a Oratio de tempore omittitur.[7] Praefatio est communis, nisi adsit propria ratione festi commemorati,[8] octavae vel temporis. In fine dicitur Evangelium S. Joannis, nisi facta fuerit commemoratio Feriae vel Vigiliae, de qua ultimum Evangelium legendum est.[9]

ART. IV.

DE BENEDICENDIS NUPTIIS JUBILAEIS.[1]

300. Conjuges catholici et honesti in gratiarum actionem celebrantes anniversarium 25 vel 50 nuptiarum accedunt ad Altare vel cancellos. Parochus indutus superpelliceo et stola alba vel paramentis ad Missam celebrandam requisitis praeter manipulum, facta convenienti adhortatione,[2] conjuges faciat

[3] D. 8. Feb. 1913.

[4] De Carpo, Schober.

[5] Quae pro matrimoniis mixtis interdicta est.

[6] D. 2461. 1; et 2797; et S. C. O. 31 Aug. 1881.

[7] D. 24. Maj. 1912.

[8] D. 19. Apr. 1912.

[9] Novae Rubr. X. 3.

[1] Cf. Instr. past. Eystett. n. 536; et Manuale Sacerd. Schneider—Lehmkuhl, II. p. 391.

[2] Litaniae omnium Sanctorum cum tribus prioribus orationibus recitari possunt. Man. Rit. Paderb.

propositum renovare, permanendi cum pace divina usque ad mortem in societate connubii.

2. Junctis dein conjugum dextris benedicit eos dicendo: *Benedictio Dei omnipotentis, Patris +, et Filii, et Spiritus Sancti, descendat super vos et maneat semper.* R. *Amen.*

Ant. *Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.*

Psalmus CXXVII. *Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus.*

Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit.

Uxor tua, sicut vitis abundans, in lateribus domus tuae.

Filii tui sicut novellae olivarum, in circuitu mensae tuae.

Ecce, sic benedicetur homo, qui timet Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Sion; et videas bona Jerusalem, omnibus diebus vitae tuae, et videas filios filiorum tuorum, pacem super Israel. Gloria Patri etc.

Ant. *Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.*

V. *Domine exaudi* etc. R. *Et clamor meus* etc.

V. *Dominus vobiscum.* R. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, respice propitius super hos famulos tuos, ad templum sanctum tuum pro gratiarum actione laetos accedentes, et praesta, ut post hanc vitam ad aeternae beatitudinis gaudia (cum prole sua) pervenire mereantur. Per Christum etc.

Tandem adspergit eos more solito.

3. Missa dici poterit de die, aut votiva B. M. V. si per rubricas licet. Sub finem addi poterit *Te Deum,* cum versu et Oratione "pro gratiarum actione."[3]

[3] Tota ista benedictio, quamvis nullibi praescripta, omnino ritui Romano consentanea est, sed nonnisi honestis conjugibus et Matrimoniis catholicis concedenda.

[redacted]

CAPUT VIII.

DE FUNCTIONIBUS PASTORALIBUS SACRAMENTIS ADNEXIS.

ART. I.

DE BENEDICTIONE APOSTOLICA CUM INDULGENTIA PLENARIA IN ARTICULO MORTIS.

301. Sacerdos, "habens facultatem, ingrediendo cubiculum dicat: *Pax huic domui* etc." superpelliceum et stolam violaceam induit,[1] "ac deinde aegrotum, cubiculum et circumstantes adspergat aqua benedicta, dicendo Antiphonam: *Asperges me, etc.*"

2. "Quod si aegrotus voluerit confiteri, audiat illum et absolvat. Si Confessionem non petat excitet illum ad eliciendum actum contritionis."

3. Conditiones hujus indulgentiae lucrandae: (*a*) intentio saltem habitualis; (*b*) actus contritionis et charitatis si pro conditione infirmi possibilis sit; (*c*) invocatio nominis *Jesu* saltem mentalis; (*d*) infirmus admoneatur "ut morbi incommoda ac dolores in anteactae vitae expiationem libenter perferat, Deoque sese paratum offerat ad ultro acceptandum quidquid ei placuerit, et mortem ipsam patienter obeundam in satisfactionem poenarum, quas peccando promeruit."

Quae conditiones, ut impleantur, Sacerdos preces cum infirmo recitare potest.[2] Etiam confessione praecedenti infirmum ad hos actus disponere potest.

[1] Caval. etc.

[2] E. g. O my Lord and God, I humbly ask for the remission of all temporal punishment, for the plenary indulgence which thy holy Church grants at the hour of death. O my Jesus, I believe in Thee; I hope in Thee; I love Thee with my whole heart. I am heartily sorry for all the sins and faults of my whole life. O my God, I am ready to accept and bear all pains and sufferings and even

4. "Postea dicit: *Adjutorium nostrum* etc." ut in Rituali. *Confiteor* etc. etsi ante Viaticum et Extremam Unctionem jam recitatum sit, et reliqua, ut ibi.

"Si vero infirmus sit adeo morti proximus ut tempus non suppetat, statim Sacerdos Benedictionem ei impertiatur," dicens: *Dominus noster* etc.

Vel brevius postrema verba essentialia:

Indulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum tibi concedo in nomine Patris ✠, *et Filii, et Spiritus sancti. Amen.*[3]

5. Haec indulgentia etiam parvulis dari potest, qui Absolutionis et Extremae Unctionis sunt capaces.—Iis aegrotis concedi potest qui, etiam culpabiliter, non fuerunt ab incoepto morbo sacramentis refecti, subitoque vergunt in interitum;[4] non vero "excommunicatis, impoenitentibus et qui in manifesto peccato mortali moriuntur."

6. Iterari nequit in eodem morbo etsi diuturno, nec a pluribus Sacerdotibus hanc facultatem, licet ex diverso titulo, habentibus; nec iteranda est haec benedictio, si collata fuerit infirmo existenti in statu peccati mortalis, vel si post ejus receptionem lapsus sit in peccatum.[5]

"Benedictio Apostolica cum Indulgentia plenaria in articulo mortis dari potest post collata extrema Sacramenta, quum periculum quidem mortis adest, non tamen imminens."[6]—"Quam responsionem ex rei natura pro omnibus aegrotis Christifidelibus in mortis periculo constitutis [Emi. PP. Cardinales] valere dixerunt; eamque S. Pont. Leo XIII approbavit.[7]—Sacerdos non valide confert indulgentiam plenariam in articulo mortis, omissa formula a summo Pontifice praescripta ob libri deficientiam, quia formula non est tantum directiva, sed praeceptiva.[8]

death itself with resignation to thy divine will and in punishment for my sins. I unite my sufferings to thy most bitter torments. O Lord, here burn, here cut; but spare me for eternity. My Jesus, mercy!—Haec tria verba ab infirmo repetantur. (V. *Vade mecum ad infirmos.*)

[3] Juxta Breviarium anno 1843 Romae impressum.

[4] S. C. Ind. 20 Sept. 1775.

[5] S. C. Ind. 5 Febr. 1841.

[6] S. C. Ind. 18 Dec. 1885.

[7] 19 Dec. 1885.

[8] S. C. Ind. 5 Febr. 1841.

[redacted]

ART. II.

DE VISITATIONE ET CURA INFIRMORUM ET DE MODO JUVANDI MORIENTES.

302. "Sedulus sit pastor animarum in visitandis infirmis et agonizantibus, etiam postquam ultima receperunt sacramenta."[1] "Ingravescente morbo Parochus infirmum frequentius visitabit et ad salutem diligenter juvare non desinet; monebitque instante periculo se confestim vocari, ut in tempore praesto sit morienti."[2]

2. Hanc praescriptionem Ritualis Rom. adhuc obligare S. Conc. Congregatio declaravit: "Quaeritur, I. an teneantur Parochi aliique animarum curam gerentes, moribundis adsistere, etiam si eos Sacramentis rite munierint? . . . VI. An ad mentem S. Caroli Borromaei *duae* tantem admittantur causae ab obligatione moribundis adsistendi dispensantes; necessitas videlicet aliis infirmis Sacramenta ministrandi, vel aliae necessariae occupationes? S. C. Congr. respondere censuit: *Standum praescriptionibus Ritualis Romani,* in reliquis consulat probatos auctores."[3]

3. "Eo fortius obligationem assistentiae ejusmodi, sive per seipsos sive per alios peragendae, urgere Parochos quoad illos morti proximos, qui quum vitiose habitualiter vixerint, majori indigent auxilio in extrema lucta, ut malignum hostem profligare valeant. S. C. Congregationem ideo forsan noluisse certam determinare normam in subjecta materia; quia cum ex altera parte certum sit onus adsistendi moribundis obligare Parochos sub gravi; ex altera vero difficillimum sit enumerare casus, in quibus animarum pastores levari ab hoc onere possunt tum a propriis circumstantiis, tum a statu moribundi ejusque moralibus qualitatibus."[4]

4. *Quoties pastor animarum infirmum visitare tenetur?* Statuit Rituale Rom.: "Ultro ad illum accedat: illudque non semel tantum sed *saepius,* quatenus opus fuerit. Ad hoc juvabit, praesertim in amplis parochiis, aegrotorum notam

[1] C. Pl. Balt. II. n. 116.

[2] Rit. Rom. Ordo adm. Extr. Unct. in fine.

[3] 23 Mart. 1878.

[4] Anot. ad Decr. in Act. S. Sedis, vol. xi. p. 189.

seu catalogum habere, ut cujusque statum et conditionem cognoscat, eorumque memoriam facilius retinere, et illis opportune subvenire possit." Et iterum: "Infirmum *frequentius* visitabit." Praecipue pauperum curam gerere eisque eleemosynis per se vel per alios succurrere debet.[5]

5. Regula determinata statui nequit, quoties praecise aegroti visitandi sint; ratio habenda est conditionis eorum, distantiae locorum etc. Auctor peritus[6] has fere regulas proponit pro locis, ubi nec ob nimiam distantiam nec ob Sacerdotum penuriam speciales difficultates occurrunt:

(*a*) Aegroti, qui diuturno morbo periculoso laborant, semel per hebdomadam visitentur, nisi forte ob dolores extraordinarios et graves tentationes tristitiae et impatientiae *bis* per hebdomadam sint visitandi.

(*b*) Pluries per hebdomadam visitentur, qui ob vehementes et contagiosos morbos a cognatis et amicis evitantur; vel qui durante hoc ipso morbo a vita vitiosa et pravis consuetudinibus tandem ad Deum conversi sunt; vel qui premuntur tentationibus pessimis et vehementioribus, e. g. murmurationis contra Deum, desperationis, suicidii.

(*c*) Quotidie visitentur qui morti proximi sunt, praesertim si Parochus facile ad ipsos accedere possit.

(*d*) Quotidie, immo saepius per diem visitentur, qui jam in ipsa agonia constituti sunt. "Morientem adjuvet, ejusque animam Deo commendet: sed si mors immineat, priusquam discedat, Sacerdos animam Deo rite commendabit."

Pro tali visitatione plerumque sexta vel ad summum dimidia horae pars sufficit.[7]

303. Modus visitandi infirmos, preces, psalmi, Evangelia cum benedictionibus in Rituali Rom. proponuntur, quae "pro arbitrio Sacerdotis" adhiberi possunt. Aptissime singulis vicibus breves preces lingua vernacula recitantur, e. g. pro patientia servanda, pro sanitate recuperanda.[1]

2. Sacerdos multum proderit infirmis, si "elicito ab iis, si possint, novo confessionis et contritionis actu, nova identidem donet absolutione."[2] Monet S. Alphonsus: "Dum infirmus

[5] Rit. Rom.

[6] Muenst. Pastoral. vol. iv. p. 17.

[7] Ibid.

[1] V. Vade m ... inf.

[2] C. Pl. B

adhuc sensibus viget, absolutionem pluries ei conferre post brevem reconciliationem juvabit. Si jam sensibus caret et nullum doloris, nec absolutionis desiderii signum ostendit, non expedit valde saepius intra eundem diem absolutionem ei impertiri. At si ille habituatus fuerit in pravis cogitationibus, si aliquo vulnere moritur, vel aliqua odii vel impuri amoris passione est irretitus, si infirmitas est nimis acerba, et ipse non libenti animo suffert, tunc saepius absolutio dari potest: sin autem, sufficit ut trium aut quatuor horarum spatium intercedat; frequentius tamen, si jamjam moriturus est. Non abs re erit, aegrotum, dum mente pollet, monere, ut si loqui non possit, signum aliquod determinatum det, dum absolutionem quaerit, e. g. oculos claudat vel reseret, manum elevet, caput inclinet."[3]

3. Morientem adjuvet, ut "eliciat actus fidei, spei et caritatis aliarumque virtutum." Orationes pro moribundis, benedictio moribundi, suspiria[4] distincte et quasi ad aures dicantur, at non clamando; "praecipue invocatio SS. nominum Jesu et Mariae, ad hoc etiam interrumpendo commendationem animae."[5] Nec talia suspiria omittantur, etsi infirmus sensibus destitutus videatur; non raro enim auditus adhuc viget, reliquis sensibus jam cessantibus. Saepe moribundus aqua benedicta aspergatur.

4. Pro *commendatione animae* Sacerdos "aspergat aegrotum, lectum et circumstantes aqua benedicta, dicens *Asperges me etc.*, Crucifixi imaginem aegroto osculandam praebeat . . accensa candela [quae sit benedicta, ut morientem adjuvet contra tentationes daemonum],[6] genibus flexis cum omnibus circumstantibus breves Litanias recitet," etc.[7]

"Egressa anima de corpore, statim dicatur: *Subvenite Sancti Dei.*" etc.

[3] Apud Scavini. Cf. Exhortation for the last hour, in fine. (Vade mecum ad inf.)

[4] Ibid. p. 38. Manuale Sacerdotum, Schneider—Lehmkuhl, Appendix II.

[5] De Herdt.

[6] Cav. etc.

[7] Plura de hac gravissima materia visitationis infirmorum etc. v. apud Konings II. n. 1509, Lehmkuhl II. n. 510-522, De Herdt III. 210; et in Theologiis pastoralibus, Schuech, Benger, Gassner, etc.

"Expedit ut quivis recens ordinatus Sacerdos sibi componat industrias et modos juvandi moribundos et agendi cum aegrotis." Lacroix.

"Interim detur campana" Ecclesiae "signum transitus defuncti pro loci consuetudine, ut audientes pro ejus anima Deum precentur."

304. "Deinde corpus de more compositum, loco decenti cum lumine collocetur: ac parva crux super pectus inter manus defuncti ponatur, aut manus in modum crucis componantur, interdumque aspergatur aqua benedicta, et interim, donec efferatur, qui adsunt, orabunt pro defuncto."

"Sacerdos aut cujusvis Ordinis Clericus defunctus, vestibus suis quotidianis communibus usque ad talarem vestem inclusive, tum desuper sacro vestitu sacerdotali, vel clericali, quem Ordinis sui ratio deposcit, indui debet."

Proinde "sacerdos amictu, alba, cingulo, manipulo, stola et casula violacea sit indutus;"[8] diaconus cum stola transversa ac dalmatica violacea; subdiaconus cum tunicella. Inferiores "clerici superpelliceo supra vestem talarem ornari debent." "Singuli cum . . . biretis suis."

305. "Pauperes, quibus mortuis nihil, aut ita parum superest, ut propriis impensis humari non possint, gratis omnino sepeliantur; ac debita lumina suis impensis, si opus fuerit, adhibeant Sacerdotes, ad quos defuncti cura pertinet, vel aliqua pia confraternitas."

"Nemo christianus in communione fidelium defunctus extra Ecclesiam aut Coemeterium rite benedictum sepeliri debet; sed si necessitas cogat aliquando ad tempus aliter fieri, curetur, ut corpus in locum sacrum quamprimum transferatur; et interim semper crux capiti illius apponi debet, ad significandum illum in Christo quievisse."

[8] Consuetudo ponendi calicem cum patena in Sacerdotis defuncti manibus toleranda est utpote antiquitati conformis. D. 2915. 9.

ART. III.

DE EXEQUIIS.

A. Praenotanda.

306. Exequiae omnibus diebus fieri possunt; at triduo sacro majoris Hebdomadae usque ad Sabbatum sanctum post meridiem officium et preces privatim, sine cantu, et voce suppressa recitandae sunt; item tempore expositionis SS. Sacramenti ob publicam causam, e. g. 40 horarum in ipsa Ecclesia exequiae fiunt sine cantu et Missa, et convenienter in aliqua capella laterali, si fieri possit.[1]

2. Diebus festis solemnioribus primae classis funera transferantur ad sequentem diem, aut saltem ad horas pomeridianas post diei Festi Vesperas, et sacris functionibus non impeditas, abstinendo tamen ab emortuali aeris campani sonitu.[2]

Proinde praeter triduum sacrum[3] ac tempus expositionis non licet campanas ecclesiae pulsare pro defunctorum funeribus (a primis Vesperis incipiendo) in festis Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Christi, Immaculatae Conceptionis, Annuntiationis et Assumptionis B. M. V., Nativitatis S. Joannis Baptistae, S. Joseph Sponsi B. M. V., Ss. Apostolorum Petri et Pauli, Omnium Sanctorum, et Patroni Dioecesis aut loci, ubicumque haec festa de praecepto celebrantur; et si non sint de praecepto, illae Dominicae, ad quas praefatorum Festorum solemnitas transfertur.[4]

In festis Titularis[5] ac Dedicationis propriae Ecclesiae,

[1] D. 3357.

[2] D. 27 Jan. 1883, n. 3570. 1.

[3] Feria V in Coena Domini post *Gloria* omnes campanae silent usque ad *Gloria* Sabbato sancto, quo die jam dicuntur primae Vesperae Paschatis.

[4] Cf. D. 8. Jan. 1904, n. 4130. —Si autem festorum suppressorum solemnitas non transferatur, uti apud nos quoad festa Epiphaniae, Annuntiationis, S. Joannis, S. Joseph, ac S. Patroni, quamvis sublata sit feriatio, nulla fit mutatio quoad caeremonias et solemnitatem. Ergo etiam illis diebus exequiae fiant expletis Vesperis diei ac absque emortuali campanae sonitu. Cf. Eph. Lit. XVIII. p. 308.

[5] Vel in Dominica, ad quam apud nos solemnitas transferri potest.

quum Missa exequialis vetita sit, exequiae laudibiliter differuntur ad vesperam, officio expleto.[6]

3. "Quantum fieri poterit, retineatur, ut Missa praesente corpore defuncti pro eo celebretur, antequam sepulturae tradatur." (De Missa exequiali vide no. 31.) Si in exequiis non totum officium sed unum tantum Nocturnum recitetur, primum semper Nocturnum sumendum est cum invitatorio. Officiator induitur superpelliceo (non alba) et stola nigra, potestque imponere pluviale. Nulli alii parati assistere possunt, sed omnes superpelliceo seu habitu chorali induti esse debent. Plura vid. n. 269.

4. "Negatur ecclesiastica sepultura paganis, Judaeis, et omnibus infidelibus; haereticis, et eorum fautoribus; apostatis a christiana fide; schismaticis, et publicis excommunicatis majori excommunicatione; interdictis nominatim, et iis, qui sunt in loco interdicto, eo durante; seipsos occidentibus ob desperationem, vel iracundiam (non tamen si ex insania id accidat), nisi ante mortem dederint signa poenitentiae; morientibus in duello, etiamsi ante obitum dederint poenitentiae signa: manifestis, et publicis peccatoribus, qui sine poenitentia perierunt; iis de quibus publice constat, quod semel in anno non susceperunt Sacramenta Confessionis, et Communionis in Pascha, et absque ullo signo contritionis obierunt; infantibus mortuis absque Baptismo. Ubi dubium occurrerit, Ordinarius consulatur."[7]

B. De Exequiarum Ordine, seu de modo sepeliendi Adultum.

307. Ubi fieri potest et solet, Clerici etc. ex Ecclesia[1] ad domum defuncti, vel locum ubi funeri obviam itur, (e. g. ad atrium Ecclesiae) accedunt hoc ordine: (a) Confraternitates laicorum, si adsint; (*b*) Cruciferarius, superpelliceo indutus medius inter ceroferarios cum candelis accensis; (*c*) Clerus

[6] Cf. De Herdt III. n. 235.

[7] 1° "An licitum sit nomen dare societatibus, quibus propositum est promovere usum comburendi hominum cadavera? *Resp.* Negative, et si agatur de societatibus massonicae sectae filialibus, incurri poenas contra hanc latas.
2° "An licitum sit mandare, ut sua aliorumve cadavera comburantur? *Resp.* Negative." S. C. Inq. 19 Maji 1886

[1] D. 2623.

regularis; (*d*) Clerus saecularis; (*e*) Celebrans "indutus superpelliceo et stola nigra, vel etiam pluviali ejusdem coloris," a cujus latere ibit clericus ferens vasculum aquae benedictae et Rituale; (*f*) alii, sive laici sive clerici in habitu vulgari.[2]

2. In domo defuncti vel loco praedicto se sistunt ad feretrum Celebrans, cum Clerico aquam benedictam ferente, ad pedes defuncti, Crucifer inter ceroferarios ad caput, et reliqui circa feretrum. Celebrans corpus adspergit aqua benedicta in medio, a sinistris et a dextris suis; deinde inchoat antiphonam *Si iniquitates,* et recitat cum Clero Ps. *De profundis,* etc., repetit antiphonam totam. Deinde funus effertur, et procedunt eodem ordine quo venerant (ut supra), Celebrans praecedens feretrum luminibus stipatum,[3] "inde sequuntur alii funus comitantes." Celebrans "intonat antiphonam *Exsultabunt Domino,* et cantores inchoant Ps. *Miserere* etc., ac si longitudo itineris postulaverit, dicantur Ps. graduales vel alii psalmi ex Officio Mortuorum."

(Si corpus non in Ecclesiam, sed statim ad sepulchrum defertur, sequitur antiphona *In paradisum.*)

"Ad ingressum Ecclesiae" cessat cantus psalmi, concluditur per *Requiem . . ei Domine,* et "repetitur antiphona *Exsultabunt Domino* etc."

3. Ecclesiam ingressi cantant Responsorium, cantore incipiente, et Clero alternatim respondente, videlicet *Subvenite* etc."[4] Tempore, quo absolvitur, clerici se dividunt in duas lineas, et in medio eorum deponitur feretrum, "ita ut defuncti pedes, si fuerit laicus, sint versus Altare majus; si vero Sacerdos, caput sit versus ipsum Altare."[5] Celebrans stat ad

[2] Martinucci, IV. 8, 14; et D. 14. Mar. 1903, n. 4109.

[3] "Cum antiquissimi ritus ecclesiastici sit, cereos accensos in exequiis et funeribus deferre, caveant Parochi, ne ejusmodi ritus omittantur, ac ne quid avare aut indigne in eo committatur." Si commode deferri nequeunt, saltem in Ecclesia sint appositi circa feretrum; "cereis accensis circa corpus dicatur officium." (Rit. Rom.)

[4] "Feretrum deponetur in media Ecclesia et cantabitur R. *Subvenite.*" Martinucci, IV. 8, 23.

[5] Item quoad tumbam in officio exequiali quando corpus sacerdotis non potuit ad Ecclesiam deferri. In delatione feretri ad Ecclesiam corpus Sacerdotis eodem situ quo corpus laici, nempe cum pedibus anterius, portatur. Cf. Van der Stappen, Lit. Sac. IV. p. 258.

[redacted]

pedes, Crucifer inter ceroferarios ad caput. In circuitu feretri sint cerei accensi.[6] Non vero licet, in feretro vel tumulo, dum pro aliquo defuncto exequiae fiunt, exponere eiusdem defuncti imaginem.[7]

4. Finito responsorio omnes discedunt, praecedente clerico cum Cruce, quae relinqui non debet ad feretrum. Tunc "statim, nisi quid impediat, dicatur *Officium Mortuorum,* cum tribus Nocturnis et Laudibus." In fine Laudum dicta Oratione non adduntur versus *Requiem aeternam* nec *Requiescant,* quia hi versus, qui deserviunt ad ultimum vale defunctis, in finem precum reservandi sunt.[8]

5. Si neque officium neque Missa dicenda sunt, Sacerdos in exequiis solemnibus ad portam Ecclesiae accipit pluviale, nisi ante illud detulerit, aderuntque Diaconus et Subdiaconus parati. Subdiaconus accipit Crucem et Diaconus se collocat a sinistris Celebrantis; thuriferarius praecedit Crucem, reliqua peraguntur ut infra.

6. "Dum in Officio dicuntur Laudes, Sacerdos," (si adsit alius ad cantandam Orationem *Absolve,*) "cum Ministris paratur ad celebrandam *Missam* solemnem pro defuncto, si tempus congruens fuerit, ut in die depositionis in Missali Romano." In qua Missa tenentur candelae infra Evangelium, (distribuendae sub cantu Sequentiae,) et a *Sanctus* usque ad Communionem Celebrantis inclusive.

Concio, si habeatur, fieri debet finita Missa ante absolutionem, et veste talari vel habitu Ordinis sine superpelliceo vel stola, nec benedictione petita ab Episcopo, si adsit.[9]

308. Absolutio ad feretrum. Si absolutio fiat sine Diacono et Subdiacono, acolythi eorum loco ministrant.

"Finita Missa Sacerdos" cum s. Ministris descendit per gradus laterales in planum ad cornu Epistolae, et "deposita casula et manipulo accipit pluviale nigri coloris" vel in ejus defectu retinet stolam super albam; item s. Ministri manipulos deponunt, atque, si Celebrans pluviali careat, etiam

[6] Si tunc reliquum officium mortuorum ad aliud tempus differatur, post *Subvenite* addi potest *Kyrie Eleison, Pater noster et* Oratio *Absolve* cum adspe D. 2983. 4.

[7] D. 30. April. 1896, n. 3898.

[8] Vide Rit. Rom. et De Herdt, III. 249.

[9] Caer. Ep. I. XXII. 6; et D.

dalmaticas. Accenduntur cerei pro Clero, si pro Missa distributi fuerant.

2. "Subdiaconus accipit Crucem" et medius inter duos ceroferarios accedit ante medium Altaris et se sistit sufficienti distantia ab eo; post ipsum thuriferarius et acolythus cum aqua benedicta et Rituali.

Celebrans[1] cum Diacono ab ejus sinistris ad planum ante medium Altaris accedit omnesque debitam reverentiam Altari faciunt, exceptis Crucifero et ceroferariis, et procedunt ad feretrum hoc ordine: (*a*) Thuriferarius a dextris acolythi cum aqua benedicta; (*b*) Cruciferarius "medius inter duos ceroferarios;" (*c*) "omnes alii de Clero cum candelis accensis;" (*d*) Celebrans et Diaconus ab ejus sinistris capite tecto; ante quos procedit Caeremoniarius.

3. Ad feretrum se sistunt: Subdiaconus cum ceroferariis ad caput defuncti, relicto commodo spatio Celebranti et Diacono transituris, Clerici in circuitu feretri, digniores Celebranti viciniores; Celebrans "sistit se contra Crucem ad pedes defuncti," aliquantulum versus cornu Epistolae, ne Altari tergum directe vertat;[2] "retro adstantibus ei a sinistris duobus acolythis, uno cum thuribulo et navicula incensi, altero cum vase aquae benedictae et adspersorio, et acolytho seu clerico tenente librum."

4. Celebrans (capite detecto sub tota absolutione), dicit Orationem *Non intres* etc., vel alta voce recitando vel in tono feriali Collectarum cantando. Verba *cum servo tuo,* utpote ex S. Scriptura citata nunquam mutantur in genus femininum vel in plurale.[3]

5. "Deinde," non prius, "cantore incipiente Clerus circumstans cantat Responsorium *Libera,*" quod Celebrans vel alternatim cum Diacono submissa voce recitare vel simul cum choro cantare potest. Circa finem Responsorii, quando post *Requiem aeternam* repetitur *Libera*, "Sacerdos, acolytho et Diacono ministrante" (dicente *Benedicite Pater Reverende*),

[1] "Post Missam in die obitus alius Sacerdos a Celebrante diversus accedere non potest ad absolutionem peragendam; hoc jure gaudet tantum Episcopus loci Ordinarius." D. 3029. 10. Potest tamen alius Sacerdos funus ad Ecclesiam adducere.

[2] Proinde in defuncti Sacerdotis absolutione Celebrans stat in medio directe ad Altare versus.

[3] D. 2355.

[redacted]

et Caeremoniario fimbriam pluvialis tenente, "incensum ponit in thuribulum," benedicens: *Ab illo benedicaris* etc.

6. Finito Responsorio, a choro dicitur vel cantatur *Kyrie eleison* etc. Deinde Sacerdos cantat vel "dicit alta voce *Pater noster*, et secreto dicitur ab omnibus, et ipse interim accipit a Diacono vel acolytho," sine osculis, "aspersorium aquae benedictae, et facta profunda inclinatione Cruci, quae est ex adverso, Diacono seu ministro genuflectente, et fimbrias pluvialis sublevante," facit reverentiam Altari[4] "circumiens feretrum (si transit ante Sacramentum, genuflectit), aspergit corpus defuncti," incipiens a sinistris corporis; praecedente Caeremoniario, si adsit, et comitante Diacono a dextris; aspergens ter in quaque parte laterali. Cum transit ante Crucem, se totaliter ad illam vertit et profunde inclinat, Diaconus et Caeremoniarius genuflectunt. "Deinde reversus ad locum suum" Diaconus accipit thuribulum, et facta reverentia ad Altare, Celebrans, "Diacono ministrante, accipit thuribulum et eodem modo circuit feretrum et corpus incensat, ut asperserat."[5] "Postea stans in loco suo," Diacono[6] vel "acolytho seu alio ministro tenente librum apertum ante se, dicit: *Et ne nos inducas* etc. cum Oratione" ut in Rituali, manibus junctis.

309. De Sepultura. "Finita Oratione corpus defertur ad sepulchrum." Clerici cum thuribulo et vasculo aquae benedictae procedunt ante Cruciferum, qui procedit medius inter ceroferarios; deinde reliqui clerici et Celebrans cum Diacono ante corpus in feretro vel curru positum.

2. Si Celebrans cum Clero funus usque ad coemeterium non comitetur, tota caeremonia completur in Ecclesia. Dum funus ad portam defertur, cantatur Ant. *In paradisum*. et deposito feretro ad portam, Ant. *Ego sum*, cant. *Benedictus* et reliqua cantari et fieri possunt.

Usus absolvendi omnia in priori loco in medio Ecclesiae

[4] Quae reverentia sufficit absque praevia ista inclinatione ad Crucem. (Martinucci et alii.)

[5] Si corpus sit Sacerdotis, Celebrans et Diaconus omittunt reverentiam seu genuflexionem ad Altare, quia solam Crucem ex adverso stantem in conspectu habere et illam transire censentur. De Herdt, III. 261.

[6] Rubr. M

[redacted]

"potest continuari juxta consuetudinem aliarum Ecclesiarum."[1]

3. "Quod si corpus tunc ad sepulturam non deferatur, omisso Resp. *In paradisum* etc., prosequatur Officium, quod nunquam omittitur," nempe *Benedictus* cum Oratione etc. Postea "in sacristiam revertentes dicant sine cantu Ant. *Si iniquitates,* cum Ps. *De profundis* etc."

4. Si celebrans funus ad coemeterium comitetur, "dum portatur, clerici cantant *In paradisum,* quod repetitur, si longior sit via, vel cantantur psalmi graduales, poenitentiales vel de officio defunctorum."[2]

Cum pervenerint ad sepulchrum, feretrum deponitur prope illud et omnes se sistunt juxta feretrum ut in Ecclesia infra absolutionem.

Si coemeterium non est benedictum, Sacerdos sepulchrum benedicit,[3] dicens orationem *Deus cujus miseratione* etc., post quam incensum in thuribulum imponit cum benedictione, *Ab illo benedicaris* etc., et aspergit corpus defuncti in medio, a sinistris et a dextris suis, deinde sepulchrum; postea utrumque eodem modo incensat.[4]

5. Sacerdos tunc intonat Ant. *Ego sum* et cantantur vel dicuntur *Benedictus* et reliquae preces. Infra *Pater noster* corpus aspergit in medio, a sinistris et a dextris suis, non recedens a loco suo. Post Orationem dicens *Requiem aeternam* dextra signum Crucis facit super feretrum.[5] Postea corpus sepeliatur.[6] Revertentes in Ecclesiam vel sacristiam dicant

[1] D. 2696. 1.

[2] Fideles aliquando occasione opportuna monendi sunt, ut in via abstineant ab ineptis colloquiis, et potius recitent Rosarium aliasve preces pro anima defuncti.

[3] Item semper benedicit novum sepulchrum ex lapidibus constructum. (D. 3400. 5. 2.)

[4] Si sepulchrum benedicendum non sit, etiam adspersionem et incensationem corporis omittendam censet De Herdt; e contra solam Orationem omittendam asserit Romsée.

[5] Rit. cel. Missam in fine. Martinucci, III. 11, 21.

[6] "Nihil obstat quominus in iis locis, ubi talis fert consuetudo, servetur ritus projiciendi terram super corpus defuncti in sepulchro; iste enim ritus, teste Catalano, et antiquissimus et innumeris in locis usitatus est." Falise.

Alicubi ter projiciendo dicit Sacerdos: "Memento homo,—quia pulvis es—et in pulverem reverteris." Vel: "De terra plasmasti eum (eam);—ossibus et nervis compegisti eum (eam);

sine cantu Ant. *Si iniquitates* cum Psalmo *De profundis*, et repetitur Antiphona.

310. Multis locis Sacerdos loco sermonis funebris apud sepulchrum (vel post Missam) sequentem similemve orationem recitat:

Let us pray.

O God! the Creator and Redeemer of all the faithful, hear our supplications and through Thy infinite love and mercy graciously grant to the soul of Thy servant departed the remission of all his (her) sins, by which he (she) may have deserved the severity of Thy divine justice and punishments in the world to come. Vouchsafe to him (her) grace and mercy before Thy divine tribunal, and let him (her) attain to everlasting rest and happiness, through the infinite merits of Jesus Christ. Amen.

O God, great and omnipotent! Judge of the living and the dead! before Whom we are all to appear after this short life, to render an account of our works: let our hearts, we pray Thee, be deeply moved at this sight of death, and while we consign the body of the deceased to the earth, let us be mindful of our own frailty and mortality, that walking always in Thy fear and in the ways of Thy commandments, we may after our departure from this world experience a merciful judgment and rejoice in everlasting happiness, through Christ, our Lord. Amen.

Lasst uns beten für die Seele des (der) Dahingeschiedenen.

O Gott, Du Schöpfer und Erlöser aller Gläubigen, erhöre unser flehentliches Gebet, und schenke durch Deine unendliche Liebe und Barmherzigkeit der Seele Deines (r) aus dieser Zeitlichkeit abgeschiedenen Dieners (Dienerin) die

—resuscita eum (eam) in novissimo die.''

Dein recitatur 1 *Pater* et *Ave* pro sepulto, alterum pro omnibus in coemeterio quiescentibus, tertium pro eo qui primus ex assistentibus moriturus est.

''Ritus a Rituali pro exequiis praescripti servandi sunt, salva tamen semper, ut notat Baruffaldus, aliquorum locorum consuetudine, quae in materia funerum multum operatur.'' De Herdt, III. 239.

milde Nachlassung aller Sünden, wodurch er (sie) die Strenge Deiner göttlichen Gerechtigkeit und Deiner Strafen in jener Welt verdient haben möchte. Lass ihn (sie) vor Deinem göttlichen Richterstuhle Gnade und Barmherzigkeit finden und durch das unendliche Verdienst Jesu Christi die ewige Ruhe und Seligkeit erlangen. Amen.

Grosser und allmächtiger Gott! Richter der Lebendigen und der Toten! vor dessen Angesicht wir nach einem kurzen Leben alle erscheinen und Rechenschaft von unsern Werken geben müssen: lass unsere Herzen bei dem Anblick dieses Toten tief gerührt werden, und uns alle, während wir dessen Leichnam beerdigen, unserer eigenen Hinfälligkeit und Sterblichkeit uns erinnern, damit wir beständig in Deiner Furcht und in den Wegen Deiner Gebote wandeln, und uns nach unserm Abschiede aus dieser Welt eines gnädigen Gerichtes und der ewigen Glückseligkeit erfreuen mögen, durch Christum, unsern Herrn. Amen.

311. Deficientibus ministris praeter *unum* acolythum Parochus haec observare potest.[1] Funus ad Ecclesiam ducit, acolytho Crucem ferente; ipse vero omnia recitat, Rituale sinistra, candelam accensam dextra tenens. Quando aqua benedicta ministranda est, acolythus collocabit Crucem ad parietem, vel in basi ad caput cadaveris.

2. Missa finita Celebrans descendit ad cornu Epistolae, ibique deposita planeta et manipulo accipit pluviale, ibi prius super aliquo scabello praeparatum; sin habeat, maneat in alba et stola. Acolythus praeparat thuribulum cum igne, vasculum aquae benedictae et Rituale in abaco seu scabello prope cadaver.

3. Tunc praecedente acolytho cum Cruce Celebrans, facta Altari reverentia, manibus junctis procedit ad feretrum. Acolythus, firmata Cruce in basi ad caput cadaveris, accedit ad sinistram Celebrantis biretum accipit, eique ministrat thus et aquam benedictam.

4. Parochus, sin cantores adsint, omnia alta voce recitat, acolytho respondente. Ad aspersionem et incensationem acolythus fimbriam dextram pluvialis sublevat.

[1] Juxta Martinucci et De Herdt.

[redacted]

ART. IV.

DE ABSOLUTIONE POST MISSAM DE REQUIE.

312. Hoc officium ad tumbam (tumulum, castrum doloris, lecticam seu cenotaphium) habetur in Missali (Rit. celebr. Missam, in fine) et in Rituali. Absolutio vocatur quia functio funebris eo absolvitur, vel quia Deus exoratur pro absolutione defunctorum a poena purgatorii.

2. Absolutio pro defunctis fieri vel Responsorium super sepultura quotidie cantari potest, exceptis tamen duplicibus primae classis, in quibus Absolutio et Responsorium neque locum habere poterunt privatim post absolutas vespere Horas canonicas. Quod si diebus permissis de mane fiant, numquam post Missam de die, nisi omnino independenter ab eadem.[1] Absolutio fiat ab ipso Celebrante, nisi adsit Episcopus loci Ordinarius.[2] Episcopus vero Titularis et nulla jurisdictione gaudens eamdem peragere nequit, quin Missam ipsemet decantet.[3]

3. Fit eodem modo ut in die obitus (supra, n. 308); excipe, quod Oratio *Non intres* dici non debet, quamvis dici possit,[4] et Celebrans etiam in absolutione pro Sacerdote defuncto se sistit inter Altare et tumulum nisi cadaver sit moraliter praesens.[5] "Resp. *Libera* canendum non est nisi finita Missa, et illud cantores incipiant, cum Sacerdos fuerit pluviali indutus et Subdiaconus cum Cruce ad pedes tumuli pervenerit."[6] Oratio (conveniens) brevi conclusione terminanda est. In fine ad *Requiem aeternam* "Celebrans facit crucem manu dextra super tumulum."[7] Tunc cantores cantant *Requiescat* vel *Requiescant in pace,* prout Absolutio pro uno vel pluribus facta est.[8]

4. In absolutione pro clericis super tumulum apponi possunt insignia Ordinis quo insigniti fuerint, v. g. stola nigri vel violacei coloris, non ad ornamentum tumuli sed ad distinguendam personae diversae dignitatem.[9]

1 D. 12. Jul. 1892, n. 3780. 8.
2 D. 3029. 10.
3 D. 9. Mai. 1893, 3798. 2.
4 Caer. Ep. II. XI. 17.
5 D. 20. Jun. 1899, 4034. 3.
6 D. 3108. 4.
7 Rubr. Miss.
8 D. 1611.
9 Cf. D. 2578, 12.

[redacted]

5. In reditu in Sacristiam, absolutione ad tumulum expleta, in Officiis et Missis cum cantu pro uno vel pluribus defunctis die 7., 30. et anniversaria aut etiam extra has dies celebratis, dici debet: "*Anima eius* (vel *animae eorum*) *et animae omnium Fidelium*" etc. et Antiphona: "*Si iniquitates*" cum Ps. "*De profundis*" et Oratione "*Fidelium Deus.*"[10]

ART. V.

DE EXEQUIIS PARVULORUM.

A. Praenotanda.

313. Hic ritus meram laetitiam spirans tunc solum adhibendus est, "cum infans vel puer baptizatus ante usum rationis" nec doli nec sacramentorum suscipiendorum capax i. e. ordinarie ante septennium, defunctus fuerit; reliqui vero, etsi S. Communione nondum refecti, sepeliendi sunt more adultorum, ne animae illorum qui peccati fuerint capaces, suffragiis orationis et sacrificii, quibus forte indigent, priventur. Quare, quum Parochus quidam puerum annorum novem non completorum, "cujus simplicitatem, innocentiam, integritatem perspectas haberet," exequiis parvulorum sepelierat, S. C. R. declaravit, "parochum male se omnino gessisse et strictim servandum Rituale."[1] Cerei adhibendi sunt, quia parvulorum corpora ut Spiritus sancti templa honoranda sunt, et significatur, eorum animas vivere, corporaque exspectare resurrectionem ac fruitionem lucis aeternae.[2] Missa votiva de Angelis legatur vel cantetur diebus tantum a Rubrica permissis.[3]

B. De Ordine Sepeliendi Parvulos.

314. "Parochus superpelliceo et stola alba[1] indutus, et alii de Clero, si adsint, praecedente Cruce, quae sine hasta defertur,[2] accedunt ad domum defuncti," vel locum, ubi funeri

[10] D. 11. Mart. 1899. n. 4014.
[1] Cf. De Carpo, Bibl. lit. V. 169.
[2] Cav., De Herdt.
[3] D. 3481. 2.

[1] Etiam in Triduo sacro.
[2] Quo denotatur, quod parvuli solis Christi meritis et nullis eorum propriis salvi sint. Cav.

obviamtur, eodem ordine ut pro adulto (n. 307). Psalmi *Laudate pueri* et *Beati immaculati* et reliqua cantantur vel recitantur, ut in Rituali.

2. Si funus sine praesentia Sacerdotis ad Ecclesiam afferatur, officium sepulturae in Ecclesia incipi potest ab Antiphona *Hic accipiet* cum Ps. 23. *Domini est terra,* qui dicitur, "cum pervenerint ad Ecclesiam:" i. e. feretro in media Ecclesia deposito.[3] Ibi omnes se sistunt, ut in exequiis adultorum; Sacerdos adspergit corpus in medio, a sinistris et dextris suis, non circuiens feretrum.

3. "Dum portatur ad tumulum, et etiamsi tunc non portetur, dicitur Ant. *Juvenes et virgines* et Ps. *Laudate Dominum de coelis*" et reliqua. Finita Oratione, antequam funus in sepulchrum demittitur, Sacerdos incensum in thuribulum imponit et benedicit (*Ab illo benedicaris* etc.); tum aqua benedicta ter adspergit, prius corpus, deinde tumulum separatim; similiter ter incensat tum corpus tum tumulum.[4]

4. "Cum a sepultura revertuntur in Ecclesiam, dicatur *Benedicite* etc. Deinde ante Altare Oratio," ut in Rituali.

5. Si funus tunc ad tumulum non portetur, vel si Sacerdos illud non comitetur, omnia dicuntur et fiunt in media Ecclesia, probabilius etiam corporis adspersio et thurificatio.[5]

ART. VI.

DE MUNERE CONCIONANDI.

315. "Concionator, si de Clero regulari fuerit, retinebit habitum ordinis sui; sin erit e Clero saeculari, debet uti superpelliceo. . . . Extra Urbem mos est, ut Concionator si Presbyter sit, stolam induat e collo pendentem, si Diaconus, utatur ipsa posita in humero sinistro et in latere dextro firmata."[1] Stola concionatoris sit coloris officio diei respondentis etiam die 2. Novembris.[2]

[3] Verba enim ista intelligenda sunt, non de primo accessu, sed de tempore quo omnia in Ecclesia disposita fuerint. De Herdt, III. 270; et Martinucci, III. 11, 33.

[4] Haec adspersio et incensatio tumuli rationem benedictionis sepulchri habere videntur, ita ut in coemeterio benedicto corpus tantum adspergatur et incensetur. Cavalieri.

[5] Cavalieri.

[1] Martinucci, V. 10.

[2] D. 6. Febr. 1892, n. 3764. 13.

2. Pastores animarum fidelibus sibi commissis praedicare tenentur (*a*) ex jure divino[3] (*b*) ex jure ecclesiastico; tenentur "per se vel per alios idoneos, si legitime impediti fuerint, *diebus saltem dominicis et festis solemnibus*"[4] Praeterea tempore Quadragesimae et Adventus et alias quotiescumque id opportune fieri posse Episcopus judicaverit.[5] Conc. Pl. Baltim. III. *praecipit,* ut diebus dominicis et festis solemnibus, etiam *aestivo tempore,* omnes qui curam habent animarum, inter celebrationem omnium omnino Missarum quibus adstant fideles, Evangelium diei legant, atque si tempus patiatur, per duodecimam horae partem, populum in lege Domini erudiant, omni consuetudine aut praetextu in contrarium non obstante. Sermo vero proprie dictus habeatur in Missa ultima,[6] etiam (ut ex contextu patet,) tempore aestivo, omni consuetudine aut praetextu in contrarium non obstante.

3. Munus praedicandi pastores animarum per se obligat sub gravi, ita ut si per notabile tempus, e. g. per mensem continuum omiserint, graviter peccent.[7] Paucis vero vicibus per annum, "in aliquibus solemnioribus diebus ex dispensatione Episcopi"[8] (e. g. ob processionem in festo Corporis Christi), sermo sine peccato omitti potest.

Etiam *conciunculae* supra dictae in Missis privatis sunt de praecepto, et oneratur conscientia pastorum, ut non omittantur absque vera causa excusante, (*si tempus patiatur*); quae causa debet esse extraordinaria seu extrinseca; alias legislatio evaderet inanis et absurda; et inane in hoc Decreto adderetur: "Quod si quis obstinate neglexerit, ab Ordinario severe puniatur."[9]

4. "Sermo sit *facilis*"[10] ut ab indoctis et simplicibus plane intelligatur; nam "pauperes evangelizantur," ne praedicator in judicio audiat verba: "Parvuli petierunt panem, et non erat, qui frangeret eis."

Concilium Sacerdotibus suadet, ut "doctrinam christianam apte tradere studeant, etiam secundum ordinem Cate-

[3] II. Tim. IV. 2; Eph. IV. 1, 4; I. Cor. IV. 15; Ezech. III. 17, 18 et XXXIV. 2, 3 (Vae pastoribus, qui pascebant semetipsos. . . . gregem autem meum non pascebatis.)

[4] C. Trid. Sess. V. de Ref. c. 2.

[5] C. Trid. l. c.

[6] No. 216.

[7] S. Alph. Lig. Th. Mor. de 3 praec. Decal. n. 269.

[8] S. C. C. Apr. 1876.

[9] C. Pl. Balt. III. n. 216.

[10] Ibid.

chismi . . . aut alterius probati auctoris."[11] Maxime commendandum, ut aliquando praecipuae partes totius doctrinae christianae continua fere serie sermonum exponantur. "Seriem materiae in concionibus tractandae dividant secundum ordinem catechismi dioecesani ita, ut in Dominicis per annum in forma concionatoria materiam catechismi ubiore cum explicatione proponant et per spatium quidem singulorum *quinquenniorum* repetant; hinc enim populus et succrescens juventus per continuam culturam sufficienter in fide et sanctitate vitae edoceantur."[12] Tales series institui possunt, non tantum de generalioribus materiis, uti de articulis symboli, de praeceptis decalogi et Ecclesiae, de Sacramentis etc., sed etiam specialius, e. g. de Sacrificio Missae, de Sacramento Poenitentiae, de oratione, de octo beatitudinibus, de peccatis capitalibus etc. Solemnitates vero a tali serie excipiantur.

5. "*Brevis* sit oratio evangelica,"[13] quae "regulariter ultra horae dimidium nunquam duret diebus Dominicis."[14] "Assidua sit verbi Dei praedicatio." Qui solo Dei amore et animarum zelo movetur, paucitate vel ruditate auditorum non deterretur. "Eadem mentis constantia magnis loquebatur et parvis, eadem spiritus jucunditate paucis loquebatur et multis."[15]

316. Quamvis orator sacer profana et modum mere mundanum rejiciat, tamen rhetoricae sacrae adjumenta adhibere satagat. S. Alphonsus Episcopus ipse Seminaristas suos rhetoricam edocebat.

Diligenter se praeparet pro singulis concionibus; agitur enim de verbo Dei et de opere unde magnopere pendet salus animarum.

11 C. Pl. Balt. III. n. 216.

12 Instr. Past. Eyst. n. 687, ed. 1902.

De quibusdam rebus autem saepius, singulis saltem annis, opportuno tempore agendum videtur; (1) de modo privatim baptizandi in casu necessitatis; (2) de contritione perfecta (in periculo mortis); (3) de praeparatione pro Confessione et Communione eorumque frequenti usu; (4) de sanctificandis diebus Dominicis et festis; (5) de schola catholica et educatione juventutis; (6) de matrimoniis mixtis (C. Plen. B. II. 336), etc.

13 C. Pl. Balt. III. l. c.

14 Sutor, p. 463; et alii.

15 S. Bonav. in vita S. Franc. c. 12.

2. Quaeri potest, num concio integra sit scribenda et ad verbum, aut juxta sensum et ordinem materiae tantum memoriae mandanda, an praecipuae partes ("puncta") tantum annotandae et disponendae sint. Respondendum, id pendere a cujusvis indole, a tempore aliisve circumstantiis. At certe suadendum est, ut per 5 vel 10 fere annos priores sacerdotii consciones integrae pro posse scribantur, etsi ob defectum temporis non semper memoriter edisci possint.

3. "Selecta et praeparata materia concionis sit loco, tempori et auditoribus accommodata. Exordium non sit vulgare commune, longum, sed breve, proprium, quod reddat auditorem attentum, docilem et benevolum.—A thesi seu genere proximo mox progreditur orator sacer ad propositionem, quae claritatis et juvandae memoriae gratia in partes ferme in propositione jam contentas dividatur."[1] Etsi talis divisio vel dispositio non semper prius annuntiari debeat, tamen virtualiter in expositione omnino inesse debet. Unitas et ordo in quavis bona concione essentialiter requiruntur. S. Carolus docet: "Quaecumque ad dicendum pie meditatas est, *ita distincte* partiatur, ut auditores omnia et facile percipiant et memoria teneant; quo majorem inde fructum capere queant."[2]

4. "Peroratio seu epilogus potiora orationis sacrae capita repetat et affectum in concione primario inculcatum firmissimum reddat simulque ad executionem eorum, quae sunt proposita, efficacissime urgeat."

5. "Parum fructum sperare poterit nec officio satisfacit, qui obviam materiam, ex quodam auctore memoriae commendatam, declamat. Poterunt quidem subsidia ex libris peti; sed ut cum fructu quis dicat ad populum, necessarium est, ut dicenda et proprio et populi genio accommodentur, quod absque labore et studio nequit."[3]

6. Concio infra Missam habetur post Evangelium.[4] At de consensu Ordinarii Sacerdos in Missa postquam se communicavit et priusquam Communionem adstantibus distribuit ab altari sermonem ad populum habere potest.[5]

[1] Sutor, p. 462.
[2] Act. Med. p. 550.
[3] Sutor, p. 463.
[4] Concionator deponat casulam et manipulum ad scamnum, si ipse ascendat ad pulpitum; secus, manipulum tantum in Altari.
[5] D. 3059. 10.

ART. VII.

DE MUNERE CATECHIZANDI.

317. Sacerdotes curam animarum habentes tenentur pueris et rudibus doctrinam christianam seu catechismum explicare. In hunc finem debent adire "diebus dominicis scholas catechismi ferialibus autem parochiales, ac etiam collegia seu gymnasia et academias puerorum et puellarum, quae a Sacerdotibus non reguntur."[1]

"Tanta haec res est et tanti momenti, ut inde plurimorum salus hominum dependeat."[2]

Pro prima Communione "ipsimet rectores vel eorum vicarii parvulos *saltem* per sex hebdomadas et ter in unaquaque hebdomada, (saltem in loco ubi resident vel ad quem facilius accedere possunt,) catechismum doceant."[3]

2. Quoties Sacerdotes alio tempore catechizare teneantur, a variis circumstantiis pendet. Regulariter singulis Dominicis (etiam pro pueris per duos annos post solemnem Communionem[4] exceptis forsan extraordinariis solemnitatibus), et *bis* saltem infra hebdomadam in scholis parochialibus per dimidiam fere horam.[5] Si catechesis in scholis parochialibus

[1] C. Pl. Balt. III. n. 217. "No school, however Catholic it may be in other respects, shall be considered a fit Catholic Parochial school to which children must be sent, unless it be regularly visited several times a week by the Parochial Clergy for catechetical instruction." Instr. D. Alt. 17 Apr. 1875, n. 70.

[2] Instr. Past. Eyst. n. 698.

[3] C. Pl. Balt. III. n. 218.

[4] Ibid.

[5] It is not left optional with Pastors to have these Sunday and holy-day schools or not; they are, *sub gravi*, obliged to have them, and to impart, either themselves or through other Priests, the catechetical instruction above spoken of. The Council of Trent XXIV. Sess. Cap. IV. imposes on Bishops the obligation to see that pastors teach the catechism to children, at least every Sunday and holy-day, and to enforce, if necessary, by censures, the fulfillment of this duty by Pastors. Clement XV., in 1713, through the congregation of the Council, issued a decree expressly forbidding all vacation for catechism." The same congregation renewed the same decree under Benedict XIV. in 1744, adding that if only one child should come to catechism, catechism should be held: "etiamsi nullus nisi unus ad audiendum accedat." I[illegible] Alt. l. c. n. 82.

[redacted]

a Sacerdotibus negligatur, praeceptores sive saeculares sive regulares magna ex parte in vanum laborant. "Praeceptores sacerdotali charactere non insigniti, sive religiosi sive laici, magno equidem sunt adjumento in juvenum institutione, at munus verbi Dei docendi sibi proprium non habent. 'Labia enim sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus.' (Mal. II. 7.)"[6] "Parochus quidam, excepto tempore Quadragesimae et Adventus omiserat instructionem catecheticam; merito Episcopus ipsum contumacem suspensione plexit; nec parocho suffragari potuit illius loci consuetudo, quam invocabat, quae nullam vim habere potest hac in re contra expressam Tridentini sanctionem."[7]

318. Modus catechizandi parvulos. Initium fiat invocatione Spiritus Sancti, per brevem orationem, vel per cantilenam puerorum et puellarum.

"Habendae sunt catecheses juxta ordinem et normam catechismi dioecesani."[1] Catechista ita stabit et tali voce omnia pronuntiabit, ut ab omnibus audiri et videri possit.

Quaestiones suaviter et familiariter proponat, intelligenter exponat et rite ad usum et praxin applicet.[2]

"Non multa, sed multum dicere; unde quod est docendum, summa cura praeparandum est,[3] ut verba sint clara, sint concinna, ad captum puerorum accommodata, et ita penes dicentis arbitrium disposita, ut, si dum proferuntur, minus bene intelligi videantur, statim meliori modo variari queant."[4] Indolem puerorum eorumque loquendi modum seu loquelam

[6] C. Pl. Balt. III. n. 217.

[7] Acta S. Sedis, V. 22 in Decr. S. C. C. 6 Jun. 1863.

[1] Syn. Pad. sub doctissimo episcopo Mart. Conrad, qui praescribit, ut catechismi totius explicatio singulis bienniis absolvatur. Alibi singulis annis integer quidem catechismus explicatur et addiscitur, at in sectione puerorum superiori explicitius, nempe additis quaestionibus difficilioribus, (signo quodam notatis), quae anno praecedenti omissae fuerunt,—vel prius ex parvo, dein ex majori catechismo.—Circumstantiae diversae diversa requirunt.

[2] Cf. Instr. Past. Eyst. n. 712.

[3] Bene catechizare est enim res difficilior quam bene praedicare. Majores quoque fructus faciet majusque meritum recipiet catechista bonus et fidelis.

[4] Stat. Leod. n. 129.

indagare, ut ipsis sese accommodet, infirmis infirmus, omnibus omnia factus.[5]

2. Catechista igitur singulas quaestiones proponet, ipsarum sensum exponet, modo verba et conceptus singulares dilucidans, modo ipsas veritates earumque nexum explicans; transeundo a veritatibus elementaribus et captui facilioribus ad difficiliores; simul illustret similitudinibus, parabolis, exemplis, praecipue ex sacra Scriptura sumptis. (Magnopere dolendum, si historia sacra in schola Catholica negligeretur!)

3. "Interrogationes explorantes crebrius adhibendae sunt et toti catechesi intermiscendae[6]; sed interrogationibus heuristicis, quae vocantur, pro rerum natura parce, et in explicandis fidei mysteriis, quae ex animo humano erui non possunt, nunquam utendum."[7]

[5] "The teacher's language should, to be perfect, combine the simplicity of the child with the accuracy of the finished scholar. It should be his constant study to simplify his language as far as possible, never employing a word the meaning of which is not familiar to the least talented member of the class. . . . Let him observe what sort of words they use in their intercourse with one another and in their answers in class, and follow their example. Saxon, instead of foreign words, should be used, and short rather than long ones. But all long words are not, for that reason, to be regarded as difficult. The only rule that can be given on this important point is, *Study to make yourself perfectly understood by all.*" The Sunday School Teacher's Manual by Rev. A. A. Lambing, p. 50.

[6] "Explaining and questioning cannot be separated in teaching catechism. Questions must be divided into those of examination—of explanation—of instruction—of recapitulation or review.

"No useless or irrelevant questions should be asked,—questions that do not bear upon the lesson, and those that relate to matters with which the children are known to be already familiar. Questions that are evidently beyond the ability of the children are equally out of place. Never ask a question with a direct view of puzzling the children. Never laugh at an answer, or make light of it, or show disappointment on hearing it, nor permit others to do so. On the contrary, it should be the aim of the teacher to encourage the children to speak out freely. With a little dexterity he can correct faulty answers, without even commenting on them.

"Care should be taken not to ask too difficult a question in the beginning. . . The best manner of putting a question is for the teacher to ask it before naming the child who is expected to answer, and then to point out the one who is required to speak." Rev. A. A. Lambing.

[7] — "Methodum il-

[redacted]

4. Catechista explicationi fusiori solus raro inhaereat, sed quaestiones frequenter interponat, saltem quaestiones repetitorias.[8]

5. "Pueri puellaeque catechismi verba memoriae accurate imprimant."[9] Prius interrogentur magis eruditi; sed rudiorum quoque cura habenda eisque animus est injiciendus. Cavendum est catechistae ne irridendo eos subsannet, aut ab aliis irrideri patiatur.[10]

"Si nihil proficiat, blande objurget et leviores quasdam poenas comminetur potius quam infligat, ad convicia vero nunquam et haud facile ad verbera deveniat, sed potius parentum aut praepositorum opem imploret."[11] Ita generatim

lam, juxta quam parvuli ipsi per solam ratiocinationem diversis et continuis interrogationibus ductam veritates quasi ex proprio ingenio haurire videantur, prorsus rejiciat [Catechista]; hic enim ratiocinandi modus omnino exercitium naturale est et in rebus fidei fallax et commenticium, cum fides iuxta apostolum (Rom. 10, 17.) ex auditu sit auctoritati Dei innixa. Maximi igitur momenti esse sibi persuadeat sacerdos, ut parvuli sciant, *Deum* esse locutum et veritatem propositam revelasse; *Ecclesiam* sacris innixam scripturis et traditionibus hanc nobis communicasse.'' Inst. Past. Eyst. n. 713.

8 ''He may employ this [*Lecturing*] method to great advantage at intervals, and with the larger children [e. g. enarrando historiam vel ad excitandos cordis affectus], but should not adopt it as an every-day resort. He should pause at short intervals—short, remember—and ask questions on what has just been explained. The learned Canon Dubois says: 'Speak little and make the children speak much. Almost all catechists are great talkers: this is a crying abuse. Think you in good faith that your little children are following you through that long string of words and phrases where you cease to be a catechist, to become a preacher? . . There is not one of your long and useless explanations which might not be most usefully given by dividing them sentence by sentence, and by making each sentence the matter of so many questions, to which you would oblige your children to reply.'' Ibid.

9 C. Prov. Vienn. a. 1858.—''In general, it is much better to assign short than long lessons. But, whatever be the length of the lesson, *it should be entirely committed to memory by the class.*'' Rev. A. A. Lambing.

10 ''Many a child of a timid and diffident character who, by tender and considerate treatment, might have been encouraged to make the best use of his intellectual powers, has been paralyzed and stupefied by a harsh and overbearing manner on the part of his teacher.'' Canon Oakley.

11 Instr. Past. Eyst. n. 706.

Synodi poenas corporales a Sacerdote (etiam in schola) infligendas omnino vetant, utpote characterem et lenitatem sacerdotalem non decentes.[12] Ut debitum silentium et ordo servetur, durante catechesi magister vel magistra, aliave persona religiosa vel honesta invigilet atque absentes in pagella annotet, et postea a parentibus vel tutoribus talis absentiae causam exquirat.[13]

6. Catechista assignans quaestiones pro instructione proxima addiscendas breviter ipsarum sensum explicabit.[14]

[12] Cf. Syn. Pader.: Stat. Leod.; Benger Past. pag. 600.

[13] Cf. Inst. Past. Eyst. n. 709. "If the teacher wishes to keep the class in order, he must begin by keeping himself in order. He enjoys no exemption. Unbecoming levity of manner or conversation, as well as bursts of passion, undermines his authority. . . Again, he must remain always in the presence of his class, and in such a position as to have all the children constantly under his eye. The eye, not the voice, is the instrument of good order." A. A. Lambing.

"A great rule for keeping order is: Be consistent; never promise or threaten anything which you are not able or willing to carry out." Kellner.

[14] It will greatly aid the children if, after the recitation of the day's lesson, he gives an idea of the matter of the next lesson." A. A. Lambing.

[redacted]

CAPUT IX.

DE BENEDICTIONIBUS.

ART. I.

ANIMADVERSIONES GENERALES.

319. Benedictio, graece *Eulogia*,[1] liturgice est invocatio Dei nomine Ecclesiae a sacro ministro (Episcopo vel Presbytero) facta, aut, (*a*) ad postulandum personis vel rebus aliquid boni, non immutato earum statu (i. e. benedictio *invocativa*, e. g. benedictio puerorum, puerperae, domus, rei commestibilis,) aut, (*b*) ad conferendum aliquod esse sacrum personae vel rei, ut, profano relicto statu, novum illum non amplius immutet, (benedictio *constitutiva*. e. g. bened. Abbatis, monialium, Ecclesiae, sacrorum vasorum, indumentorum.) Res fit quasi instrumentum salutis sive animarum sive corporum. "Omnis creatura sanctificatur per verbum Dei et orationem."[2] Christus benedixit parvulos, panem et pisces.[3]

2. Benedictiones sunt: (*a*) aut episcopales, aut sacerdotales; (*b*) aut reservatae aut non reservatae.

Benedictiones episcopales seu Episcopis propriae sunt eae, in quibus intervenit sacra unctio, e. g. Altaris, calicis. Reservatae sunt etiam, (sed ex Episcopi delegatione a quolibet Sacerdote fieri possunt): benedictio primarii lapidis, Ecclesiae, coemeterii, ejusque et Ecclesiae (solum benedictae) violatae reconciliatio, benedictio novae Crucis et imaginis publice exponendae, (e. g. in coemeteriis) si fiat cum solemnitate, concursu populi, pluribus ministris etc.; item benedic-

[1] Eulogia praecipue est panis benedictus.

[2] 1 Tim. IV. 5.

[3] Cf. Marc. XVI. 17, Hebr VII. 7.

tiones sacerdotalium indumentorum, mapparum, corporalium, tabernaculi seu ciborii. (Ad quas benedictiones posteriores Sacerdotes hic ab Episcopis plerumque delegantur.)

3. De jure Parochi est benedictio nuptiarum (benedictio vero mulieris post partum non est reservata[4];) item de jure Parochi est benedictio domorum in Sabbato sancto et agrorum, nisi contraria alicubi vigeat consuetudo.

4. Reliquae benedictiones in Missali et Rituali Romano contentae (si excipiatur benedictio Papalis super populum et in articulo mortis,) a quolibet Sacerdote et quolibet tempore fieri possunt, non vero in alterius Ecclesia, Rectore invito, nec publice et solemniter in locis alterius jurisdictionis. Tales sunt benedictiones aquae, comestibilium, loci, domus novae.

ART. II.

DE REGULIS GENERALIBUS BENEDICTIONUM.

320. "In omni benedictione extra Missam Sacerdos saltem superpelliceo et stola pro ratione temporis," i. e. officii diei, "utatur, nisi aliter in Missali," vel in Rituali "notetur." Stat capite aperto et, nisi librum teneat, manibus junctis, eas non disjungendo ad *Oremus* etc. Signum Crucis praecipue adhibetur. "Crux est omnium fons benedictionum et omnium gratia gratiarum."[1]

2. In benedictionibus candelarum (2 Febr.), cinerum et palmarum candelae Altaris accendendae sunt; pro aliis non requiritur. Aspersio, et si notetur incensatio, ter fieri debet, in medio, a dextris rei benedicendae, et a sinistris rei hoc modo, nihil dicendo, nisi notetur. Si benedictio fiat ad Altare, Sacerdos stat in cornu Epistolae.

2 1 3

3. Formulae praescriptae, non aliae, adhibendae sunt; prohibentur enim "benedictiones omnes eccleciasticae, nisi approbatae fuerint a Sacra Rituum Congregatione."[2] Si specialis benedictio non habeatur, adhiberi potest "Benedictio ad omnia" ex Appendice Ritualis Romani.

[4] S. C. Conc. 7 Dec. 1720, apud Adone I. 1084. Cf. S. R. C. 21 Nov. 1893, n. 3813. 2.

[1] S. Leo.

[2] Bened. XIV. D. 2725. 9.

[redacted]

4. Ad benedictionem requiritur praesentia moralis rei benedicendae. Quarti requirit, ut res benedicendae sint coram benedicente intra viginti passus, alii docent sufficere propinquitatem viginti aut triginta passuum.[3] Certo non benedicuntur res, quae in sacculis vel sub vestimentis retinentur vel inter populi assistentis multitudinem quasi absconduntur, aut a benedicente nec videri nec in se aut alio continente ordinario demonstrari possunt.[4]

ART. III.

DE QUIBUSDAM BENEDICTIONIBUS SPECIALIBUS.

321. Benedictio novae Crucis in Rituali assignata adhibenda est solum pro Cruce sine imagine Crucifixi; alias sumenda est benedictio ibi sequens pro imaginibus Jesu Christi etc.

2. Quoad varias benedictiones in Appendice ad Rituale Rom. attendendum est, num ex speciali tantum delegatione valide vel licite adhiberi possint, num sint propriae regularibus Ordinibus, num sint reservatae necne; et si reservatae sint, vel ex speciali facultate S. Sedis concessae, attendendum est, an requiratur licentia Ordinarii seu Episcopi, i. e. illius Dioecesis in qua peraguntur.

3. Ad benedicendas Cruces, numismata et rosaria seu coronas cum applicatione indulgentiarum "sufficit unicum signum crucis pro pluribus benedictionibus atque indulgentiarum adnexionibus. Et declaratio non extendatur ad metallica numismata scapularibus substituenda;"[1] at pro rosariis S. Dominici et coronis septem Dolorum B. M. V. peculiaris forma servanda est.[2] Scapulare novum pro jam induto benedici non debet.

4. De benedictione et erectione Stationum S. Viae Crucis.

(*a*) Episcopis nostris a S. Sede concessa est facultas "erigendi in locis suae Dioecesis, in quibus non adsint PP. Fran-

[3] Cf. S. Alph.
[4] De Herdt, III. 294.

[1] S. Congr. S. Off. (Sect. de Ind.) 18. Maii 1914.
[2] S. C. Ind. 29 Febr. 1864.

ciscales, pium exercitium Viae Crucis cum applicatione omnium indulgentiarum et privilegiorum, quae Summi Pontifices ejusmodi exercitium peragentibus impertiti sunt, addita insuper potestate hanc facultatem communicandi Presbyteris sacro ministerio fungentibus." (Fac. extr. C.)

(*b*) Hac facultate Via Crucis erigi potest in Ecclesiis et Oratoriis publicis, immo "etiam extra Ecclesias et Oratoria publica; non tamen in 'Oratoriis privatis indulto Apostolico erectis (?)' vel in Oratoriis in quibus Missam celebrare non licet."[3]

(*c*) Cum Episcopus Sacerdotem idoneum subdelegat[4] ad erigendam Viam Crucis, ejusmodi subdelegatio *scripto* est concedenda *sub poena nullitatis*.[5]

Si quis facultate ordinaria, vel ex immediata delegatione S. Sedis Viam Crucis erecturus sit in locis jurisdictioni et visitationi Ordinarii subjectis, requiritur *licentia Ordinarii loci;* nec sufficit, ut ejusmodi licentia seu consensus sit generice praestitus, sed requiritur in singulis casibus *pro unaquaque Stationum erectione*.[6]

(*d*) Requiritur praeterea consensus Parochi et Superiorum Ecclesiae, Monasterii, Hospitalis et loci pii, ubi Stationes S. Viae Crucis erunt erigendae, ac insuper Sacerdotis erigentis deputatio ac Superioris localis consensus (quoad Regulares). At non requiritur Parochi consensus in casu erectionis faciendae in Hospitalibus, Ecclesiis, Capellis ac domibus Congregationum Sororum, administratis de facto independenter a Parocho per capellanum nominatum ab Episcopo, et in aliis locis de jure vel saltem de facto a jurisdictione parochiali exemptis.[7]

(*e*) Post legitime constitutas S. Viae Crucis Stationes confici debet peractae erectionis instrumentum (processus verbalis), ab erectore propria manu subscribendum, et *a concessionario custodiendum*, una cum Ordinarii licentia, et

[3] Konings, Comment. in Facult. apost. n. 147.

[4] Qui tamen alium subdelegare nequit.

[5] Decreta auth. S. C. Indulg. n. 175, et S. C. Indulg. 6 Aug. 1890.

[6] Decr. auth. n. 445 ad 3, et Instructio de Stationibus S. Viae Crucis auctoritate Min. Generalis tot. Ord. Fratrum Minorum edita et a S. Congr. Ind. approbata 1884.

[7] Instr. n. 22.—S. C. Indulg. 26 Sept. 1892.

Parochi ac Superiorum loci consensu, quae *ante* erectionem *in scriptis* obtineri debent.[8] Item postulatio ad Episcopum directa et concessionis instrumentum in archivo Episcopatus conservanda sunt; sed additur: "non sub poena nullitatis."[9]

(*f*) Cruces debent esse ligneae. Non requiruntur imagines, quae tamen laudabiliter adhibentur et benedici possunt.

(*g*) Congr. S. Off. (Sect. de Ind.) d. 10. Mar. 1914 omnes Viae Crucis erectiones eousque ubique locorum ob quoscumque defectus invalide factas benigne sanavit.[10]

[8] At obtenta ab Episcopo in scriptis facultate delegata, et Parochi vel Superioris postulatione scripta non requiritur diversum instrumentum de eorum consensu.—(Instr. n. 30.)—S. C. Indulg. vult omnino praecavere, ne postea dubium oriatur circa canonicam Stationum erectionem.

[9] S. C. Ind. 6 Aug. 1890.

[10] Stationes vero post diem 10. Mar. 1914 non rite erectae adhuc invalidae sunt.

CAPUT X.

DE PROCESSIONIBUS.

ART. I.

ANIMADVERSIONES GENERALES.

322. Processiones, juxta exemplum V. T., et Christi Domini triumphalis ingressus in Jerusalem, a Christianis jam prioribus saeculis, quamvis rarius in temporum angustiis, instituebantur.[1] Inde a tempore Constantini M. solemnes et frequentes esse coeperunt,[2] in quibus populus precabatur pro fructibus terrae, pro divina miseratione in publicis calamitatibus, ad avertendam haeresim etc. Processiones appellabantur etiam *Litaniae* i. e. supplicationes, ob finem, cujus causa instituebantur; etiam *Stationes* ex vetusto ritu Urbis; quum enim *Statio* apud quampiam Ecclesiam haberetur, populus cum Clero ad aliam proximam sacram aedem conveniebat, expectans Pontificem, quo adveniente solemni ordine decantando Litanias aliasve preces inde ad locum Stationis procedebatur, ubi Pontifex sacrum faciebat.[3] Praeterea "sacra processio est typus nostrae peregrinationis ad patriam coelestem."[4]

2. "Processiones quaedam sunt ordinariae, ut in festo Purificationis B. M. V., et in Dominica Palmarum, et in Litaniis majoribus in festo S. Marci, et in minoribus Rogationum triduo ante Ascensionem Domini, et in festo Corporis Christi, vel aliis diebus pro consuetudine Ecclesiarum."[5] Quae qui-

[1] S. Archelaus Ep. anno 277 refert processionis morem "in nos traditione descendentem;" plura millia Christianorum jejunantium ad petendam pluviam pro fructibus terrae processionem habuerant. Acta disp. S. Archel. Galland. III. p. 569.

[2] S. Gregorius Naz. or 42 ad pop. Constant.

[3] Vide n. 137.

[4] De Carpo biblioth. liturg. V. 127.

[5] Rituale Rom.

[redacted]

dem processiones in Ecclesiis collegiatis et parochialibus saltem, si commode fieri possit, juxta ordinem in Missali et Rituali praescriptum haberi debent,[6] sive extra, sive intra Ecclesiam.

"Quaedam vero sunt extraordinariae, ut quae variis ac publicis Ecclesiae de causis in dies indicuntur." Quae novae institui nequeunt absque Episcopi venia.

ART. II.

DE ORDINE IN PROCESSIONIBUS SERVANDO.

323. "Praeferatur Crux, et ubi fuerit consuetudo, vexillum sacris imaginibus insignitum." Crux defertur per Subdiaconum assistentem, (vel in processionibus SS. Sacramenti, aliisque solemnibus per alterum Subdiaconum sacris vestibus indutum,) aut per clericum superpelliceo indutum. Crucem defert cum imagine non ad seipsum conversa, sed quasi Christus praeire videatur. Solum Crux Archiepiscopalis defertur ad Archiepiscopum conversa, "ut nempe ex illius aspectu in summa animarum cura recreetur.")[1] Crucifer vadit medius inter ceroferarios.[2]

Unaquaeque Religio et Confraternitas in habitu distincto cum sua Cruce et insigniis praecedunt. Totus Clerus saecularis sub una Cruce incedit.[3]

2. Processio sequenti ordine dirigitur:

(*a*) Praecedunt confraternitates laicorum, quibus tamen, ex consuetudine plerumque "omnino praeeunt infantes scholam catechismumve frequentantes primo pueri deinde puellae, praelato eorum vexillo sacris imaginibus insignito."[4]

(*b*) Deinde Regulares incedunt sequentes propriam Crucem a fratre delatam;[5]

[6] Quarti, III. 1, 4; De Herdt, III. 314.

[1] De Carpo.

[2] Quarto saeculo in processionibus Crucem praecessisse constat; quod quinto saeculo etiam Justiniani edicto praescriptum est. Crucem plerumque Diaconus ("Staurophorus," vel "Draconarius" in Urbe appellatus), vel alius clericus ferebat. Crucem sequebatur Diaconus, vel medio aevo Archidiaconus Evangeliorum librum deferens.

[3] D. 3144. 3.

[4] Vinitor, Falise.

[5] Sequuntur curiales et officiales, nisi ex consuetudine post Celebrantem incedunt.

(*c*) Clerus saecularis, ante quem incedit Crucifer medius inter ceroferarios; Crucem sequuntur 1° chorus Cantorum clericorum; 2° alumni Seminarii; 3° curati Ecclesiarum parochialium; 4° Clerus Ecclesiarum collegiatarum; 5° Clerus Ecclesiae Cathedralis, "digniores ultimi, omnes bini et bini; si numerus sit impar, ultimi erunt tres." Praecedentia in processionibus consideratur a propinquitate versus Celebrantem, resp. SS. Sacramentum.[6]

(*d*) Ultimo Celebrans medius inter Diaconum et Subdiaconum (absque manipulis), pluviale elevantes. Si vero Subdiaconus Crucem deferat, Diaconus a sinistris Celebrantis incedit, non elevans pluviale. Caeremoniarius prope Celebrantem incedit, quando discurrendum non sit ad processionem dirigendam.[7] Cantores laici et musici ante utrumque Clerum procedunt.[8]

(*e*) Immediate post Celebrantem Praelati incedunt.

(*f*) Tandem prosequuntur laici reliqui, primo viri, deinde foeminae.[9]

3. Clerici superpelliceis induti esse debent, etiam regulares, exceptis monachis et mendicantibus, qui in habitu sui Ordinis incedunt. Celebrans superpelliceo (aut alba) et stola necnon pluviali indutus est. SS. Sacramentum in processione sine pluviali deferre non licet.[10]

Intra Ecclesiam Celebrans, s. Ministri aliique parati tantum, extra Ecclesiam omnes clerici capite tecto incedere possunt, exceptis Caeremoniario, thuriferario et acolythis atque iis qui Reliquias vel statuas Sanctorum deferunt. At in processionibus, in quibus SS. Sacramentum vel SS. Crucis lignum defertur, omnes detecto capite incedere debent.[11]

4. Quoad circulum processionis servatur consuetudo locorum. Processio intra Ecclesiam incipit a parte Evangelii,[12] vel a parte Epistolae.[13] "In hisce regionibus," ait De Herdt, "communiter proceditur usque ad januam, et tunc dextram tenendo fit circulus progrediendo ad partem Evangelii Altaris." Extra Ecclesiam ad partem dextram pergitur[14] seu

6 Cf. D. 352.
7 D. 350.
8 Cf. D. 397. 2.
9 Rit. R. et S. C. R. Decreta varia.
10 D. 3039. 3.
11 D. 1837; 1841; et 23. Jul. 1897, n. 3961.
12 Gardellini.
13 Gavant. et Quarti.
14 Gard.

[redacted]

"solis cursus servari solet."[15] Dum fit processio, pulsantur campanae Ecclesiae, cujus est processio, et aliarum juxta quas transitur.

5. "Processiones prius fieri debent, deinde Missa solemniter celebrari, nisi aliter ob gravem causam interdum Ordinario vel Clero videatur." In solemnitate tamen SS. Corporis Christi regulariter "Sacerdos primum Missam celebret, in qua duas hostias consecret." Etiam Missa Rogationum ante processionem cantari potest pro commoditate populi,[16] etiam infra processionem celebrari permittitur.[17]

ART. III.

DE PROCESSIONE IN FESTO SS. CORPORIS CHRISTI.

324. "Sacerdos primum Missam celebret, in qua duas hostias consecret, et sumpta una, alteram in Ostensorio reponat."[1] Post sumptionem igitur Sanguinis Subdiaconus calicem palla cooperit et transit ad sinistram, Diaconus ad dexteram Celebrantis. Caeremoniarius ostensorium affert. Celebrans et s. Ministri genuflectunt et Diaconus lunulam cum SS. Sacramento ponit in ostensorio, quod in medio corporali versus ejusdem partem posteriorem collocat. Iterant genuflexionem, et s. Ministri mutant locum, et Missa continuatur ante Sanctissimum expositum.[2]

2. Interea "Sacerdotes, Diaconi et Subdiaconi possint induere super albas [sine stolis et manipulis] casulas, dalmaticas et tunicellas."[3] "Canonici et Dignitates Ecclesiae Cathedralis debent incedere sacris vestibus" i. e. pluvialibus induti.[4]

3. Post ultimum Evangelium Celebrans cum s. Ministris genuflectit in suppedaneo et per gradus laterales descendit

[15] De Herdt, III. 319.

[16] D. 2319. Reliqua Dubia 20.

[17] Merati.

[1] Rituale Rom. "Attamen, Missa et processio non ita connexae sunt, ut processio alio tempore institui non possit." De Herdt, Praxis Pontif. III. 229.

[2] Uti n. 96 exponitur.

[3] D. 2362. 1.

[4] D. 458. In processionibus theophoricis non licet deferre imagines B. M. V. ac Sanctorum (D. 1. Jul. 1898, D. 3997); nec Instrumenta Passionis vel aliud repraesentans hujus Mysteria vel Sanctorum Martyria (D. 2879).

ad scamnum. Ibi omnes deponunt manipulum, ipse autem dimissa casula induitur pluviali.

Crucifer, nempe Subdiaconus alter tunicella, vel clericus superpelliceo indutus, dein ceroferarii et ferentes intortitia ac clerici cum candelis accensis praesto erunt ante Altare; baldachinum album defertur ante aditum presbyterii.

4. Celebrans ante scamnum incensum in utrumque thuribulum injicit, procedit medius inter s. Ministros ad Altare, et facta in plano genuflexione utroque genu, modo consueto "ter incenset Sacramentum genuflexus" in infimo gradu.[5]

5. "Deinde Clericus" vel Caeremoniarius "oblongum velum circumponit scapulis Celebrantis," illudque Subdiaconus ante pectus alligat. Diaconus ascendit ad Altare, genuflectit a latere Epistolae, ne terga vertat Celebranti; qui interea cum Subdiacono manet genuflexus in infimo gradu Altaris. Tunc Diaconus assumens ostensorium illud reverenter defert ad Celebrantem stantem ante infimum gradum et Diaconus facta statim Sanctissimo genuflexione accedit ad dexteram Celebrantis, qui mox se convertit ad populum.[6] Diaconus vero ad dexteram et Subdiaconus ad sinistram "assistentes hinc inde fimbrias anteriores pluvialis elevabunt."

6. "Tunc Cantores incipient[7] hymnum *Pange lingua,*" quo intonato surgunt omnes et "praecedunt nudo capite accensos cereos gestantes [manu extima], et sequentes hymnos pro longitudine processionis devote concinentes: *Pange lingua—Sacris solemniis—Verbum supernum—Salutis humanae Sator—Aeterne Rex altissime—Te Deum—Benedictus—Magnificat.*"[8] Scilicet tres hymni ex officio SS. Sacramenti et duo ex officio Ascensionis Domini etc., quibus addi possunt *Lauda Sion,* responsoria etc. ex officio SS. Sacramenti. Alternatim cum hymnis liturgicis aliquid canere lingua vernacula in solemni Processione Sacramenti non licet.[9]

5 "Ab eodem, qui Missam celebrat, Sanctissimum deferri debet." (D. 2188. 4.) Solus Episcopus Dioecesanus excipitur. Caer. Ep. II. 33. 31.—"Consuetudo, ut in una eademque supplicatione Sanctissimum deferatur per plures Sacerdotes, qui sibi invicem succedunt, tanquam abusus est eliminanda." D. 2835.

6 Rit. Rom. ed. 1913, IX. 5. 3.

7 Caer. Ep. ib. Juxta Rituale vero "Clerus vel Sacerdos incipit;" nempe "Sacerdos incipit" deficiente Clero.

8 Rit. Rom.

9 D. 14 Jan. 1898, n. 3975. 5. 2.

[redacted]

7. Celebrans "per viam processionis semper aliquos psalmos vel hymnos submissa voce recitabit, respondentibus Diaconis assistentibus."

325. Ordo processionis:[1]

(*a*) Signum albi coloris seu vexillum cum stemmate SS. Sacramenti a clerico gestatum;[2]

(*b*) Pueri et puellae scholam, catechismumve frequentantes, praelato eorum vexillo;

(*c*) Confraternitates laicorum cum suis insignibus;

(*d*) Cantores laici et musici;[3]

(*e*) Clerus ac primo Regulares, sequentes propriam Crucem cum panno appenso a Fratre converso delatam; deinde Clerus saecularis cum sua Cruce una, quam fert Subdiaconus aliusve clericus medius inter ceroferarios; Cantores clerici incedere possunt inter Sacerdotes et reliquos clericos, si processio sit longior;

(*f*) Duo thuriferarii hinc inde ante Celebrantem continuo SS. Sacramentum incensantes, qui incedunt facie quasi ad invicem versa;

(*g*) Celebrans sub baldachino inter s. Ministros;

Caeremoniarius prope Celebrantem, et, ubi opus est, discurrens ad processionem dirigendam;

(*h*) Octo vel sex ferentes intortitia immediate ante vel a lateribus baldachini, et si via sit angusta, post ipsum incedunt; quando processio fit extra Ecclesiam, quatuor clerici vel laici laternas hastiles cum cereis accensis deferunt et ad quatuor angulos baldachini incedunt;

(*i*) Laici, primo viri, deinde mulieres.

2. "Vetustissima consuetudo, ut quoties Ecclesiae vel Altaria occurrunt per viam, pausatio fiat et benedictio elargiatur, tolerari potest," eo tamen modo, ut fiat tantum "semel vel iterum."[4]

3. Ad talia Altaria Diaconus, genuflexus in infimo gradu, accipit ostensorium, exspectat donec Celebrans et Subdiaconus genuflectant in infimo gradu et Sacramentum adorent;

1 Plura vid. supra, no. 323.

2 Martinucci, II. 35, 33.

3 Pro hac processione toleratur usus adhibendi instrumentum vulgo *Tamburo* (drum) sed tantum per viam (D. 3448. 10. 2).

4 D. 2609.

tum illud super Altari in medio collocat, genuflectit a latere, et redit ad dextram Celebrantis. Ostensorio deposito cantores cantabunt *Tantum ergo* et *Genitori*, vel aliquam antiphonam de Venerabili.[5]

Interim Celebrans, velo humerali deposito, thus imponit, Sacramentum thurificabit et, cantato versu *Panem de coelo* etc., ipse Orationem *Deus qui nobis* etc. cum cantu dicet; sumit deinde velum humerale et stans ante infimum gradum a Diacono stante accipit Sacramentum, et discedit, processionem prosecuturus. Quodsi benedictio detur, fiat modo consueto.[6]

4. Peracta processione, quando Celebrans in aditum presbyterii pervenerit, laternae et baldachinum in loca sua referuntur; Crucifer deponit Crucem prope credentiam, et acolythi candelabra in credentia collocant. Clerici in duas partes divisi hinc inde stant facie ad invicem conversa, et ad adventum SS. Sacramenti genua flectunt, manentque genuflexi, sed ad Altare conversi, donec benedictione data SS. Sacramentum repositum fuerit.

5. Celebrans ante Altare consistit, et fiunt omnia ut supra ad n. 3.

Sanctissimo igitur Sacramento per Diaconum "super Altari (non super throno) deposito, concinant *Tantum ergo* et *Genitori*, dum Sacerdos de more incensat. Postea duo Clerici dicant V. *Panem de coelo praestitisti eis, Alleluja* etc. Sacerdos stans dicit: *Oremus, Deus qui nobis* etc."[7] cui nulla Oratio addi potest. Celebrans accipit a Diacono SS. Sacramentum et dat benedictionem modo consueto.

Reposito SS. Sacramento quisque suam candelam vel intortitium extinguit.

[5] De Herdt, III. 329.

[6] Prorsus interdictum est, cantare versiculos quosdam in ipso actu benedictionis (D. 2464); vel ritum peculiarem inserere, e. g. cantare initia quatuor Evangeliorum. (Cfr. C. Plen. Balt. II. Decr. 213.) Per supplicationes, e. g. "pro fructibus terrae, contra fulgura et tempestates," deprimitur idea hujus processionis, cui ex mente Ecclesiae finis unicus et sublimis est: gloria et triumphus SS. Sacramenti. "Lauda Sion Salvatorem" etc.

[7] Rituale Rom.

ART. IV.

INFRA OCTAVAM CORPORIS CHRISTI.

326. "Solitum est per totam hanc octavam ponere super Altari [in throno] tabernaculum [ostensorium] cum SS. Sacramento discooperto, dum Vesperae et Officia divina recitantur."[1] "Servabitur usus cujuscunque Ecclesiae, exponendi nempe SS. Sacramentum a principio officii, vel in quadam ipsius parte, ac juxta regulam videtur esse, si saltem exponatur in Missa conventuali et in Vesperis."[2]

2. "Ubi processio SS. Sacramenti in ejus festo die, vel per octavam, ea qua decet solemni pompa nequiverit haberi, designabit Episcopus unicuique Ecclesiae aliquam ex sequentibus Dominicis, in qua, celebrata Missa cum commemoratione SS. Sacramenti, juxta Rubricarum praescriptam formam, solemnis illius processio peragi possit."[3] Scilicet Missa de Dominica seu de festo duplici occurrente celebranda est cum commemoratione SS. Sacramenti post alias Orationes praeceptas.

ART. V.

DE ALIIS PROCESSIONIBUS SS. SACRAMENTI.

327. Ex antiquissimo usu, sancito a Summis Pontificibus, in tertia Dominica cujusque mensis processio cum SS. Sacramento in Ecclesiis cathedralibus et parochialibus peragitur.[1]

"Processio fiet intra Ecclesiam vel si Ecclesia fuerit exigua, poterit exire extra ipsam et circuire adjacentem plateam."[2]

2. Eodem fere modo instituitur uti illa, quae fieri potest vespere octavae Corporis Christi post completum officium ad reponendum SS. Sacramentum; proinde minus solemniter quam prima in ipso festo.

[1] Caer. Ep. II. 33, 33.
[2] Martinucci, II. 34.
[3] D. 2402.

[1] Martinucci II. 39. Qui usus quamvis apud nos vigere nequeat, probat tamen, laudabiliter et juxta mentem Ecclesiae agere Pastorem animarum, qui saltem in solemnitatibus extraordinariis, e. g. Titularis Ecclesiae, festis principalibus Confraternitatis vel Sodalitatis talem processionem intra Ecclesiam instituit.
[2] Ibid.

Processio dirigetur juxta consuetudinem Ecclesiae. Processionis tempore sonabunt Ecclesiae campanae, necnon organum quamvis in Missa non licuisset pro ritus qualitate.

ART. VI.

DE PROCESSIONE IN FESTO S. MARCI, ET TRIBUS FERIIS ROGATIONUM.

328. Pro Altari et paramentis color violaceus adhibetur. Candelae in Altari accenduntur. Sacerdos induitur amictu, alba, cingulo, stola et pluviali, vel saltem superpelliceo et stola; Diaconus et Subdiaconus, si assistant, induuntur dalmatica et tunicella, modo Sacerdos pluviali sit indutus.[1]

2. Sacerdos cum Ministris et clerici bini, praecedente Crucifero, medio inter ceroferarios, accedunt ante Altare. "Omnes genibus flexis paulisper precentur." Mox surgunt et cantatur Ant. *Exurge Domine* etc., (ut in Rituali vel Processionali Rom.) cum versu psalmi 43.: *Deus auribus nostris* etc. Repetita antiphona "genuflectant omnes; et duo clerici genuflexi *Litanias* cantare incipiant, ceteris eadem voce respondentibus. Cum autem cantatum erit: *Sancta Maria, ora pro nobis,*" et Clerus responderit etiam *Sancta Maria, ora pro nobis,*[2] "surgunt omnes et ordinatim procedunt." Ex Decreto S. R. Congr.[3] "singuli Litaniarum versus integre a Cantoribus dici et a Clero repeti debent."

3. "An processio de praecepto fieri debeat intra Ecclesiam, quoties temporis inclementia ab Ecclesia egredi non patiatur?" S. Congr. R. respondit: "Si Ecclesia capax est, congruentius esse Rubricis, si intra ejus ambitum processio in casu fiat."[4] "Si processio sit longior, vel repetantur Litaniae, vel Litaniis absolutis usque ad preces exclusive dicantur aliqui psalmi ex poenitentialibus seu gradualibus."[5]

1 Rit. Rom., Merati etc.

2 Martinucci, II. 29, 32.

3 D. 3135; et 28 Mai. 1898, n. 3993. 4.

4 D. 3069. 1. Notamen: In omnibus Missis privatis, quae tempore piae supplicationis celebrantur, usus campanulae est omnino prohibitus. Si vero, quod fieri non debet, ex errore pulsetur, omnes ante Altare transeuntes, ubi fit elevatio Ss. Sacramenti, bini et bini unicum genu flectant; et piam supplicationem prosequantur. (D. 21 Nov. 1893, n. 3814. 2.)

5 Rit. Rom.

[redacted]

4. In Ecclesia, in qua terminatur processio, dicuntur preces, ut in Breviario, flexis genibus; ad Orationes solus Celebrans surgit.

Tunc Missa celebratur, quae quidem "congruentius cantatur."[6]

5. Processio in festo S. Marci seu "Litaniarum majorum" celebrabatur majori solemnitate et concursu populi jam ante S. Gregorium Magnum. S. Mamertus Viennae in Galliis Episcopus a. 469 triduo ante festum Ascensionis Domini grassantibus calamitatibus ad avertendam iram Dei processiones et supplicationes instituit. Quae inde in alias Dioeceses et terras transierunt. Quum S. Leo III. sub fine saeculi VIII. eas in Ecclesiam Romanam induceret, appellatae sunt minores, istae vero in festo S. Marci jam pridem celebratae majores.

6. "Ecclesiarum Rectores omnino curare tenentur, ut processiones in diebus Rogationum celebrentur, si commode fieri possint; et quidem sub gravi obligatione, quia iisdem incumbit obligatio suas regendi Ecclesias, et consequenter curandi, ne sacrae magni momenti omittantur functiones, praesertim publicae, ne debitus Deo subtrahatur cultus, ne fidelium minuatur devotio et utilitas inde proveniens, et ne tali omissione populo offensionis et scandali occasio detur."[7]

ART. VII.

DE MISSA ROGATIONUM.

329. In festo S. Marci (25 Apr.), et tribus feriis ante Ascensionem, si processio fiat, celebranda est de praecepto Missa Rogationum (ut in Missali habetur ante vigiliam Ascensionis) etiam in Dominicis, infra octavam Paschatis, vel quando exequiae in Ecclesia fiant; quo casu postremo sepultura facienda est sine Missa, si anticipari vel differri nequeat.[1]

2. Excipe: (*a*) Si in Ecclesia processionis sit festum Titularis seu Patroni, Missa celebranda est de eo cum commemoratione Rogationum sub una conclusione cum Oratione festi.[2]

[6] S. C. R. ibid. 3.
[7] Quarti. De Herdt, III. 74.
[1] D. 3208.
[2] Caer. Ep. II. 32, 6; et D. 2942. 1.

(*b*) Si festum S. Marci incidat in Dominicam Paschatis, Litaniae et processio cum Missa Rogationum fieri debent feria III. sequenti; nec unquam transferuntur cum festo S. Marci. Ubi Missa processionis celebratur, in aliis Missis non fit commemoratio Rogationum.

3. Missa Rogationum, ratione processionis una tantum, celebratur colore violaceo, ritu et tono feriali, sine *Gloria* et sine *Credo*, cum tribus Orationibus, ut ibi in Missali, et sine commemorationibus occurrentis festi vel Dominicae vel octavae; solo casu quo unica tantum Missa in Ecclesia celebratur, facienda est commemoratio festi occurrentis, absque aliis commemorationibus illius diei et absque tertia Oratione *Concede.*[3] Dicitur Praefatio paschalis in tono feriali; infra octavam Paschatis *Communicantes* et *Hanc igitur* proprium, absque *Alleluja* ad *Benedicamus Domino.*

4. Si in festo S. Marci et triduo Rogationum processio non fiat, celebranda est Missa de festo occurrente cum commemoratione Rogationum: at in festo S. Marci in Missa principali seu conventuali tantum.[4]

ART. VIII.

DE RELIQUIS PROCESSIONIBUS.

330. In processionibus *ad petendam pluviam, ad postulandam serenitatem, tempore mortalitatis et pestis, tempore belli* atque *in quacunque tribulatione,* (vide Rituale,) "aguntur omnia, ut supra in Litaniis majoribus," festo S. Marci; at in Litaniis adduntur versus seu petitiones et orationes, ut in Rituali ad istas processiones notatur.

2. In processione solemnis *translationis Reliquiarum insignium* adhibetur color albus vel ruber juxta officium Sancti cujus Reliquiae transferuntur.

3. "Solent etiam in quibusdam locis celebrari processiones in festo *S. Patroni* vel alius Sancti, qui magna a populo religione colitur. Cantabitur hymnus de Sancto aliique psalmi ad rem, qui de officio Sancti desumi poterunt.[1]

[3] D. 12 Mai. 1905, n. 4157. 2.
[4] D. 2682. 35.

[1] Martinucci, II. 40.

4. In processione *pro gratiarum actione* adhibetur color albus.[2] "Initio processionis cantatur hymnus *Te Deum.* Deinde dici poterunt psalmi, qui sequuntur" in Rituali. "In Ecclesia, ubi fit statio, ante Altare dicunter sequentes versus et Orationes;" ut in Art. sequenti.

ART. IX.

DE PRECIBUS DICENDIS IN PROCESSIONE PRO GRATIARUM ACTIONE.[1]

331. *Te Deum laudamus:* te Dominum confitemur* etc.

[V. *Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum.*]
[R. *Et laudabilis, et gloriosus in saecula.*]
V. *Benedicamus Patrem, et Filium, cum Sancto Spiritu.*
R. *Laudemus, et superexaltemus eum in saecula.*
V. *Benedictus es, Domine, in firmamento coeli.*
R. *Et laudabilis, et gloriosus, et superexaltatus in saecula.*
[V. *Benedic anima mea Domino.*]
[R. *Et noli oblivisci omnes retributiones ejus.*]
V. *Domine exaudi orationem meam.*
R. *Et clamor meus ad te veniat.*
V. *Dominus vobiscum.* R. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS. *Deus, cujus misericordiae non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus: piissimae majestati tuae pro collocatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes; ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens, ad praemia futura disponas.* (*Per Christum.*)

[*Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus, illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.*]

[*Deus, qui neminem in te sperantem nimium affligi permittis, sed pium precibus praestas auditum: pro postulationibus nostris, votisque susceptis gratias agimus; te piissime*

[2] Martinucci, l. c. De Carpo Bibl. lit. V. 134.

[1] Hymnus Ambrosianus cum certis versiculis etc. saepe in solemnitatibus majoribus etiam sine processione cantatur.

[redacted]

deprecantes, ut a cunctis semper muniamur adversis. Per Dominum nostrum Jesum Christum etc. R. *Amen.*]

Quando cantatur *Te Deum* sine processione pro beneficio obtento vel conclusione Exercitiorum etc., omitti possunt, quae supra signis parenthesis [ ] inclusa sunt.[2]



APPENDIX I.

CAPUT I.

MEMORITER RECITANDA.

In commodum tironum preces memoriter sciendae hic ex toto referuntur.

332. *Sacerdos, cum lavat manus, dicit:* Da, Domine, virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam: ut sine pollutione mentis et corporis valeam tibi service.

Ad Amictum: Impone, Domine, capiti meo galeam salutis, ad expugnandos diabolicos incursus.

Ad Albam: Dealba me, Domine, et munda cor meum; ut in sanguine Agni dealbatus, gaudiis perfruar sempiternis.

Ad Cingulum: Praecinge me, Domine, cingulo puritatis et exstingue in lumbis meis humorem libidinis: ut meneat in me virtus continentiae et castitatis.

Ad Manipulum: Merear, Domine, portare manipulum fletus et doloris: ut cum exsultatione recipiam mercedem laboris.

Ad Stolam: Redde mihi, Domine, stolam immortalitatis, quam perdidi in praevaricatione primi parentis: et quamvis indignus accedo ad tuum sacrum mysterium, merear tamen gaudium sempiternum.

Ad Casulam: Domine, qui dixisti: Jugum meum suave est, et onus meum leve: fac ut istud portare sic valeam, quod consequar tuam gratiam. Amen.

Ad Dalmaticam Diaconus dicere potest: Indue me, Domine, indumento salutis et vestimento laetitiae et dalmatica justitiae circumda me semper.

Ad Tunicellam Subdiaconus dicere potest: Tunica jucunditatis et indumento laetitiae induat me Dominus.

[redacted]

Ad Superpelliceum Clericus dicere potest: **Indue me, Domine, novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis. Amen.**

Ordo Missae: S. In nomine Patris et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

S. Introibo ad altare Dei.

M. Ad Deum, qui laetificat juventutem meam.

S. Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta, ab homine iniquo et doloso erue me.

M. Quia tu es Deus fortitudo mea: quare me repulisti? et quare tristis incedo dum affligit me inimicus?

S. Emitte lucem tuam et veritatem tuam: ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum et in tabernacula tua.

M. Et introibo ad altare Dei: ad Deum qui laetificat juventutem meam.

S. Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus, quare tristis es, anima mea? et quare conturbas me?

M. Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei et Deus meus.

S. Gloria Patri et Filio, et Spiritui Sancto.

M. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

S. Introibo ad altare Dei.

M. Ad Deum, qui laetificat juventutem meam.

S. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

Confiteor Deo Omnipotenti, beatae Mariae semper Virgini, beato Michaeli Archangelo, beato Joanni Baptistae, Sanctis Apostolis Petro et Paulo, omnibus Sanctis, et vobis fratres: quia peccavi nimis cogitatione, verbo et opere, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor beatam Mariam semper Virginem, beatum Michaelem Archangelum, beatum Joannem Baptistam, Sanctos Apostolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos, et vos fratres, orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis peccatis vestris, perducat vos ad vitam aeternam.

Indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum nostrorum, tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus.

S. Deus tu conversus vivificabis nos.

[redacted]

℟. Et plebs tua laetabitur in te.
S. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.
M. Et salutare tuum da nobis.
S. Domine, exaudi orationem meam.
M. Et clamor meus ad te veniat.
Dominus vobiscum.

Oremus.—Aufer a nobis, quaesumus Domine, iniquitates nostras: ut ad Sancta Sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oramus te, Domine, per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquiae hic sunt, et omnium Sanctorum: ut indulgere digneris omnia peccata mea. Amen.

Gloria in excelsis Deo. Et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Laudamus te. Benedicimus te. Adoramus te. Glorificamus te. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Domine Deus, Rex coelestis, Deus Pater omnipotens. Domine, Fili unigenite, Jesu Christe. Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris. Qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis. Quoniam tu solus sanctus. Tu solus Dominus. Tu solus Altissimus, Jesu Christe. Cum Sancto Spiritu, in gloria Dei Patris. Amen.

Munda cor meum, ac labia mea, omnipotens Deus, qui labia Isaiae prophetae calculo mundasti ignito: ita me tua grata miseratione dignare mundare, ut Sanctum Evangelium tuum digne valeam nuntiare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.—Jube, Domine, benedicere. Dominus sit in corde meo, et in labiis meis: ut digne et competenter annuntiem Evangelium suum. Amen.

Per evangelica dicta deleantur nostra delicta.

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, consubstantialem Patri; per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine: Et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis: sub Pontio Pilato passus, et sepultus est. Et resurrexit tertia

[redacted]

die secundum scripturas. Et ascendit in coelum: sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos: cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum et vivificantem: qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur: qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi. Amen.

333. *Ad Oblationem:* Suscipe, Sancte Pater, omnipotens aeterne Deus, hanc immaculatam Hostiam, quam ego indignus famulus tuus offero tibi Deo meo vivo et vero, pro innumerabilibus peccatis et offensionibus et negligentiis meis, et pro omnibus circumstantibus, sed et pro omnibus fidelibus christianis vivis atque defunctis: ut mihi et illis proficiat ad salutem in vitam aeternam. Amen.

Deus, qui humanae substantiae dignitatem mirabiliter condidisti et mirabilius reformasti: da nobis per hujus aquae et vini mysterium, ejus Divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostrae fieri dignatus est particeps, Jesus Christus Filius tuus, Dominus noster. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Offerimus tibi, Domine, calicem salutaris, tuam deprecantes clementiam: ut in conspectu divinae majestatis tuae, pro nostra et totius mundi salute cum odore suavitatis ascendat. Amen.

In spiritu humilitatis, et in animo contrito suscipiamur a te, Domine: et sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi, Domine Deus.

Veni Sanctificator, omnipotens aeterne Deus, et benedic hoc sacrificium tuo sancto nomini praeparatum.

Lavabo inter innocentes manus meas: et circumdabo altare tuum, Domine.

Ut audiam vocem laudis: et enarrem universa mirabilia tua.

Domine, dilexi decorem domus tuae, et locum habitationis gloriae tuae.

Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam.

In quorum manibus iniquitates sunt: dextera eorum repleta est muneribus.

Ego autem in innocentia mea ingressus sum: redime me, et miserere mei.

Pes meus stetit in directo: in ecclesiis benedicam te Domine.

Gloria Patri et Filio, et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Suscipe, Sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offerimus ob memoriam passionis, resurrectionis, et ascensionis Jesu Christi, Domini nostri; et in honorem beatae Mariae semper Virginis, et beati Joannis Baptistae, et Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et istorum, et omnium Sanctorum; ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem: et illi pro nobis intercedere dignentur in coelis, quorum memoriam agimus in terris. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Orate fratres: ut meum ac vestrum Sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem.

334. *Canon Missae:* Te igitur, clementissime Pater, per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, supplices rogamus ac petimus, uti accepta habeas, et benedicas haec dona, haec munera, haec sancta Sacrificia illibata, in primis etc.

Post: Hanc igitur etc.: Quam oblationem tu, Deus, in omnibus, quaesumus, benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris; ut nobis Corpus et Sanguis fiat dilectissimi Filii tui, Domini nostri Jesu Christi. Qui pridie quam pateretur, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas: et elevatis oculis in coelum, ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens, benedixit, fregit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite, et manducate ex hoc omnes. (Hoc est enim Corpus meum.) Simili modo postquam coenatum est, accipiens et hunc praeclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas: item tibi gratias agens, benedixit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite et bibite ex eo omnes. (Hic est enim Calix Sanguinis mei, novi et aeterni testamenti: mysterium fidei: qui pro vobis

et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.) Haec quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.

Post: Unde et memores: Hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, Panem sanctum vitae aeternae, et Calicem salutis perpetuae.

Supplices te rogamus, omnipotens Deus, jube haec perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu divinae Majestatis tuae, ut quotquot ex hac altaris participatione, sacrosanctum Filii tui Corpus et Sanguinem sumpserimus, omni benedictione coelesti, et gratia repleamur. Per eumdem Christum etc.

Ad Memento mortuorum: Memento etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum, qui nos praecesserunt cum signo fidei et dormiunt in somno pacis.

Post: Nobis quoque peccatoribus, etc.: Sanctificas, vivificas, benedicis, et praestas nobis: Per ipsum, et cum ipso, et in ipso, est tibi, Deo Patri omnipotenti, in unitate Spiritus Sancti, omnis honor et gloria.

Post: Pater noster: Da propitius pacem in diebus nostris, ut ope misericordiae tuae adjuti et a peccato simus semper liberi et ab omni perturbatione securi. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus etc.

Haec commixtio et consecratio Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, fiat accipientibus nobis in vitam aeternam. Amen.

335. *Ante Communionem:* Domine Jesu Christi, qui dixisti Apostolis tuis: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: ne respicias peccata mea, sed fidem Ecclesiae tuae, eamque secundum voluntatem tuam pacificare et coadunare digneris: qui vivis et regnas Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu Sancto, per mortem tuam mundum vivificasti: libera me per hoc sacrosanctum Corpus et Sanguinem tuum ab omnibus iniquitatibus meis, et universis malis: et fac me tuis semper inhaerere mandatis, et a te numquam separari permittas, qui cum eodem Deo Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus in saecula saeculorum. Amen.

Perceptio Corporis tui, Domine Jesu Christe, quod ego indignus sumere praesumo, non mihi proveniat in judicium et condemnationem: sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentum mentis et corporis, et ad medelam percipiendam; qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Ad Communionem: Panem coelestem accipiam, et nomen Domini invocabo.

Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.

Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen.

Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi? Calicem Salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero.

Sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen.

Ad Purificationes: Quod ore sumpsimus, Domine, pura mente capiamus: et de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum.

Corpus tuum, Domine, quod sumpsi, et Sanguis, quem potavi, adhaereat visceribus meis: et praesta ut in me non remaneat scelerum macula, quem pura et sancta refecerunt Sacramenta. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Ad Benedictionem: Placeat tibi, Sancta Trinitas, obsequium servitutis meae, et praesta ut Sacrificium, quod oculis tuae Majestatis indignus obtuli, tibi sit acceptabile, mihique et omnibus, pro quibus illud obtuli, sit, te miserante, propitiabile. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Benedicat vos omnipotens Deus, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus.

[redacted]

CAPUT II.

DEMONSTRATIO DEFECTUUM.

QUI FREQUENTIUS IN MISSAE CELEBRATIONE ADMITTI SOLENT.

(Desumpta ex Martinucci, Man. S. Caer., Lib. I., Cap. XXXV.)

336. Ut majoris emolumenti fiant documenta, quae pro celebratione Missae tradidimus, defectus seu menda quae praecipue in re divina conficienda incidere solent, enumerare juvat, quibus ante oculos ordinatim propositis, ea quae superius descripta sunt, in mentem revocari facile poterunt.

1. Nisi qua justa causa adsit Matutinum saltem et Laudes non recitasse ante Missam, defectus est.

2. Item convenientem praeparationem in Ecclesia et in Sacrario, bono etiam aliorum exemplo, non praemittere, praesertim si in Sacrario adsint laici homines, in quibus admiratio gigni possit.

3. Post praeparationem commorari in Sacrario tempus terendo sermonibus futilibus, loquendo de nugis aut novitatibus, multo autem magis alios obtrectando praecipue hiemis tempore circa focum.

4. Lavare manus antequam Missam in Missali reperiat, aut postquam Calicem disposuerit, vel etiam postquam se paraverit.

5. Non praeparare Calicem per seipsum, aut saltem, si jam in promptu esset, non inspicere an regulariter praeparatus sit.

6. Ponere corporale extra bursam vel super aut infra ipsam, ac tali modo ad Altare afferre illud et referre in Sacrarium.

7. Loqui cum aliis dum sacra paramenta induet sibi.

8. Se paramentis induere capite cooperto; Calici vel Missali imponere linteolum, biretum, pileolum, conspicilla.

9. Inclinationem facere priusquam sibi imponat amictum, aut se crucis signo munire cum amictu ipso.

10. Sinistram sibi albae manicam primo induere, deinde

dexteram; partem dexteram amictus et stolae non super-imponere sinistrae; adjicere *Amen* ad unamquamque orationem statutam pro paramentis, quum ad ultimam tantum id praescribatur.

11. Linteolum coloratum et sordidum cingulo alligare, idque adeo negligenter ut extra planetam appareat.

12. Manipulum ad cubitum apponere; stolam dejicere per humeros, non eam aptare circa collum, ut crux, quae est in medio, prodeat e planeta.

13. Albam aut planetam osculari.

14. Nescire orationes secretas, quae in Missa sunt memoriter recitandae.

15. Vagari in sacrario quum paramentis indutus sit tam ante, quam post Missam.

16. Reverentiam efficere ad crucem vel ad imaginem praecipuam Sacrarii biretum manu gestando; biretum ipsum capiti detrahere quum genuflectendum sit ante SS. Sacramentum in tabernaculo reconditum, vel quum reverentia facienda sit ad Altare maximum transeundo ante ipsum.

17. Calicem ferre nimium sublime ferme ad oris altitudinem, aut nimium demissum et non ad pectus, vel eam sustinere sinistra tantum, non superimposita dextera. Ire aut redire ab Altari citato gradu oculis sublimibus.

18. Post genuflexionem ad Altare, in quo adsit SS. Sacramentum, reverentiam quoque ad Crucem adjicere.

19. Sinistra manu applicare bursam ad candelabrorum gradum; jubere aut permittere ministro ut Missale aperiat et occludat: corporale super mensa non totum explicare, sed unam vel plures partes plicatas relinquere.

20. Morari in medio Altari intuendo Crucem aut orando priusquam de gradibus in planum descendat ad Missam exordiendam.

21. Tergum ad crucem vertere, eo quod pigeat paullum recedere versus cornu Evangelii, in descendendo tum in principio Missae tum in fine.

22. Non servare debitam gravitatem, tergere oculos, scalpere aures, nasum, capillos aptare atque his similia.

23. Missam incipere antequam sint accensae candelae, aut sinere ut extinguantur antequam perlectum sit Evangelium ultimum.

[redacted]

24. Quum manus jungendae erunt, non extendere et conjungere digitos, nec pollicem dexterum sinistro super-imponere in modum crucis.

25. Se signare signo crucis extra seipsum aut dimidiato et imperfecto.

26. Negligere inclinationum qualitatem *profundam, mediocrem* et *simplicem* et alteram pro altera exsequi.

27. Non pati ut minister responsiones suas ex toto compleat, neque eum opportuno tempore de inconsiderantiis et mendis admonere.

28. Addere particulam *et* in repetenda antiphona *Introibo* post psalmum *Iudica me, Deus.*

29. Pectus ad *Confiteor* percutere cum strepitu et vehementer; se vertere ad ministrum in dicendis verbis *vobis fratres* et *vos fratres;* respondere *Amen* postquam ille recitaverit *Confiteor;* addere verbum *omnibus* vel *omnium* in precibus *Misereatur* et *Indulgentiam,* aut dicere in hac *peccatorum vestrorum* pro *nostrorum.*

30. Ad orationem *Aufer a nobis* non inclinare tempore praescripto, aut post osculatum Altare inclinationem facere priusquam perveniat ad librum.

31. Exsequi caeremonias ante aut post tempus assignatum.

32. Legere aut recitare nimium festinanter et verba etiam per syncopem contrahere; alta voce proferre quod secreto dicendum est et vicissim.

33. Simulare Altare osculari, nec reipsa osculari, vel osculari e latere, non vero in medio aut osculandi gratia contorquere membra vel caput.

34. Incipere *Kyrie eleison* priusquam se sistat in medio Altaris, et praescriptas inclinationes omittere.

35. Convertere se ad populum dum dicit *Dominus vobiscum* manibus disjunctis, intuendo adstantes, non depositis conspicillis.

36. Dicere *Oremus* antequam veniat ad Missale, duplicare litteram *O* ita ut pro *Oremus* dicat fere *O oremus.* Intueri crucem dicendo *Oremus.*

37. Recitare orationes non junctis manibus aut non apertis ante pectus manibus, aut uti ad legendum parvo conspicillo, quo in casu manus non possent esse apertae.

38. Oculos ad Crucem aut in coelum non intendere quum

a rubrica praescribitur, contra autem attollere quum non praescribitur.

39. Ad *Munda cor meum* dicere *Jube Domne* pro *Jube Domine,* aut osculari Altare post hanc precationem.

40. Manibus insistere Altari ad *Munda cor meum,* ad *Sanctus* et ad *Agnus Dei.*

41. Incipiendo Evangelium manum sinistram non imponere Missali, ut Crucis signum super textum signet, nec, quum se pollice signabit, manum eamdem infra pectus ponere, nec digitos tenere extensos.

42. Inclinationem facere versus Crucem in legendo Evangelio, aut genuflectere Crucem non librum versus, quum genuflexio praescripta sit.

43. Ad *Et incarnatus* genuflectere utroque genu, vel morari in genuflexione, aut caput etiam inclinare.

44. Inchoare Crucis signum prius quam verba *Et vitam venturi saeculi.*

45. Detegere Calicem dum recitatur *Credo* aut quum legitur *Offertorium.*

46. Recitare eundem versum extensis manibus.

47. Dum Hostiae fiet oblatio intueri Crucem, aut tres digitos inferiores sub patena non extendere.

48. Detecto Calice, velum post ipsum utcunque implicare.

49. Calicem tergere violenter, aut dum e medio Altari transibit in cornu Epistolae: incipere orationem *Deus qui humanae substantiae* dum vinum in Calicem infundet, aut priusquam ampullam vini deponat.

50. Patenam cum Hostia vel Calicem in offertorio nimis elevare, aut utrumque demisse nimis sustinere.

51. Inclinare caput proferendo nomen *Jesu* et *Mariae* in oratione *Suscipe Sancta Trinitas,* itemque in reliquis ante communionem orationibus.

52. Crucis signa super Hostiam et Calicem efficere aut flectendo digitos in ducendis lineis ad illa efficienda, aut manu fere clausa, vel eadem efficiendo saltuatim.

53. Elata voce dicere *Orate fratres,* aut non secreto dicere *ut meum,* etc., aut subsistere contra populum praedicta verba proferendi gratia; respondere *Amen,* aut continuare secreta priusquam responsio *Suscipiat* a ministro compleatur.

[redacted]

54. Ad *Sursum corda* clausas attollere manus aut palmis non ad invicem sed ad Altare conversis.

55. Inclinare caput ad *ubique gratias agere* aut ad verba *per Christum Dominum nostrum* in praefatione, vel alio etiam loco praeterquam post *Memento* defunctorum.

56. Pectus percutere dicendo *Sanctus* aut non mediocri voce dicere ipsum; recitare voce intelligibili totum Canonem aut aliquot ejus partes, quum omnia secreto dicenda sint.

57. Non jungere manus priusquam signa Crucis faciat, aut suspensam tenere sinistram, dum dextera actionem aliquam exsequitur.

58. Digitos saliva conspergere ad evolvenda Missalis folia.

59. Immorari nimis in memento, vel nimia brevitate conficere, aut alta voce proferre *Memento Domine,* etc.

60. Pollices supponere palmis manuum dicendo *Hanc igitur oblationem,* etc.

61. Abstergere digitos, antequam accipiat Hostiam, non extremo sed medio corporali prope Hostiam.

62. Imponere brachium sinistrum Altari sustinendo Hostiam ante Consecrationem ad verba *benedixit, fregit,* etc.

63. Insistere et incurvari indecenter super Altare proferendi causa Consecrationis verba.

64. Proferendo verba Consecrationis gesticulari capite aut contorquere corpus; non proferre illa secreto, eadem verba repetere, dicere sufflando, aut pedem dexterum suspensum tenere ut statim possit genuflecti.

65. Non removere de Altari cubitos nec ferre manuum articulos versus frontem Altaris post Consecrationem, ut commodius genuflectatur.

66. Post elevationem Hostiae detegere Calicem, postea genuflectere.

67. Accipere Calicem ad verba *Accipiens et hunc praeclarum Calicem* manu dextera tantum, os et nasum Calici imponere, aut inclinare eum ad se vel Altari applicatum tenere.

68. In elevatione non sequi oculis Hostiam et Calicem aut elevare et demittere nimis festinanter, aut plus aequo sustinere sublime in conspectum adstantium, aut nimis attollere extensis monstruose brachiis, aut tam parum attollere ut conspici non possint, aut elevando super caput ponere, aut Calicem osculari.

[redacted]

69. Verba *Haec quotiescunque,* etc., tempore elevationis dicere, non post Consecrationis verba dum genuflectitur.

70. Non genuflectere usque in terram, vel genuflectere inconcinne et properanter.

71. Non tenere pollices et indices junctos a Consecratione usque ad purificationem, aut Hostiam tangere digitis inferioribus, aut digitos istos non extendere quum Hostiam accipit.

72. Ponere manus junctas super Altare omnino intra corporale post Consecrationem non sequendo praescriptiones a rubrica expressas una in perpetuum vice sine ulla distinctione aut limitatione.

73. Pausam facere in commemoratione defunctorum antequam dicatur *qui nos praecesserunt,* etc., aut alta voce dicere *Memento etiam, Domine,* aut reliquas *Ipsis, Domine,* etc.

74. Pectus non digitis tribus inferioribus percutere, et reliquis junctis tangere casulam ad *Nobis quoque peccatoribus,* ad *Agnus Dei,* ad *Domine non sum dignus.*

75. Inclinare caput dicendo *Nobis quoque peccatoribus,* aut alta voce dicere etiam *famulis tuis* cum suspirio, vel dicere *Amen* ante *Per quem haec omnia.*

76. Caput etiam inclinare ad *Praeceptis salutaribus,* aut recitare illa apertis manibus, aut oculos non defigere in Sacramentum quum recitabitur *Pater noster,* aut patenam de corporali deducere eamque abstergere priusquam minister responderit *Amen,* aut non abstergere manu tantum dextera, sed adjuncta etiam sinistra.

77. Non applicare sinistram infra pectus quum signo Crucis se muniat.

78. Osculari patenam in parte inferiori aut in margine, vel abstergere super planetam aut in alia parte postquam illam osculatus sit.

79. Purificare digitos fragmentis terendo unum post alterum in labro Calicis.

80. Se vertere ad alterutram partem dicendo *Domine, non sum dignus,* aut brachium sinistrum imponere Altari.

81. Crucis signum Hostia efficere extra limites patenae et frontis suae in Communionis actu, aut expuere dum sumpturus est, vel etiam osculari S. Hostiam antequam sumat.

82. Nimia vel modica diligentia peccare in colligendis fragmentis, et collectis intra Calicem injiciendis.

[redacted]

83. Sumere Calicem strependo labiis aut oculis sublatis, aut sensim et similia.

84. Pallam patenae imponere antequam transeat in cornu Epistolae ad accipiendam ablutionem, aut eam purificatorio abstergere.

85. Accipiendo purificationem ponere Calicem super Altare, aut extra Altare illum ministro porrigere nulla cogente necessitate.

86. Extergere labia aut os digitis jam ablutis vino et aqua antequam purificatorio extergantur.

87. Corporale complicare elato in altum Calici, bursam ponere non versa ante pectus apertura ejus, et relinquere velum ex parte anteriori sublatum.

88. Sinere ut minister, quamquam Clericus, multo pejus si laicus sit, Calicem cooperiat et accommodet.

89. Missale non claudere, ut praescribitur, et conclusionem ultimae orationis absolvere veniendo ad medium Altare.

90. Se inclinare ad populum dicendo *Ite missa est,* aut dicendo *Benedicamus Domino* se inclinare ad Altare aut convertere ad populum.

91. In discessu de Altari accipere biretum antequam reverentiam vel genuflexionem efficiat, aut illud sibi de capite detrahere priusquam reverentiam fecerit ad Crucem vel imaginem praecipuam Sacrarii.

92. Paramenta acervatim deponere in exuendo se, non osculari stolam, manipulam, amictum, aut sibi albam detrahere ex adverso.

93. Sermones conserere et confabulari in Sacrario, aut ex illo et Ecclesia discedere quin tempus conveniens intercesserit pro debita gratiarum actione.

N. B. Quoad *defectus* in rubricis generalibus notatos, vide: Cap. XII. hujus Compend. (n. 111–114).

APPENDIX II.

NOTAE BREVES HISTORICO—PRACTICAE DE PARAMENTIS SACRIS.

Nota.—Conspectum brevem historico-practicum de paramentis sacris in hac appendice subjungimus, quoniam opinamur, jucundum fore sacerdotibus, praesertim junioribus, audire pauca de modo, quo paramenta, quibus quotidie in functionibus liturgicis utuntur, paullatim ad formam, quam nunc habent, decursu temporum excreverint. Simul patebit, quanta sollertia Ecclesia semper invigilaverit, ut a cultu divino profanationes et vanitates istae arceantur, quibus homines circa vestes suas se dedere soleant. Lugendum sane est, quod multi e clero decipiantur vel decipi se sinant a fabricatoribus, qui in vestimentis sacris conficiendis magis gustus suos personales sequi videantur, quam leges et rubricas ecclesiasticas.

Notae hae magna ex parte desumptae sunt ex operibus copiosis scriptis a J. F. Van der Stappen, Sacra Liturgia, 5 tomi, et J. Braun, S.J., Die liturgische Gewandung. Alii libri, qui utiliter legi poterunt, sunt sequentes: J. Braun, Handbuch der Paramentik; Kraus, Real-Encyklopaedie der Christlichen Altertuemer; J. O'Brien, History of the Mass; N. Gihr, The Holy Sacrifice of the Mass.

INTRODUCTIO.

337. Christus Dominus Ecclesiam instituit, ut ope ipsius homines ordini gratiae seu supernaturali aggregarentur et ita ultimo illam vitam gloriae obtinerent, quam Deus omnibus promisit, qui in suo servitio fideles permanserint. Ordo autem gratiae cultum religiosum requirit; ideo in Ecclesia Sacrificium Missae necnon Sacramenta habemus.

[redacted]

2. SS. Redemptor noster sola fundamenta cultus istius religiosi posuit. Particulares leges et minutiores regulas addere opus non erat, quia Ecclesia potestatem accepit regendi fideles et idcirco etiam jus obtinuit determinandi modum, qui in exercitio cultus debeat observari. Sic quidem contigit, ut decurrentibus saeculis vestes sacrae diversae in usum venirent, quibus ministri altaris in functionibus sacris induantur.

3. Errant, qui dicunt, has vestes et earum usum derivari e cultu Israelitico, qualis in Veteri Testamento viguerat. Nam vestimenta liturgica Ecclesiae prorsus diversa sunt ab iis, quae adhiberi solebant apud antiquos Judaeos. Haec brevis expositio, qua historiam paramentorum dare conamur, satis superque demonstrabit, Ecclesiam Catholicam sacras vestes introduxisse proprio suo impulsu nulla specifica ratione habita cultus religionis anterioris. Id tantum concedi debet, ipsum principium, nempe non decere in functionibus sacris et distincte liturgicis iisdem vestibus uti, quibus homines in negotiis mundanis et profanis indui soleant, in Veteri Testamento doceri vel insinuari, et Ecclesiam hoc principium ita a Deo ipso promulgatum adoptasse.

4. Walafridus Strabo (+ 849) testatur: "Vestes sacerdotales per incrementa ad eum, qui nunc habetur, auctae sunt ornatum. Nam primis temporibus communi indumento vestiti Missas celebrabant." Sed simul constat, vestes, quae formae communi illo tempore vigenti erant adhuc congruentes fuisse nitidiores et pretiosiores in liturgicis functionibus et in sacrum ministerium tantum reservatas. Id praesertim patet e lectione, quae occurrit in Breviario in vita S. Stephani (2. Augusti). Hefele[1] annotat, in Decreto S. Stephani Papae non agi de nova institutione, sed simpliciter invocari antiquam consuetudinem, quam, sic videbatur, quidam ecclesiastici viri non semper servabant.

5. Van der Stappen[2] animadvertit: "Progressu temporis laici communem vestium formam non semel mutarunt, dum Clerici antiquam formam, quae generatim erat prisci moris Romani, servarunt; unde a saeculo certe VII. Clerici a saecularibus quoad communem vestium formam erant distincti."

6. Concilium Tridentinum tandem monet: "Quumque

[1] Beitraege zur Kirchengeschichte, II Band, pag. 153.

[2] III. Q. 97.

[redacted]

natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli, propterea pia Mater Ecclesia ritus quosdam. . . . vestes, aliaque id genus multa ex apostolica disciplina et traditione, quo et majestas tanti sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per haec visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum, quae in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur."[3]

Hisce praemissis singula paramenta examinemus.

[3] Sess. XXII. C. V. De Sacr. Missae.

CAPUT I.

DE VESTIBUS SACRIS SACERDOTIS IN MISSA PRIVATA.

338. Sacerdos celebraturus missam privatam sequentes vestes sacras assumere jubetur: Amictum, Albam, Cingulum, Manipulum, Stolam, Planetam.

ART. I.

DE AMICTU.

1. Amictus, qui interdum etiam appellatur Humerale, est pannus lineus albus, ad instar veli confectus, quo sacerdos prius caput (per momentum) deinde collum seu humeros undique obtegit. Nomen habet a verbo amicire quod idem est ac circumjicere vel cooperire.

2. Usus invaluit, quem hodie Missale Romanum praescribit, ut in medio infigatur parva crux. Praestantior modus erit affigere crucem (rubei coloris) in centro totius indumenti et non in superiori parte, quoniam sacerdos istam crucem osculari debet in superimpositione et depositione, quod vix decenter fieri potest, si crux sit affixa isti loco, qui collo circumligatur, quoniam ibi facile sordes propter perspirationem accumulantur.

3. Ornatus in forma textus denticulati[1] appositi extremitatibus minus convenit, quia amictus post impositionem non conspicitur, excepto casu, quo, uti apud diversos religiosos, hoc indumentum super caput vel super caputium geritur.

4. Vestigium historicum amictus antiquissimum exeunte saeculo octavo occurrit. Saltem ex eo tempore Ordo Romanus de Amictu tamquam liturgico vestimento loquitur. Attamen jam prius in usu fuisse videtur sed non omnibus locis. Mos

[1] Lace.

[redacted]

Romanus paullatim dumtaxat in alias regiones transiit. Circa saeculum fere XI. usus erat communis.

5. Ortum habet amictus e more apud antiquos Romanos solito circumponendi supra humeros pannum parvum, quo paenula (vestis ordinaria) magis intacta remaneret et gestans persona melius contra frigus protegeretur.

6. Nomina tempore medii aevi erant anabolagium aut anagolaium, fano, amictus, superhumerale et humerale. Liturgici libri hodie solum nomen amictus adhibent.

7. Scriptores multas et diversas significationes symbolicas amictui attribuerunt. Aliqui (e. g. Amalarius) illum interpretantur tamquam monitum ad custodiendam linguam, quoniam collum undique cingit. Pontificale Romanum hanc interpretationem acceptavit. Nam in ritu ordinationis Subdiaconi Episcopus Amictum super caput candidati trahens utitur verbis: "Accipe amictum, per quem designatur castigatio vocis." Honorius dicit Amictum, qui ad instar coronae imponitur, significare spem coelestis beatitudinis. Alii in Amictu perspiciunt symbolum patientiae, prouti super collum requiescit et ita monet Clericum, ut labores vitae firmiter et cum robore animi sustineat.

8. Oratio, quae nunc per rubricas pro impositione praescribitur, antiqua est. Vestigium ejusdem jam habetur saeculo X.

ART. II.

DE ALBA.

339. Alba est vestis longa totum corpus usque ad talos contegens e lino confecta. Originem habet e Tunica. Tunicam autem a saeculo tertio Romani cives, saltem nobiliores inter eos, gestare solebant subter paenulam. Clerici morem hunc sequebantur, sed simul vetitum erat, quominus quis tunicam eandem assumeret ad celebrandum sacrificium Missae, quam induere solebat pro negotiis profanis.

2. Alba ab omnibus Clericis tunc temporis adhiberi solebat. Exeunte autem aevo medio usus invaluit, ut ad solam missam celebrandam Alba assumeretur a Sacerdotibus et Clericis majorum ordinum. In aliis functionibus Clerici omnes

[redacted]

et intra Missam etiam Clerici minores induebantur superpelliceo.

3. Materia pro Alba praescripta est linum[1], ab hac antiqua consuetudine, S. Rituum Congregatio declaravit, non posse recedi seu non licere aliam materiam, etsi pretiosiorem (v. g. sericum) vel lino quoad candorem aequalem adhibere in conficiendis Albis. Praesertim et speciatim prohibetur gossypium.[2] Etiam reprobatus fuit usus telae mixtae e lino et gossypio etsi subtilissimo. Cavendum est, monet Van der Stappen, a novitatibus, quae nostris diebus nimis pullulant.

4. Decurrentibus saeculis diversi ornatus Albae appositae fuerunt. Quo praecise tempore primi conatus hujusmodi facti sint, accurate determinari non potest. Sed hic usus circa saeculum XI. vel XII. invaluisse videtur.

5. Principales ornatus erant fasciae[3] in extremis (in manicis et in inferiori parte) e serico colorato vel auro confectae. Vocabantur parurae, plagulae, grammata, gemmata, fimbriae, plicae, aurifrisia.[4]

6. Saeculo XVI. novus ornatus paullatim introductus fuit, nempe texti denticulati. Non defuerunt scriptores liturgici, qui talem ornatum velut indecentem et sacris functionibus incongruum esse clamitaverint, sed immerito, uti videtur. Abusus sane hac in re occurrere possunt et hic vel illic occurrunt. Verum hic ornatus non est illicitus, dummodo mensura et decentia observentur. Gavantus[5] scribit: "In summa veste et in extremis manicis, aliquid dumtaxat sit acu paululum, ac tenuiter elaboratum; nimius enim labor in his (Albis) ornandis vanitatem sapit et levitatem." Hodie adhuc magis quam tunc (saeculo XVI.) tale monitum aptum esse videtur; nam (et in hoc habetur abusus) non amplius e pretiosa materia ornatus Albae consistit, sed e vili omnimode textura. "Mechanica industria, inquit Van der Stappen,[6] producere incepit texta denticulata, quorum materia

1 Genuine linen.

2 Cotton.

3 Stripes.

4 Von den mittelalterligen Liturgikern erwaehnt zuerst Innozenz III. die Albenparuren. Viel, sehr viel wissen uns die Inventare des 13., 14., und 15. Jahrhunderts von ihnen zu erzaehlen, von der Pracht, dem Reichtum, der Kostbarkeit, den herrlichen Stickereien so mancher derselben. (Braun, Handbuch der Paramentik, pag. 96.)

5 Thesaurus Sacrorum Rituum.

6 III. Q. 110.

plerumque est non linum, sed gossypium; et hodie minimo pretio emi possunt texta denticulata, quae ficto suo apparatu quidem emicant, sed in se nullius valoris sunt, et e materia non debita, immo prohibita. Quid jam clamaret bonus noster Gavantus de vanitate et levitate, si videret quasdam ex nostris Albis, in quibus appositum videtur 'aliquid dumtaxat' longitudinis unius circiter metri. Et quid jam dicendum de liceitate hujusmodi vestis, cujus major fere pars confecta est ex materia prohibita gossypii! Flandri hujusmodi textum vocant judaicum,[7] quali nomine appellanda est levitas illorum, qui hujusmodi res ad Sanctissimum Sacrificium celebrandum adhibent."

7. Exstant varia decreta S. Rituum Cong. circa ornatum Albae. Ad Dubium: "Num tolerari possit, ut fundus coloratus supponatur textili denticulato vel operi phrygio, in manicis et fimbriis Albarum, necnon in manicis Rochetti?" S. Cong. respondit: "Quoad manicas et fimbrias Albarum, Affirmative, quoad manicas autem in Rochettis fundum esse posse coloris vesti talaris relativae dignitatis." Ad dubium: "An toleranda consuetudo utendi fundo caerulei coloris sub velo translucenti in fimbriis et manicis Albarum?" S. Cong. rescribendum censuit: "Affirmative."

8. Quoad longitudinem texti denticulati dubium propositum erat: "Num Canonicis Missam celebrantibus, sollemnioribus diebus, liceat uti Alba ornata fimbriis seu reticulo[8] a cingulo deorsum?" S. Cong. respondendum censuit: "Tolerari posse."

9. Quoad ornatum ipsius texti denticulati vel figuras in eo insertis dubium erat expressum: "An in Tobaleis Altarium. in Albis, et in Superpelliceis tolerari possint vela transparentia, quae representent Cruces, Ostensoria, Calices cum Hostia, figuras Angelorum, et alia similia sacra objecta?" S. Cong. respondit: "Posse permitti."

10. Patet, verba Congregationis tantum tolerantiam exprimunt. Tolerantia autem non aequivalet Privilegio vel universali concessioni. Timendum est, ne hodie et in hac nostra regione, ubi immutationes frequenter occurrunt, abusus varie nimis facile se ingerant. Sacerdotes et rectores ecclesiarum, decorem domus Dei diligentes, caveant a novitatibus

[7] Jodenkant. [8] Lace work.

quas fabricatores (inter eos etiam, proh dolor! Judaei) non raro excogitant. Imprimis reprobandae sunt Albae, quarum reticulum confectum est, non e lino, sed e gossypio. Certe etiam minus convenit habere reticulum cum objectis vel figuris sacris, praesertim in inferiori parte Albae, quia hae figurae in genuflectendo conculcantur quod indecentiam sapit.

11. Quatenus agitur de symbolica significatione Albae. praesipuae interpretationes sunt sequentes:

(*a*) Alba significat puritatem, imprimis vero pudicitiam et munditiem cordis et corporis, qua Clerici semper debent esse induti. Nomen et color id exprimunt.

(*b*) Alba, quoniam e lino conficitur, monet Clericum, puritatem animae non posse obtineri nisi per continuam mortificationem. Nam, argumentantur scriptores, linum e planta sua originali[9] perfectionem et emicantem albitudinem non nanciscitur, nisi repetita tunsione et magno labore accedente.

(*c*) Alba, quia est vestis ampla et spatiosa, apte repraesentat libertatem filiorum Dei, qui supra desideria mundana elevati, non in servitute carnis ambulant, sed Deo et ejus servitio se dedunt necnon laetitia magna fruuntur.

(*d*) Alba, quatenus ad talos vel pedes pertingit, symbolum est perseverantiae et progressus continui in exercitio diversarum virtutum.

ART. III.

DE CINGULO.

340. Cingulum est funiculus vel cordula, cujus ope Alba corpori adaptatur, "ut honeste dependeat et tegat vestes et ad latitudinem digiti[1] vel circiter super terram aequaliter fluat."[2]

2. Congruentius e lino conficitur, sed etiam alia materia adhiberi potest, sicuti lana, gossypium vel sericum; et in eo casu non debet esse albi coloris. Ad dubium: "An cingulum, tertium indumentum sacerdotale, possit esse coloris paramentorum, vel necessario debeat esse album?" S. Rituum Cong.

[9] The original flax.

[1] *One* inch.

[2] Rubr. Celebrat. Missae I. 3.

respondendum censuit: "Posse uti cingulo colore paramentorum."[3]

3. Cingulum, quia pertinet ad Albam tamquam accessorium ejusdem vel fere ejusdem antiquitatis est ac Alba ipsa. Jam apud antiquos Romanos mos vigebat adhibendi cordulam quandam, qua tunica apte cingeretur.[4]

4. Circa saeculum fere IX. cingulum velut distincta vestis sacra vel liturgica in Ordine Romano enumeratur. Ornatus diversus decursu temporis aliquibus locis superadditus fuit. Ita in parte infima flocci[5] filis aureis insuper contexti apponi solebant.

5. Symbolica significatio, quae hodie saltem Cingulo datur, est haec: Cingulum monet sacerdotem, ut custodiat seipsum, praesertim quoad cupiditatem carnis. Oratio "Praecinge me etc.," quae recitatur quando cingulum assumitur, id clare indicat.

ART. IV.

DE MANIPULO.

341. Manipulus est fascia, quae imponitur brachio sinistro. Paucis dumtaxat casibus exceptis intra Missam solam et non in aliis functionibus gestatur.

2. In inferiori parte parvae cruces affigi solent, item in parte superiori, quam minister assumens vel deponens Manipulum jubetur osculari. Color est idem ac planetae. Episcopus assumit Manipulum coram altari ad verba "Indulgentiam etc.," sacerdos eum sibi imponit ante stolam, diaconus et subdiaconus, postquam dalmatica vel tunicella jam induti sunt et celebrantem in assumendis vestibus adjuverint.

3. Manipulus gestatur a solis clericis in ordinibus majoribus constitutis. Minorista, qui per exceptionem in casu necessitatis fungitur officio Subdiaconi, prohibetur, quominus Manipulum portet, alias irregularis fieret.

[3] D. 2194.

[4] Das roemische Cingulum des Alltagslebens bestand im Gegensatz zum Soldatencingulum aus einer Schnur oder aus einem Bande, und so wird auch der liturgische Guertel nach roemischem Gebrauch stets ein Band oder eine Schnur dargestellt haben. (Braun, Handb. d. Paramentik, p. 100.)

[5] Tassels.

[redacted]

4. Manipulus ortus est e mappa vel sudario veteri apud Romanos usitato. Attamen istud sudarium jam tunc temporis potius tamquam pannus destinatus ad ornatum quam ad practicum usum a saecularibus adhiberi solebat.[1]

5. Manipulus non semper eodum modo gestari solebat. Aliquibus locis ministri Manipulum (solutum et non acu vel alio instrumento affixum) simpliciter super brachium ponebant, alibi in manu tenebatur. Circa saeculum XII. autem mos ille, qui nunc praevalet, jam videtur factus fuisse communis.

6. Etiam caeremonia illa, qua hodie in ritu ordinationis subdiaconi Episcopus candidato Manipulum porrigit, communis evasit saeculo dumtaxat XIII. vel XIV.

7. Auctores liturgici diversas symbolicas significationes in Manipulo conspiciunt. Aliqui Manipulum considerant tamquam symbolum poenitentiae juxta orationem: "Merear portare Manipulum fletus et doloris." Alii dicunt illum esse symbolum meritorum bonorum operum, quae quotidie producere debeamus, secundum Psalmistam: "Venientes autem venient cum manipulis suis etc."

ART. V.

DE STOLA.

342. Stola est paramentum ad modum fasciae longioris confectum et ejusdem materiae et coloris ac Manipulus, quod diversis modis gestatur. Episcopus ducit stolam ante pectus lineis rectis, ita ut ambae extremitates aequaliter pendeant; presbyter medium stolae collo imponit, tunc eam transversat ante pectus et extremitates ab utroque latere cingulo adjungit. Attamen si extra Missam Stola assumitur a presbyteris, lineis rectis dependet. Diaconus Stolam gestat ita, ut medium ejus sit impositum super humerum sinistrum

[1] Der Manipel ist roemischen Ursprunges. Entstanden ist er aus einer Art Schweisstuch, das man sich indess nicht als ein gewoehnliches Schnupftuch vorstellen darf, sondern als ein von der Etikette gefordertes feines Tuch, das mehr der Zierde als des praktischen Gebrauches wegen getragen wurde, aehnlich wie das bunte Seidentuechlein, das man heute aus der Brusttasche hervorlugen laesst. (Braun, Hdb. p. 148.)

et ambae partes dependentes ante pectus et in dorso quasi alligentur sub brachio dextro.

2. Variae sunt opiniones apud scriptores liturgicos de origine Stolae. Antiquum nomen hujus vestis non erat Stola, sed Orarium. Orarium (derivatur a voce "os")[1] significabat mappulam[2] ad sudorem e facie abstergendum. Videtur fuisse pannus a saecularibus (saltem nobilioribus) gestatus diversis usibus adaptatus, non tantummodo ad removendum sudorem, sed etiam ad protegendum faciem et collum. Verisimiliter non raro ornamentum simpliciter erat vestibus communibus superimpositum.

3. Ex isto Orario veteri Stola, de hoc vix amplius potest dubitari, excrevit. Quomodo autem et quo tempore istud Orarium vestis sacra et liturgica evaserit, non constat. Attamen monumenta antiqua satis demonstrant, jam saeculo VI. Clericos illud portasse tamquam ornatum distinctum sui ministerii. Insuper non longe postea soli ecclesiastici viri in ordinibus majoribus constituti hac veste se induebant.[3] "Unde hujusmodi Orarium," inquit Van der Stappen, "tamquam insigne virorum ecclesiasticorum, qui in superioribus ordinibus ministerium adimplebant, in Liturgia Christiana fuerit assumptum, forsan ex eo repetendum est, quod apud Romanos quidam viri, qui publicas functiones insigniores exercebant, ex. g. consules, in quarundem functionum exercitio tamquam proprium auctoritatis insigne fasciam non absimilem gestabant."

4. Nomen "Stola," quemadmodum postea Orarium vocari solebat, prius in Gallia (saeculo VIII. vel IX.) videtur fuisse in usu. Vox desumpta fuit e lingua graeca. Stola (στολή) apud Graecos designabat vestem quamcunque, sed praesertim vestem pretiosam.[4]

[1] Face.

[2] Handkerchief.

[3] The ecclesiastical Orarium was originally a small band, a long linen strip, which was loosely suspended from the left shoulder; it was the distinctive badge of the deacon, who served at the Holy Table, and was used to wipe the mouth and face. Already in the seventh century the Orarium, worn by deacons, priests and bishops—but in different ways—had only a symbolical character; hence it began to be made of precious material and to be richly adorned. (Gihr, Holy Sacrifice of Mass, p. 287.)

[4] Man hat da, wo das Wort Stola nicht die engbegrenzte Bedeutung wie zu Rom hatte, eben dem Parament, welches als

[redacted]

5. Decurrente saeculo X. terminus "Stola" etiam apud Italos magis magisque invaluit, donec tandem pristinum nomen "Orarium" oblivioni fuerit datum. Missale et Caeremoniale Romanum solummodo vocem "Stola" adoptarunt et ita hodie haec vestis ubique appellari solet.

6. Quanti momenti Stola medio aevo habita fuerit concludi potest e statutis synodi Moguntii[5] anno 813 habitae in quibus legitur presbyterum Orarium semper gestare debere. Bruno Segnensis (+1123) annotat, posse presbyterum baptizare et diversas alias functiones peragere interdum sine aliis paramentis secus praescriptis, sed nunquam id fieri debere sine stola.

7. Hodie Stola debet esse ejusdem materiae ac Casula, i. e. serica necnon ejusdem coloris. Crux parva affigitur parti superiori, ubi stola collo circumligatur; haec crux semper sit visibilis, quia, sic rubrica dirigit, osculanda est quando stola aut assumitur aut deponitur. Ideo non recte agunt, qui panniculum parvum lineum[6] collari stolae assutum habent, ita ut crux totaliter obtegatur.

8. Circa ornatum Stolae breviter haec adjungamus. Gavantus requirit, ut in Stola (et idem valet de Manipulo) praeter crucem circa collum duae aliae cruces in extremis partibus annectantur. Hae extremitates saepe laciniis vel frangiis e serico vel auro confectis decorantur. Insuper non raro inscriptiones e sacra Scriptura desumptae acu depictae Stolis inseri solent. Convenit, ut Stola, quae non destinatur pro solo Missae Sacrificio sed etiam pro aliis functionibus et quae idcirco rectis lineis super pectus dependet, cordulam habeat seu funiculum cum floccis, ope cujus ambae partes Stolae possint conjungi, ne Stola huc et illuc vagetur. Minus congruenter extremitates Stolae adeo ampliantur, ut formam batilli[7] assumant.

9. Scriptores liturgici aemulantur in dandis et explicandis symbolicis significationibus, quas Stola prae se fert. Quatenus Stola est vestis dignitatis et muneris, quod Clerici in sacra-

Abzeichen des Amtes und darum als das liturgische Gewand im besonderen Sinne galt, den Namen gegeben, mit dem im Sprachgebrauch der hl. Schrift wiederholt ein ausgezeichnetes Kleid bezeichnet wird, d. i. den Namen Stola. (Braun, Handb. d. Paramentik, p. 156.)

[5] Mayence.

[6] A small strip of linen.

[7] Shovel.

mento Ordinis juxta diversos gradus (Episcopalis, sacerdotalis, diaconalis) susceperunt, fieri non potest, quin simul symbolum sit earum virtutum, quae ab eis foveri semper debent.

10. Stola in ritu ordinationis presbyteri vocatur jugum ("Accipe jugum Domini" etc.); atqui jugum portari nequit sine humilitate et patientia.

11. Eadem in ritu ordinationis Diaconi appellatur vestis candida;[8] ideoque exprimit innocentiam et puritatem, quam minister intactam servare debet, ut dignos fructus muneris sui producat.

12. Stola, quia est candida et splendida, etiam apte significat gloriam futuram, quam minister fidelis a Deo postea accipiet; sic Stola ipsum monet ut perseveret in suo ministerio et officia ejusdem animo indefesso adimpleat.[9]

ART. VI.

DE PLANETA.

343. Planeta indumentum sacerdotale est principale et spectatissimum. Varia sunt nomina ejusdem. Missale Romanum et Caeremoniale Episcoporum, quando de eo loquuntur, illud Planetam vocant. Pontificale vero Romanum nomen usurpat Casula. Olim (aliquibus saltem locis) termini sicut Amphibalus et Infula in usu erant, hodie tamen nusquam amplius occurrunt.

2. Vox Planeta juxta aliquos est corruptio vocis Poenulae vel Paenulae, quo nomine appellari solebat amplum indumentum ab antiquis positum super alias vestes velut praesidium contra frigus et pluviam. Alii dicunt Planetam suum nomen

[8] A shining vestment.

[9] The stole has a threefold meaning. Inasmuch as it is placed around the neck, it symbolizes the yoke and the burden of the service of the sanctuary; inasmuch as with the ancients it was a special garment of honor and inasmuch as it is now with us a sacred ornament, the stole also represents the robe of innocence required for the worthy administration of the spiritual office, as well as that garment of glory with which the good and faithful servant will be clothed by the Lord as an eternal reward. (Gihr, Sacrifice of Mass, r

obtinuisse, quoniam super corpus plus minusve vagatur. Nomen Casula derivatur a voce casa, quia velut parva casa (antiqua forma) totum corpus tegere solebat.[1]

3. Hodie, inquit Braun,[2] quinque typos Casulae distinguere possumus, typum Romanum, Germanicum, Gallicum, Hispanicum et Gothicum. Casula Romana crucem habet magnam in tergo et figuram T in pectore. Casula Germanica in pectore solummodo fasciam prae se fert. Casula Gallica ab ea differt in apertura, per quam caput immittitur, quae est magis ampla. Hispanica Casula fasciam ostendit a tergo et in pectore.

4. Planeta non semper eandem formam habebat. Ab amplissima veste, qualis ab initio fuerat, paullatim decurrentibus saeculis ad exiguitatem, quam nostra aetate perspicimus, decrevit. Non constat, quo tempore praecise paenula, quae, uti jam animadvertimus, ab initio et antiquitus vestis erat profana et saecularis, vestis sacra et liturgica evaserit. Id verisimiliter occurrit saeculo fere octavo.

5. Planeta primitus certissime erat paenula rotunda et undique clausa, unicam in medio habens aperturam ad caput immittendum. Totum corpus tegebat et usque ad pedes circulatim defluebat. Sacerdos, ne manus in celebratione Missae impedirentur, partes laterales fere usque ad scapulas revolvere solebat. Graeci adhuc hodie hanc Casulae formam retinent in functionibus sacris. Apud Latinos autem usque ad saeculum forsan XIII. tantummodo in usu remansit. Eo enim tempore, non statim, sed sensim, prius particularibus locis, deinde universim, primitiva forma immutata fuit ad sacerdotis commoditatem, ut nempe expeditior fieret in suo ministerio et ut periculum irreverentiae in tractanda sacra specie magis praecaveretur. Prius ab utroque latere, dextro

[1] This vestment (chasuble) had its origin in the Roman paenula. It was a circular closed overgarment, worn especially when traveling as well as in the city during cold and inclement weather. In the first ten centuries it is frequently mentioned by the name of casula (a small hut, from casa, a little house) and planeta as a garment of ordinary life. From the wide flowing appearance of this garment two historic usages are explained, which are still prescribed by the rubrics, the way of taking off during divine service the planeta plicata and the custom at the elevation of raising up a little the edge of the chasuble. (Gihr, Sacrifice of Mass, p. 292.)

[2] Loco cit.

et sinistro, Casula excisa et decurtata fuit. Sic ad manus solas pertingebat et etiam in parte inferiori versus pedes, retro et in fronte, formam acuminis[3] assumebat. Pro hoc indumento nomen Casula Gothica in usum venit, quoniam stylo gothico (in architectura) plus minusve conformata erat. Nova deinceps modificatio versus saeculum XVI. occurrit. Non amplius ad pedes vestis se extendit. S. Carolus Borromaeus (in Actibus Ecclesiae Mediolanensis) eam describit ita: "Casula cubitos tres et paulo amplius late patens sit, ut ab humeris projecta complicationem unius saltem palmi infra utrumque humerum recipere possit. Longe autem cubitos totidem aut aliquanto longius demissa sit." Sed jam mox saeculo XVII. novae mutationes introductae fuerunt. Ab isto tempore Romae et alibi Planeta minores adhuc mensuras a tergo et in fronte assumebat, donec ultima forma obtenta fuerit, quam nunc habemus. Non semper quidem optimum judicium a fabricatoribus in conficiendis Casulis observatum fuit. Revera permulti et non immerito hanc formam Casulae, quae hodie est communis, velut aberrationem considerant, quia, inquiunt, est vestis aesthetico gustu et decentia carens.[4]

6. Praecise, quoniam labentibus saeculis Casula a sua pristina amplitudine et pulchra forma nimis recesserat, circa medium saeculi XIX. reformatio quaedam tentata fuit sed potius privata auctoritate a diveris cultoribus artis Christianae, praesertim in Germania, Anglia et Belgio. Societates in hunc finem institutae reducere conatae sunt planetam ad stylum veterem Gothicum. Episcopi variorum locorum, ubi haec reformatio orta erat, aliqui istos conatus licitos habebant, alii vero istos conatus potius supprimendos esse censebant. Propterea Episcopus Monasteriensis (in Germania) anno 1859 litteras misit ad S. Rituum Congregationem petens, ut desiderio amatorum sacrae antiquitatis indulgeretur

[3] A pointed form.

[4] Claudius de Vert, a monk of Cluny and a native of Paris (†1701), speaking with indignation against some vestmentmakers of his day, says: "They are allowed to have the liberty of nibbling, clipping, cutting, slashing, shortening, just as the whim may take, Chasubles, Dalmatics, Tunicles, and other priestly garments or ornaments, which serve for the ministry of the altar: in a word to give these robes what shape they like, without consulting the bishop on the matter." (O'Brien, History of the Mass, p. 51.)

[redacted]

et reformatio ab ipsis coepta approbationem obtineret. Prius quidem S. Cong. placitis annuere noluit. Immo propositum fuit a Caeremoniarum Apostolicarum Magistro: 1° non esse tolerandam Planetae formam Gothicam, sed potius tollendam; 2° Planetam more Romano, in praesenti Ecclesiae Latinae disciplina, habendam omnino esse tamquam regulam, cui omnes alias Ecclesias opus sit conformari, et in posterum Planetas noviter conficiendas ad predictam mensuram et formam esse omnino conficiendas. Acris discussio harum propositionum inter Officiales Congregationis secuta est. Attamen postquam res satis examinata et Summo Pontifici submissa fuit, tandem Congregatio judicium suum publicum fecit hoc modo: "Quoniam S. Rituum Cong. arbitratur alicujus ponderis posse esse rationes, quae praesentem immutationem persuaserunt, audito Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae IX. oraculo, verbis amantissimis invitare censuit Eminentiam Vestram, ut rationes ipsas exponere velit, quae illis causam dederunt."

7. Auctoritates Romanae idcirco Planetas Gothicas non prohibuerunt, sed insistunt, ut Ordinariorum consilium et judicium in tali negotio a reformatoribus paramentorum petatur.

8. E qua materia confici debet Planeta? Hodie nulla alia materia permittitur, ac sericum, ut e variis Decretis S. Rituum Cong. constat. Imprimis prohibentur Planetae confectae e lana et gossypio. Ratio est, quoniam hae materiae sunt nimis viles, quibus plebeji utuntur in vulgaribus et quotidianis negotiis. Augustissimum Sacrificium Missae propter suam dignitatem etiam externum quendam splendorem requirit, quemadmodum Majestatem divinam decet.

9. Quanti momenti Cong. Romana hanc praescriptionem de materia vestimentorum habeat, colligi potest e Monito, quod anno 1881 omnibus Episcopis et Ordinariis transmissum fuit et quod ita sonat: "Etsi S. Cong. saepe illicitum declaraverit usum Casularum, aliorumque similium Paramentorum ex tela gossypii, aut lini, aut etiam lanae confectorum; attamen a nonnullis fabricatoribus harum telarum paramenta ejusmodi ita venumdantur, quasi ab ipsa Congregatione nunc eadem permissa fuerint. Ad omnimodam igitur tollendam, in re tam gravi, falsam opinionem, monentur Rev. Ordinarii Dioecesium, Decreta jam emanata quoad hanc rem, ab eadem

[redacted]

S. Congregatione, in sua plena permanere vi ac robore, neque ullam existere nuperrimam dispositionem, quae aliquo modo eadem modificaverit."

10. Ab initio nulla regula fixa circa materiam, e qua Casulae essent conficiendae habebatur. Diversis locis et diversis temporibus videtur diversa materia fuisse adhibita, linum, gossypium et etiam lana. Attamen progressu temporis, quo ditiores ecclesiae fiebant, eo major diligentia procul dubio exercebatur in procurandis paramentis pretiosis. Documenta exstant historica, quae satis demonstrant, saeculo IX. Casulas sericas multis locis in usu fuisse. Simul vero cum hisce sericis vestimentis etiam ex alia confectae vestes habebantur.

11. Malum autem gustum ostendebant illi, qui saeculo XVIII. Casulas e corio vel stramento[5] confecerunt. Etiamsi non sine arte haec vestimenta fuerint confectae, certe materia erat penitus inepta et indecens.[6]

12. Diximus, materiam pro Planetis (et idem valet de Stola et Manipulo) esse sericam. Verum id valet tantum de parte principali et essentiali, minime de accessoriis, sicuti de fasciis, picturis et alio ornatu. Etsi etiam hic sericum sit materia aptior, nihilominus generatim alia materia toleratur.

13. Fieri sane non poterat, quin indumentum adeo conspicuum, quale est Planeta seu Casula decursu temporis varios ornatus obtineret. Nulla lex, ne hodie quidem, talem ornatum prohibet, dummodo sit congruus fini suo et devo-

[5] Leather or straw.

[6] Es war keineswegs wertloses Zeug, was man zur Herstellung dieser ledernen Messgewaender verwertete. Das Leder war nach Art der Ledertapeten vergoldet, mit Blumen bemalt und mit Pressungen versehen, aber es war doch zuletzt nur ein Stoff, der sich allenfalls fuer einen Koller, nicht aber fuer ein Messgewand eignete. (Braun, Kirchliche Gewandung, p. 207.)

Die Lederkaseln waren eine arge aesthetisch-liturgische Verirrung und doch noch nicht die schlimmste. Eine aergere war die Kasel aus Stroh. Von moderner Form natuerlich und mit Verzierungen und Besaetzen versehen, die gleichfalls aus Stroh gemacht waren, wurde sie als Messgewand bei der Weihnachtsmesse gebraucht. Die Meinung dessen, der die Kasel anfertigen liess, war gewiss gut, das Gewand aber, wenn man es ueberhaupt so nennen kann, der aergste Frevel am guten Geschmack und an der liturgischen Sitte, ein aesthetisch-liturgischer Unsinn. (l. c. p. 208.)

[redacted]

tionem necnon decentiam prae se ferat. Sic acu vel alio modo imagines Christi Domini, B. M. V. et Sanctorum vel emblemata Passionis, Crux, Spinea Corona etc. poterunt apponi. Sed non licet (juxta Caeremoniale Episcoporum) in vestimentis nigris apponere imagines vel figuras mortuorum vel cruces albas.

14. Quatenus agitur de symbolica significatione Casulae, ea ab auctoribus universim consideratur tamquam emblema caritatis. Pontificale Romanum hanc interpretationem adoptavit in ritu Ordinationis Presbyteri. Episcopus candidato casulam porrigens dicit: "Accipe vestem sacerdotalem, per quam caritas intelligitur" etc.[7]

[7] The chasuble is worn during the Sacrifice of the Mass: on the altar is the furnace of celestial love, there it is that the Lord enkindles the divine fire upon earth, that at least some sparks of divine love may penetrate our cold hearts and inflame them with its ardor. (Gihr, Sacrifice of the Mass, p. 295.)

[redacted]

CAPUT II.

DE ALIIS VESTIBUS SACRIS.

ART. I.

DE PLUVIALI.

344. Pluviale est pallium cum caputio supra dorsum affixo totaliter apertum in parte anteriori. In pectore connecti solet fibula vel vitta panni serici. Tantum, quando portatur ab Episcopo, clauditur ornamento, quod vocatur Formale seu Pectorale, confecto ex auro vel alio pretioso metallo formae rotundae vel ovalis. Hoc Formale a solo Episcopo et privative adhiberi potest, non ab aliis dignitariis.[1]

2. A caputio seu cucullo hoc indumentum antea appellari solebat Cappa;[2] attamen hodie terminus liturgicus est Pluviale.

3. Originem suam ducit non ex antiquitate Romana, quemadmodum aliqui scriptores videntur opinari, sed e veste adhibita a monachis medii aevi (saec. VIII. et IX.) Hi nempe quum in choro divino officio assistebant vel in processionibus participabant, pallium assumebant, quo seipsos contra frigus et pluviam protegere possent. Pro diebus festivis hae Cappae pretiosiores esse solebant, quae in sacristia seu alibi asservatae, singulis monachis, data occasione, porrigebantur. Videtur Cappa evasisse vestis liturgica circa saeculum X.

4. Formam haec vestis, quando in tota sua latitudine extenditur, habet semicirculi. Decoratur fascia in fronte et ornatur opere acu picto vel auriphrygio. Specialis insuper ornatus et pretiosus saepe datur caputio, sicuti Agnus Dei, imagines Sanctorum etc. Caputium, quod ab initio parvum erat et, suo naturali fini inserviens, super caput trahi poterat,

[1] D. 2425.

[2] Unde anglicum nomen *Cope*.

[redacted]

decursu temporis amplificatum fuit, donec tandem formam clypei assumpserit.

5. Pluviale juxta rubricas generales Missalis[3] adhibetur: 1. in Processionibus; 2. in Benedictionibus, quae fiunt in altari, uti cinerum, palmarum etc; 3. in aspersione aquae benedictae; 4. ad absolutionem post Missam Defunctorum; 5. in Officio Laudum et Vesperarum, quando solemniter dicuntur.

6. Quandocunque immediate ante vel post Missam Pluviale assumitur, sacerdos Alba induitur infra illud, alias vero Superpelliceo. Insuper, dum utitur Pluviali, deponit Manipulum.

Materia, e qua conficitur Pluviale, est eadem ac praescribitur pro Casula.

ART. II.

DE DALMATICA ET TUNICELLA.

345. Dalmatica et Tunicella sunt vestes sacrae, quibus induuntur Diaconus et Subdiaconus in Missa sollemni et aliis diversis functionibus, quae sollemniter i. e. cum ministris peraguntur. Utraque vestis exprimit laetitiam et pompam. Id satis patet e verbis ab Episcopo usitatis in ritu ordinationis. Ad Subdiaconum dicit: "Tunica jucunditatis et indumento laetitiae induat te Dominus." Et ad Diaconum: "Induat te Dominus indumento salutis et vestimento laetitiae, et dalmatica justitiae circumdet te semper."

2. Dalmatica est vestis longa, super caput assumpta, ita ut ante pectus usque ad genua defluat. Tunicella ab ea hodie vix differt. Sola distinctio, quae aliquando apparet est in manicis, prouti hae in Dalmatica sunt longiores, sed breviores in latitudine, verum in Tunicella strictiores et longiores.

3. Dalmatica e Dalmatia introducta (unde nomen) antiquitus (saeculo fere II.) a viris praestantioribus assumpta esse videtur ad significandam excellentiam status sui. Postea Imperatores eam adoptabant tamquam caeremonialem apparatum in suis coronationibus, qui usus adhuc hodie apud

[3] Tit. XIX. 3.

[redacted]

reges Angliae viget. Saeculo IV. Dalmatica cessavit esse vestis laicorum et retenta fuit a solis ministris altaris. Tunc varii quoque ornatus paullatim superadditi sunt. Saeculo XII. forma aliquatenus mutata fuit, prout in veste, quae ab initio indivisa et rotunda fuerat, scissura in latere admittebatur, quin vero infra brachia seu sub manicis conjunctio cum reliquis partibus solveretur. Simul inferior pars amplificata fuit, quo facilius ministri sacras functiones exercere valerent. Tandem recentioribus temporibus adhuc ulterior mutatio se ingerebat. Loco enim manicarum panni dependebant et excisio in anteriori parte versus brachium accedebat. Negari nequit has reformationes potius deformationes fuisse.

4. Non constat praecise, quo tempore Dalmatica vestis propria diaconorum facta sit. Ab initio solus Romanus Pontifex eam induebat. Deinceps per speciale indultum Apostolicum variis episcopis usus concessus fuit et postea diaconis. Tunicella, uti videtur, post saeculum undecimum Subdiaconis assignata est. Antea sola Alba vel Planeta plicata induti ministerium suum exercuerant.

5. Ornatus jam antiquitus Dalmaticae et Tunicellae dari consueverunt. Sic fimbriae in manicis et scissuris appositae habebantur, item flocci et ligaturae in humeris.

6. Non videtur existere specialis rubrica de materia, e qua Dalmatica et Tunicella sint conficiendae, sed consuetudo necnon finis, cui inserviunt (laetitia et sollemnitas) vetant, quominus conficiantur e materia vili (lana, gossypio etc.).

7. Dalmatica et Tunicella Diaconus et Subdiaconus utuntur in Missa sollemni, item in Benedictionibus et Processionibus, quando sacerdoti ministrant. Tempore vero Adventus Quadragesimae (excepta III. Dominica Adventus et IV. Dominica Quadragesimae) ministrare debent in planetis plicatis. Attamen haec rubrica valet de solis Missis, quae sunt de tempore et non de Missis votivis et festivis.

8. Inter Processiones tantum duae habentur, in quibus Dalmatica et Tunicella non assumuntur, sc. Processio in Dominica Palmarum et in festo Purificationis 2. Feb. post Benedictionem candelarum.

9. In Benedictione SS. Sacramenti, quae fit separata a Missa, quum ministri assistunt, semper Dalmatica et Tunicella adhibentur; si vero (v. g. tempore Adventus) immediate

[redacted]

post Missam Benedictio detur, tunc ministri, si adsint, retinent vestem, quam intra Missam gestaverint.

10. Obiter hic addere juvabit, colorem Damaticae et Tunicellae semper debere esse conformem colori paramenti, quod gestatur a celebrante.

ART. III.

DE SUPERPELLICEO.

346. Superpelliceum est indumentum, quod formam habet Albae decurtatae vel diminutae et cum manicis amplis et largis. In hoc praecise differt a Rochetto (quo utuntur Episcopi et Praelati), cujus manicae sunt angustae.

2. Nomen suum accepit ex eo, quod Ecclesiastici, Officium cantantes, in regionibus frigidis pellibus corpus protegere solebant, supra quas tunc lineam tunicam imponebant.

3. Circa materiam, unde conficiatur, nulla positiva lex quidquam praescribit. Attamen convenit, ut conficiatur e lino, quemadmodum precipitur pro Alba, e qua excrevit.

4. Textus denticulatus et opus phrygii hodie ubique in superpelliceo admittitur, dummodo non sit ornatus nimis cumulatus. Cavendum est, inquit Van der Stappen, ne Superpelliceum aut Rochettum, nimio texti denticulati ornatu redactum sit ad merum ornamentum; vestis est e tela, non ex textu denticulato conficienda. Ob nimiam telae decurtationem ecclesiastica gravitas vilescit. Revera hodie aliquando a fabricatoribus et mercatoribus superpellicea offeruntur quae risum potius provocare, quam aedificationem producere valeant, et quae omni gustu et elegantia carent.

5. Superpelliceum est vestis omnibus clericis communis, quapropter Episcopus, qui primam tonsuram confert vel clericum facit, utitur verbis: "Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in justitia et sanctitate veritatis."

6. Adhibetur Superpelliceum in omnibus functionibus sacris, pro quibus Alba non est praecepta, praesertim in administratione Sacramentorum, in processionibus et quando officium recitatur in choro.

[redacted]

ART. IV.

DE VELO HUMERALI.

347. Velum humerale est pannus sericus, quo utitur Subdiaconus, quum in Missa solemni defert calicem ad altare tempore Offertorii necnon postea, quum tenet Patenam, excepta Missa de Requie. Tunc debet esse ejusdem coloris ac paramenta alia, quae a celebrante et ministris adhibentur.

2. Verum non tantum Subdiaconus intra Missam, sed etiam Sacerdos extra Missam velum humerale assumit, nempe in deferendo SS. Sacramento et in danda Benedictione cum eodem. In hoc casu semper debet esse album. Non vero licet album velum assumere super vestimenta nigri coloris excepta functione in die Parasceves, in asportanda sc. Hostia praesanctificata e loco Respositionis ad altare majus. Ad quaestionem: "Sacerdos post Missam de Requie potestne aperire Tabernaculum et dicto *Tantum ergo,* populum cum SSmo Sacramento benedicere, adhibito super Planeta coloris nigri Velo humerali albo?" S. Rit. Cong. rescribendum censuit: "Negative."

3. Forma Veli, qualis nunc habetur, est recentioris aetatis, nempe saeculi XIV. vel XV. Videtur ortum suum traxisse e mappula antiqua, qua Acolythi et alii clerici res ad Sacrum pertinentes ad Altare asportare solebant.

ART. V.

DE BIRETO ET PILEOLO.

348. Biretum est capitis tegumentum, quo Clerici in variis functionibus utuntur. Juxta Rescriptum S. Rit. Cong.[1] Biretum non est chorale indumentum. Vocari forsan potest appendix habitus clericalis,[2] cui etiam character vestis sacri deest.

2. Van der Stappen[3] de Bireto loquens illud ita describit: "Biretum erat primitus pileus rotundus, laneus ad instar

[1] D. 2877.
[2] Cassock.
[3] III., Q. 143.

[redacted]

galeri absque gyro, cumque digitis assidue apprehenderetur Biretum, cornua quasi seu angulos in variis partibus accepit, et processu temporis anguli in modum crucis quatuor appositi fuerunt, et ita e rotundo in quadratum evasit."

Itali vero submisso angulo seu apice tres reliquos tantum elevaverunt, ad honorem, ut ipsi dicunt, SS. Trinitatis.

3. Biretum quadratum tribus apicibus instructum, ita capiti imponitur, ut pars illa, quae apice caret, a sinistra sit.

In medio inter apices ex consuetudine generali admittitur parvus flosculus ex serico.

Biretum doctorale non est confundendum cum clericali, traditur enim non tantum Ecclesiasticis sed et laicis doctoribus.

4. Color Bireti antiquitus aliquando violaceus, mox generatim niger fuit; exinde nigrum assumendum est ab omnibus Presbyteris, minorisque ordinis Ecclesiasticis.

Leo XIII. per Litteras Apostolicas 3 Feb. 1888 concessit, ut Episcopi Bireto violacei coloris uti libere possint; atque hoc ita illis proprium voluit, ut alius, qui Episcopali dignitate non sit insignitus, ejusmodi ornamento nullatenus potiri queat.

S. R. E. Cardinales Biretum habent rubri coloris conforme ipsorum vesti talari, quae etiam est rubra.

5. Quoad aetatem Bireti sequentia notatu digna esse videntur:

Biretum in sua forma quadrata, qualis hodie habetur, saeculo XVI. in usum venit, ex quo tempore paucae tantum modificationes locum habuerunt. Ita Synodus Mechliniensis (1607) praescribit: (Clerici) Clericale biretum, quod est ecclesiasticorum hominum proprium, ad crucis formam confectum semper gerant. Similia statuta in aliis synodis occurrunt. Vestigia Bireti anteriora jam saeculo XII. inveniuntur. Biretum, quod tunc temporis vocabatur Pileus, non formam quadratam sed rotundam habebat, neque tam alte super caput eminebat ac nunc eminere solet.

6. Biretum non est tegumentum destinatum ad solas functiones liturgicas. Praeterea in hisce functionibus usus ejusdem limitatur. Rubricae dicunt, Biretum esse imponendum ante et post Missam. Adhibetur etiam in processionibus exceptis illis, quae fiunt cum SS. Sacramento. Clerici, qui

[redacted]

intersunt choro, imponunt Biretum, quum sedent, non autem, quando stant vel genuflectunt. Celebrans et ministri in Missa solemni caput tegunt Bireto tempore, quo (intra Gloria, Credo etc.) sedile occupant, attamen nunquam quum Missa celebratur coram SS. Sacramento exposito.

7. Pileolus est parvus pannus formae rotundae vel circularis, quo contegitur corona capitis, quae apud Clericos propter tonsuram solet esse nuda.

8. Antiquitus valetudinis causa prius assumptus postea signum honoris, status et dignitatis evasit. Papa Pileolum gestat albi coloris. Cardinales Pileolum coloris rubri et Episcopi (hi soli, non autem alii Praelati sine speciali privilegio) coloris violacei (e concessione Pii IX. 17. Jun. 1867) gestant. Omnes alii Clerici, si illum gestare velint, Pileolo utuntur nigri coloris.

9. Pileolus diversa nomina habet, sicuti calota, zuchetto, Soli Deo. Stricte vetatur, quominus sacerdotes Pileolo utantur in Missae celebratione. Id licet solis Cardinalibus et Episcopis intra Missae partes minus solemnes, non infra canonem.

[redacted]

CAPUT III.

DE PARAMENTIS PONTIFICALIBUS.

ART. I.

DE MITRA.

349. Mitra vocatur ille ornatus capitis, quo Episcopus utitur in diversis functionibus (intra et extra Missam), quae cum majori vel minori sollemnitate fiunt. Mitra deponenda est ad orationes Missae, ad orationes in administratione Sacramentorum vel officii juxta monitum Apostoli,[1] ut vir inter orandum detecto capite appareat. Caeremoniale Episcoporum[2] de Mitra sequentia habet: Mitrae usus antiquissimus est, et ejus triplex est species; una, quae pretiosa dicitur, quia gemmis et lapidibus pretiosis, vel laminis aureis, vel argenteis contexta esse solet; altera auriphrygiata sine gemmis et sine laminis aureis vel argenteis; sed vel aliquibus parvis margaritis composita, vel ex serico albo, auro intermisto, vel ex tela aurea simplici sine laminis et margaritis; tertia, quae simplex vocatur sine auro, ex simplici serico Damasceno, vel alio, aut etiam linea ex tela alba confecta, rubeis laciniis, seu frangiis, et vittis, pendentibus.

2. Pretiosa utitur Episcopus in sollemnioribus festis, et generaliter quandocunque in officio dicitur Hymnus "Te Deum laudamus" et in Missa "Gloria in excelsis Deo." Nihilominus in eisdem festis, etiam auriphrygiata uti poterit . . . ne scilicet Episcopus nimis gravetur, si in toto Officio pretiosa utatur.

Auriphrygiata mitra utitur Episcopus ab Adventu Domini usque ad festum Nativitatis, excepta Dominica tertia Adventus. Item a Septuagesima usque ad feriam quartam majoris hebdomadae inclusive, excepta Dominica quarta Quadrage-

[1] 1. Cor. 11, 4. [2] Lib. I. c. XVII.

simae. Item in omnibus vigiliis, quae jejunantur . . . et benedictionibus, quae private aguntur.

Simplici vero Mitra utitur Episcopus feria sexta in Parasceve, et in Officiis et Missis Defunctorum.

3. Circa originem vel aetatem historicam Mitrae ab auctoribus liturgicis multa scripta sunt. Juxta aliquos Mitra jam tempore Apostolorum in usu erat et velut imitatio illius ornatus capitis, quem Summus Sacerdos apud Israelitas veteres gestare solebat. Attamen haec sententia videtur esse prorsus falsa et nimis phantastica. Saltem nullum vere historicum argumentum potest adduci, quo sustineri queat. Econtra constat hodie ante annum 1000 P. C. Mitram fuisse incognitam. Origo ejusdem videtur esse illud tegumentum capitis, quod suo tempore vocabatur camelaucum, et quo uti solebant Summi Pontifices Romani. Privilegium utendi eodem ornatu prius aliquibus tantum Episcopis concessum fuit, donec decurrentibus pluribus decenniis circa saeculum fere XII. ornatus communis episcopalis evaserit.[3]

4. Etiam Abbatibus et Praelatis episcopali charactere non insignitis hodie saepe usus Mitrae conceditur, sed cum restrictionibus et modificationibus diversis, quae in rescriptis et bullis Romanis in hunc finem exaratis inveniuntur.

ART. II.

DE CAPPA MAGNA.

350. Cappa Magna est manteletum cauda[1] et caputio ornatum, quo Cardinales, Patriarchae, Episcopi et aliqui Praelati majores induuntur in sollemnibus diversis functionibus. Non videtur fuisse in usu ante saeculum XIV. Caeremoniale Episcoporum[2] de Cappa dicit: Quoad cappas, quibus Episcopi in propriis ecclesiis utuntur, id erit observandum, ut regulari-

[3] Keiner der dem 8. und 9. Jahrhundert entstammenden roemischen Ordines erwaehnt auch nur mit einem Worte eine pontificale Kopfbekleidung, obwohl die weitlaeufigen und bis ins einzelne gehenden Angaben ueber den Messritus dazu mehr als einmal haetten fuehren muessen, falls eine solche bereits im Gebrauch gewesen waere. (Braun, liturgische Gewandung, p. 432.)

[1] Train.

[2] Lib. I. c. III. 3.

[redacted]

ter sint laneae, et violaceae, et non alterius coloris. In sollemnioribus tamen festis, quae in Rubricis Breviarii primae classis vocantur, dempto triduo ante Pascha, poterit Episcopus uti etiam cappa ex camelotto coloris violacei, nullatenus alterius coloris, quibus quidem cappis pelliculae circa collum et pectus de more consutae sint, quae deinde Vigilia Pentecostes, seu pro diversitate locorum citius aut tardius, prout Episcopo opportunum videbitur, praeintimatis etiam Canonicis, qui cappis utuntur, quo die mutari debeant, removentur, et loco pellicularum sericum rubrum apponitur. Canonici vero regulariter in ecclesiis, ubi illis utuntur, eas deponunt, et loco eorum assumunt cottas supra rochettum.

ART. III.

DE SANDALIBUS ET CALIGIS.

351. Sandalia et Caligae sunt paramenta pedibus et cruribus assignata et solis Episcopis concessa. Hodie in Missa tantum Pontificali adhibentur. Caeremoniale Episcoporum[1] loquens de modo, quo Episcopus pro Missa sollemni sit vestiendus, annotat: Subdiaconus afferet ex credentia super bacili sandalia et caligas manibus velo coopertis, alio velo cooperta, ambabus manibus elevata, ante Episcopum, illaque, adjuvantibus duobus Episcopi scutiferis, qui ad abacum solent assistere, genuflexus induit primo in dextero, deinde in sinistro pede Episcopi, detractis prius per scutiferum ordinariis calceis.

2. Jam saeculo VI. vestigia habemus horum paramentorum, sed non semper idem modus quoad ea observabatur.

3. Color Sandalium et caligarum debet esse liturgicus juxta diversitatem Officii et festi, nunquam vero niger, quia in Missa de Requie et in Parasceve sollemnitates desunt.

1 Lib. II. c. VIII. 7.

ART. IV.

DE CHIROTHECIS.

352. Chirothecae, quemadmodum nomen indicat, adhibentur ad contegendas manus. Episcopus eis utitur solummodo in Missa Pontificali et sollemni, et insuper in prima dumtaxat parte, ab initio usque ad Offertorium. Usus autem fert, ut adhibeantur etiam in Missa ordinationis, quamvis sine cantu, vel saltem sine sollemnitate fiat. Locum non habent in Missa defunctorum. Imponuntur Episcopo (juxta Caerem.) per diaconum in dextera et per subdiaconum in sinistra, prius iis per alterutrum osculatis.

2. Mos induendi chirothecas videtur prius invaluisse in Gallia circa saeculum fere X., unde postea ad alias regiones transiit. Etiam in chirothecis requiritur color liturgicus aliis paramentis congruus.

3. Materia, e qua conficiuntur chirothecae, est sericum; velut ornatus in dorso manus apponi solet parva crux serica vel etiam ex auro vel argento confecta.

[redacted]

CAPUT IV.

DE PARAMENTIS CALICIS.

353. Paramenta haec sunt quinque, nempe: **Corporale, Palla, Purificatorium, Velum, Bursa.**[1]

ART. I.

DE CORPORALI.

1. Corporale est pannus, in quo reponitur Sacra Hostia et supra quod collocatur Calix cum SS. Sanguine tempore Missae, et quod semper etiam extra Missam tamquam substratum inservit vasi sacro (ciborio et ostensorio), quando actualiter continet SS. Sacramentum. Significat ita linteamina, quibus Corpus Domini in sepulchro involutum fuit, quemadmodum patet e verbis in benedictione adhibitis: "Ut Corporis et Sanguinis Redemptoris Nostri novum sudarium Spiritus Sancti gratia efficiatur."

2. Materia Corporalis debet esse linum album, purissimum et nitidissimum, quia immediate tangit Eucharisticum Dominum. Usus alterius materiae, quamvis pretiosioris et adhuc magis inferioris indolis stricte prohibetur. Corporalia confecta e gossypio et etiam e serico sunt contra rubricas, adeo, ut S. Cong. Rit., quae secus pro reliquis paramentis e materia illicita confectis usum usque ad consumptionem permittere solet, jusserit, quod Corporalia (et idem valet de Palla et Purificatorio) post lapsum unius mensis a Decreti[2] publicatione interdicta et vetita forent et non possent adhiberi usquedum consumantur.

3. Forma Corporalis est quadrata talis dimensionis, ut commode Hostia et Calix super eo collocari queant.

[1] Ritus servandus in Celebr. Missae, Tit. I. n. 1.

[2] D. 2600.

4. Circa ornatum dicendum est, non licere filamenta coloris caerulei vel rubei intertexere lino, neque in lateribus neque in medio. Saepe venduntur hujusmodi Corporalia, sed videtur obstare finis, cui Corporale inservit, necnon rubrica, quae absolute album Corporale requirit. Non raro crux parva (rubri coloris) acu pingitur in anteriori plicatura, sed non apparet ratio. Nam si crux affigatur ad distinguendum Corporale ab aliis paramentis melius ponitur in medio vel centro, non autem in plicatura et loco, ubi fragmenta S. Hostiae colligi debent, sed etiam haec crux minus congrua est. Nihil vero prohibet, quominus ornatus textilis denticulati parvae dimensionis circa extremitates trahatur, immo etiam textile aureum, dummodo in ipsa planitie Corporalis omnis ornatus absit. Notam habet Van der Stappen:[3] "Corporalia sint ex tela subtilissima, et texturae diligentius expolitae, it ut nihil asperum telae vitio in ipsis appareat, neque filorum fragmenta extrahi possint; amylo[4] postquam lota sunt, roborentur, sed leniter, ut explicata ultro ad planum se extendant."

5. Corporale, quando non est in usu, caute plicari debet et in bursa asservari. Obligatio incumbit parochis et rectoribus ecclesiarum curandi, ut Corporalia semper sint mundissima. "Ideo," inquit iterum Van der Stappen, "statim, ac frequenti usu Corporale non amplius est omnino candidum, aut aliqua in eo etiam minima macula deprehenditur, seponatur illud et mundetur; et frequenter, singulo quidem mense, quotquot in usu sunt in ecclesia, Corporalia inspicere, sacerdotalis fides et zelus pro fastidio non habeat."

6. Corporale est antiquissimum paramentum in celebratione Missae adhibitum.[5]

Ab initio videtur coincidisse cum mappa Altaris, quae

[3] III. 9. 84.

[4] Starch.

[5] Das Korporale ist unzweifelhaft das aelteste aller Paramente. Wenn je ein Parament durch die dem Heiligsten schuldige Ehrfurcht geboten war, dann ist das sicher das Korporale. Altartuecher duerfte man anfangs unter dem Korporale nicht gebraucht haben. Man kannte, wie es scheint, in dem ersten Jahrhundert nur eine Palla, die zugleich Altartuch und Korporale war. Die Einfuerhrung eines zweiten und dritten Altartuches fuehrten dann dazu, dass man dem obersten, auf welchem unmittelbar die heiligen Geheimnisse ruhten, den auszeichnenden Namen Palla corporalis oder kurzweg corporale gab. (Braun, Handb. der kirchlichen Paramentik, p. 234.)

[redacted]

tunc unica fuit. Adhuc saeculo X. longitudinem adhuc habebat et latitudinem totius mensae. Tantum, postquam plures mappae super altari apponi coeptae sunt, Corporale sejunctum a mappa in usum venit, quod deinceps dimensione paullatim decurtata fuit. Sed adhuc hodie in Pontificali (in ritu ordinationis Subdiaconi) occurrit nomen Palla corporalis.

7. Corporali semper maxima reverentia exhiberi solebat. Nam immediate S. Hostiam tangit. Reverentia pluribus locis adeo progressa fuisse narratur, ut superstitiones quaedam cum Corporali locum haberent. Praesertim contra incendium adhiberi solebat. Legimus enim in Constitutionibus Cluniacensibus: "Semper asservetur in latere sinistro altaris principalioris Corporale in arca conditum, ut ad manum possit esse contra periculum ignis." Projiciebatur Corporale in ignem ad flammas exstinguendas. Auctoritates ecclesiasticae postea hanc praxim condemnarunt.

ART. II.

DE PALLA.

354. Palla est parvus pannus quadratus lineus, quo calix intra missam contegitur. Hodie tres formae Pallae in usu sunt. Primus modus conficiendi Pallam consistit in eo, quod duo linteamina quadrata habeantur consuta, ita ut saccum constituant, cui charta vel etiam tenuis tabula lignea inseritur ad obtinendam majorem firmitatem vel soliditatem. Alter modus habetur, quatenus duo vel tres panni inter se connectuntur, qui tunc amylo consolidantur. Tertia forma Pallae est simplex pannus lineus, qui chartae lino circumductae sed aliquatenus majoris dimensionis infra supponitur et acu vel paucis filis affigitur.

2. Palla ipsa est ille pannus lineus, infra positus, qui calicem directe vel immediate contegit (nam hic praecise Pallam constituit) et qui debet esse absque omni ornatu, eodem modo ac Corporale. Semper sit linteamen purissimum et nitidissimum quoniam immediate supra pretiosissimum Sanguinem in calice ponitur. Ornatus potest apponi in sola superficie et in extremitatibus. Nam dubio proposito: "An

[redacted]

uti liceat Palla a superiori parte serica, aut ex auro vel argento, et acu depicta cooperta?" S. Cong. rescribere rata est: "Permitti posse, dummodo Palla linea subnexa Calicem cooperiat ac pannus superior non sit nigri coloris nec referat aliqua mortis signa." Textus parvus denticulatus in extremitatibus non vetatur, sed minus convenit. Si ornatus in superiori parte Pallae habeantur, convenit, ut emblemata Passionis Domini (crux, Agnus Dei etc.) eligantur. Minus apti videntur esse flores. Et non licet affigere ornatum duorum cordium (Jesu et Mariae) vel unius Cordis (SS. Redemptoris) absque figura totius corporis.

3. Palla excrevit e Corporali. Corporale ipsum enim, quod primitus longius et latius erat, antea (usque ad saeculum fere XI.) adhiberi solebat ad contegendum calicem, prout pars posterior supra calicem trahebatur. Postea vero, quia hic modus, praesertim in Missis privatis, minus conveniens videbatur, aliud et separatum Corporale plicatum assumi solebat, quod sic paullatim ad Pallam, quam hodie habemus, evolutum est.[6]

4. Intima connexio, quae inter Pallam et Corporale ab initio existebat, potest adhuc hodie videri ex hac circumstantia, quod Palla et Corporale eadem formula benedicuntur. Aliqui auctores docebant, nunquam separatim, sed simul semper cum Corporali Pallam benedici posse et debere. Attamen rescripsit S. Rit. Cong., Pallam novam aut Pallas novas absque Corporali posse benedici. Verum nulla tunc mutatio facienda est in verbis formulae, haec potius retineri debet, sicuti jacet, etiam semper in numero singulari, etsi plures Pallae vel plura Corporalia eodem tempore benedicantur.

[6] Man hat gemeint, das zweite Korporale sei nur ein Stueck des zwoelffeldrigen Korporales, naemlich die aeusserste der vier Felderreihen, die man abgeschnitten habe, um sie bequemer zur Abdeckung des Kelches verwenden zu koennen. Fuer eine solche Auffassung findet sich jedoch in den Quellen keine Bestaetigung. Wir werden uns darum richtiger die Sache so denken, dass man der groesseren Bequemlichkeit halber zu dem ersten ein vollstaendiges zweites Korporale einfuehrte, welches jedoch gefaltet blieb. (Braun, Handb. d. Paramentik, p. 241.)

[redacted]

ART. III.

DE PURIFICATORIO.

355. "Purificatorium est linteum, ordinarie in longitudine bis duplicatum, quod, quum praeparatur calix ante Missam, super ejus os ponitur, et iterum, facta Communione, super calicem extenditur post hujus extersionem. In Missa Purificatorium inservit ad extergendum: 1. Calicem, ad Offertorium, antequam vinum infundatur; 2. Patenam, post Orationem Dominicam, priusquam S. Hostia in ea deponatur; 3. digitos Celebrantis vino et aqua ablutos, post Calicis purificationem; 4. os Celebrantis et ipsum Calicem, post sumptam ablutionem."[1]

2. Purificatorium, quale nunc existit, medio aevo introductum fuit. Procul dubio omnibus temporibus linteum adhiberi solebat ad abstergendum Calicem post usum. Verumtamen haec linteamina non erant sejuncta ab aliis, quibus v. g. pro lotione manuum Sacerdos indigebat. Separata linteamina paullatim dumtaxat in usum venerunt. Consuetudines Cluniacenses et Rituale Montis Cassini de iis loquuntur. Nomen "Purificatorium" occurrit in inventario Papali anni 1295.

3. Purificatorium non debet benedici, sed si benedicatur, fit generali formula, quae invenitur in Rituali pro indumentis sacerdotalibus universim. Ornatum adjicere Purificatorio minus convenit, excepta parva cruce acu depicta in medio, ut sic ab aliis linteis possit distingui.

4. Decet omnimode, ut sacerdotes, qui regulariter in eadem ecclesia celebrent, singuli sua propria Purificatoria sicut etiam amictus pro unaquaque hebdomade accipiant et loco separato asservent. Tolerari nequit mos adhibendi idem Purificatorium, quod ex usu quotidiano facile immundum evadit, per tempus nimis diuturnum, v. g. per mensem.

5. Purificatoria immunda debent lavari prius (duplici lotione) a Subdiacono vel saltem a Clerico in Minoribus constituto. Idem valet de Corporali et Palla. Id clare exprimitur in admonitione, quam Pontificale Romanum (in ritu ordinationis Subdiaconi) continet: "Pallae, quae sunt

[1] Van der Stappen III. Q. 82.

[redacted]

in substratorio altaris, in alio vase debent lavari, et in alio corporales Pallae. Ubi autem corporales pallae lotae fuerint, nullum aliud linteamen debet lavari, ipsaque lotionis aqua debet in baptisterium vergi." Ante usum Purificatoria possunt tangi ab omnibus, post usum vero solis Clericis in Majoribus constitutis ea tangere licet.

ART. IV.

DE VELO CALICIS.

356. Velum hoc est pannus e serico confectus, quo Calix et Patena ab initio Missae usque ad Offertorium et iterum post Communionem teguntur ob reverentiam sacris vasis debitam. Romae nullus praecise ornatus apponitur; alibi saepe parva crux in anteriori parte affigi solet.

2. Velum debet esse ejusdem materiae et coloris ac indumenta alia Celebrantis. Curandum est, ne sit nimis firmum vel rigidum. Decorationes sicut fringii in extremitatibus melius omittuntur.

3. Antiquitus et etiam toto medio aevo velum non erat in usu. Calix et Patena aut nuda aut sacculo parvo involuta ad altare asportari solebant sive a Sacerdote ipso sive ab Acolytho vel Sacrista. Hic modus videtur praevaluisse Romae adhuc saeculo XV. Nova autem editio Missalis a Pio V. facta, quae postea per totum Orbem Catholicum Latini Ritus obligatoria evasit, etiam velum Calicis enumerat. Ex eo igitur tempore velum communiter adhibetur.[1]

[1] Ganz ploetzlich und als voellig neue Erscheinung tritt das Kelchvelum im 16. Jahrhundert keineswegs auf den Plan. Beim Hochamt kannte man schon wenigstens seit dem 13. Jahrhundert eine Art von Kelchverhuellung. Wenn naemlich der Subdiakon nach der Epistel den Kelch und die Patene zur Opferung hergerichtet und auf die Kredenz gestellt hatte, so bedeckte er sie bis zur Opferung mit einer mappula, einer Palla, oder, wie es in einem Caeremoniale von Bayeux heisst, mit einer fuer diesen Zweck bestimmten Sindon. Bei der Opferung brachte dann ein Akoluth, der Subdiakon oder Diakon, Kelch und Patene mit dem sie bedeckenden Velum von dem bisherigen Standort zum Altare, wo das Velum entfernt wurde, um entweder beiseite gelegt oder spaeter vom Subdiakon zum Verhuellen der Patene benutzt zu werden. (Braun, Hdb. d. Paramentik, p. 245.)

[redacted]

ART. V.

DE BURSA.

357. Bursa, quae est receptaculum vel saccus, quare etiam Pera aliquando vocatur, destinatur ad cautius et decentius servandum Corporale plicatum.

2. Bursa bona et suo fini apte inserviens debet habere formam quadrati; melius in tribus partibus erit juncta, dum una pars (superior) aperta manet ad recipiendum Corporale. Non semper illae Bursae, quae a mercatoribus et fabricatoribus offeruntur, bonam hanc formam habent. "Nonnunquam," inquit Van der Stappen, "videre est bursas ab una parte clausas et tribus partibus apertas, cum apposita fasciola ab una et altera parte, et Corporalia aegre continentes; de congruenti bursa istae nihil retinent praeter nomen, et nemini profecto placeret res suas caute et decenter servandas parili custodiae tradere. Ante saeculum XIX. nostrae bursae Romanis erant similes; e Gallia reliquae introductae fuerunt."

3. Omnibus temporibus cura adhibita fuit, ut Corporalia, quae sunt linteamina sacratissima, decenter asservarentur. Medio aevo aut saccus aut arca in usu erant. Varia nomina occurrunt in inventariis, sicuti capsa, capsella, cassus, domus Corporalium. Ornatus exterior et interior hisce saccis vel arcis apponebatur; serico circumligari et opere phrygio decorari solebant.

SUPPLEMENTUM.

A. DE VELO CIBORII.

358. Rituale Romanum praescribit, ut Ciborium, quando actualiter sacras species continet, tegumento quodam vel mantello circumcingatur. De materia nihil distincte dicitur, sed magis convenit, ut sericum adhibeatur. Neque rubricae quidquam annotant quoad formam, dummodo decenter sacrum vas contegatur et e conspectu publico plus minusve subtrahatur.[1]

[1] Der Ziboriumbehang wird in verschiedenen Formen angefertigt. Es giebt kreisfoermige Velen, dann Velen, die etwa drei

[redacted]

2. Velum Ciborii est recens Institutio. Carolus Borromaeus primus fuit, qui illud pro sua Archidioecesi Mediolanensi praescripsit, e quo tempore postea paullatim mos communis evasit.

B. DE VELO OSTENSORII.

359. Ostensorium cooperiri debet velo albo, quando stat in Altari ante et post expositionem Ssmi Sacramenti.[1] Hujus praxis mentionem jam facit Gavanti. Cum de materia hujus veli nihil statuatur, confici potest ex lana, gossypio vel alia tela decenti. In casu autem, quo Ostensorium cum S. Hostia in tabernaculo includitur, sicuti fit aliquibus locis, velum debet esse sericum.

Viertel eines Kreises darstellen, weiterhin Velen in Gestalt eines Rechtecks, deren obere Langseite mittels einer Schnur zusammengezogen und dann um die Spitze des Ziboriumdeckels angebunden wird, und endlich Velen in Form eines aus vier oder sechs Stuecken zusammengesetzten Haeubchens. (Braun, Hdb. d. Paramentik, p. 248.)

[1] D. 27. Maj. 1911, n. 4268. 7.

[redacted]

CAPUT V.

DE PARAMENTIS ALTARIS.

ART. I.

DE MAPPIS ALTARIS.

360. **Mappae Altaris sunt illa linteamina, quibus mensa** Altaris tecta vel involuta habetur. Rubricae generales Missae[1] de eis loquentes statuunt: "Altare, in quo sacrosanctum Missae sacrificium celebrandum est, debet esse lapideum . . . vel saltem ara lapidea. . . . Hoc altare operiatur tribus mappis seu tobaleis mundis ab Episcopo vel alio habente potestatem benedictis, superiori saltem oblonga, quae usque ad terram pertingat, duabus aliis brevioribus, vel una duplicata."

2. Mappae hae tres requisitae debent esse confectae ex lino aut cannabe, nunquam ex alia materia, etsi sit pretiosior, sicuti sericum. Ratio est, quoniam Mappae habent mysticam quandam significationem. Altare enim repraesentat Christum, Mappae autem designant membra Christi mystica, i. e. fideles juxta verba Pontificalis Romani (in ritu ordinationis Subdiaconi: "Altare quidem sanctae Ecclesiae ipse est Christus, teste Joanne, qui in Apocalypsi sua altare aureum se vidisse perhibet, stans ante thronum, in quo et per quem, oblationes fidelium Deo Patri consecrantur. Cujus altaris pallae et corporalia sunt membra Christi, scilicet fideles Dei, quibus Dominus, quasi vestimentis pretiosis circumdatur." Mappae etiam significant illa pura et nitida linteamina, quibus corpus Christi postquam fuerit remotum a cruce in sepulchro positum involutum est. Linum, e quo conficiuntur mappae, apte indicat puritatem, qua semper induti esse debent, qui sacris mysteriis assistunt.

3. Mappae debent esse tres pro celebratione Missae. Pro

[1]Tit. XX.

[redacted]

duabus mappis inferioribus sufficit unus pannus e lino duplicatus. Mappa autem superior semper debet esse una vel simplex et ab inferioribus penitus separata. Opus est, ut tres mappae, etiam inferiores cooperiant totam mensam altaris, et non solam aram lapideam consecratam. Mappa superior tam longa sit, ut ab utraque parte laterali altaris usque ad terram dependeat.

4. Abusus est mappis ornatus infigere acu vel alio modo, sicuti figuras (flores, emblemata) diversi coloris (rubei, caerulei etc.) serico adhibito. Textus reticulatus adhiberi potest, sed non in superficie altaris, dummodo laciniae hae sint confectae e lino et non e gossypio. Fundus rubri vel alterius coloris textili reticulato simpliciter submittere videtur posse permitti.

5. Cura exerceri debet, ut mappae semper sint mundae, prouti sanctitas loci et augustissimum Sacramentum et Sacrificium, quod supra eas offertur, insinuant. Non videtur esse nimis postulatum, si dicamus, mappam superiorem altaris, in quo singulis diebus plures Missae celebrentur, lavandam esse et novam vel mundam apponendam saltem bis in mense, mappas inferiores autem debere mutari et lavari saltem quater in anno. Habentur altaria, in quibus hae mappae (inferiores) nunquam mutantur, donec sint simpliciter laceratae et vermibus et pulvere consumptae. Difficile intelligitur, quomodo sacerdos, qui saepe in recitatione Divini Officii dicit, "Zelus Domus tuae comedit me" talem abusum tolerare queat.

6. Praeter Mappas rubricae loquuntur de duobus aliis indumentis altaris, de Chrismali et Vesperali.

Chrismale est pannus lineus albus cera munitus et roboratus.[2] Ponitur in altari fixo (sensu stricto) immediate post consecrationem infra mappas, ita ut facies cerata lapidem directe tangat. Hoc fit, ne oleum sacrum, quod mox antea ibi per Episcopum effusum, e quo etiam post abstersionem per ministros factam semper aliquid remanet, mappam maculet et ne humiditas e lapide exhalans mappis noceat. Semel ibi sic positum semper ibi relinquitur et non removetur excepta feria V. in Coena Domini quando altaria penitus denudantur.

[2] Oil-cloth.

[redacted]

7. Vesperale est tela linea vel serica (minus apta videtur esse lana), qua extra celebrationem Missae vel alia Officia Mappae altaris conteguntur ad sordes ab eis arcendas. Color specialis non praescribitur pro eo, sed juxta S. Carolum Borromaeum convenit ut sit viridis.

8. Mos contegendi altare una saltem mappa vel etiam pluribus pannis hujusmodi vetustissimae aetatis est. Jam primordiis saeculis videtur fuisse in usu. Alias Optatus Milevius (370) scribere non potuisset: "Quis fidelium ignorat, quod, dum mysteria sacra celebrantur, lignum (altaris) panno lineo operiatur. Naturalis decentia et frequens periculum, ne, si forsan per accidens pretiosissimus Sanguis effunderetur, effusio statim super altare flueret, usum contegendi altare introduxit. Non autem semper idem numerus (3) observatus fuit. Synodalia statuta et alia historica documenta, quae de mappis aliquid annotant, aliquando de uno et iterum de duplici vel triplici panno loquuntur.

9. Chrismale recentioris est aetatis; Vesperale autem videtur in usu fuisse jam saeculo 14. Nomina diversa, quae pannis altaris dari solebant, sunt sequentia: Pallae, Velamina, Indumenta, Vela, Mensalia, Mappae, Tobaleae.

ART. II.

DE ANTIPENDIO.

361. Antipendium est ornatus panno confectus, quo, pars anterior altaris (stipes et etiam crassities mensae) tegatur. Caeremoniale Episcoporum dicit[1]: "Altare majus in festivitatibus sollemnioribus . . . pro temporum tamen varietate et exigentia, ornabitur: quod si a pariete disjunctum, et separatum sit, apponentur, tam a parte anteriori, quam posteriori illius, palla aurea, vel argentea, aut serica auro perpulchre contexta, coloris festivitati congruentis, eaque sectis quadratisque lignis munita, quae telaria vocant, ne rugosa, aut sinuosa sed extensa, et explicata decentius conspiciantur." Missale Romanum[2] breviter notat: "Pallio quoque (altare) ornetur."

[1] Lib. I., c. XII. 11. [2] Tit. XX.

[redacted]

2. Strictum praeceptum e verbis citatis non potest deduci, attamen errant, qui Antipendium considerant ornatum absolute liberum. Ecclesia enim insistit, ut altare, quod Christum repraesentat, semper congruum decorem habeat. Talis decor autem praecise Antipendium est. Ideo merito dicit Van der Stappen:[3] "Antipendium apponendum est ad quodcunque altare, nisi ipsa structura altaris, lapidea vel lignea, decore ornata sit metallo, vel lapide pretioso, vel figuris, aut per modum tumbae sit confecta. Attamen in sollemnioribus festivitatibus etiam pro hujusmodi altari requiritur, aut saltem convenit pallii pretiosioris ornatus."

3. De materia Antipendii rubricae nihil accurate praescribunt. Communiter e serico conficitur, sed non adeo rigorose adhibendum est ac pro indumentis sacerdotalibus.

4. Circa colorem rubrica Missalis Romani[4] tantum dicit, Pallium debere esse congruum Festo vel Officio. Decretum insuper habetur S. Rituum Con., quod pro altari, in quo fit Expositio SS. Sacramenti, praescribit Antipendium albi coloris, et aliud, quod vetat, quominus in altari, ubi asservatur (inclusum in Tabernaculo) SS. Sacramentum, unquam Antipendium nigri coloris affigatur. In functionibus Exequiarum tunc color violaceus erit adhibendus.

5. Quoad ornatum Antipendii semper magna libertas concessa fuit. Convenit, ut fasciae trahantur longitudinales (a cornu Epistolae usque ad cornu Evangelii), necnon in extremitatibus lateralibus, quae fasciae optime auro vel opere acu picto et variis coloribus conficiantur. Planities poterit decorari floribus, imaginibus, emblematibus diverso modo dispositis, sed fasciae videntur esse magis conformes liturgicis usibus. Si imagines apponantur hic, intuitu istius circumstantiae, quod altare repraesentat Christum, hae imagines semper relationem habeant ad SS. Redemptorem, ejus vitam, eucharisticum sacrificium et passionem. Imagines Sanctorum minus congruunt. Addi oportet, non licere ibi apponere figuram tantum Cordis Jesu a persona Christi separati. Et idem valet de SS. Corde B. M. V. Nam S. Rituum Cong., juxta Decretum 5. Aprilis 1879 ad quaestionem super hoc propositam respondendum censuit: "Ejusmodi emblemata privata ex devotione permitti posse, dummodo altaribus non

[3] III. Q. 44. [4] Tit. XX.

[redacted]

apponantur." Ex alio Decreto vetantur Antipendia decurtata, prouti pallium parvum, mediam dumtaxat partem altaris tegens, a mensa dependens.

ART. III.

DE CONOPAEO SEU VELO TABERNACULI.

362. Tabernaculum, quum sit locus habitationis permanens Christi Domini sub specie panis inter nos commorantis, religiosissima devotione tractari debet. Ideo sacerdotes, qui sunt custodes divinitus positi eucharistici Salvatoris, maxima cura et sollertia invigilent, ne non solum omnia a Tabernaculo intus et exterius arceantur, quae majestati Dei ibi reconditi repugnant, sed ut insuper haec arca Domini eo splendore circumdetur, quo fidem et reverentiam nostram apprime manifestemus.

2. Rituale Romanum habet notam: "Tabernaculum Conopaeo decenter ornatum sit." Quid vero est Conopaeum? Est velum ad instar tentorii formatum, quod undique vel saltem in fronte dependeat. Juxta Decretum S. Rituum Cong.[1] Tabernaculum, in quo reconditur SS. Sacramentum, Conopaeo omnimode cooperiri debet. Non ubique haec rubrica observatur, partim quia structura Tabernaculi Conopaeum non permittit, partim quia forma Tabernaculi, quae est praegrandior et valde pretiosa Conopaeum videtur reddere superfluum. Attamen curandum est, ut praescriptio ab Ecclesia facta in praxim deducatur.

3. Color Conopaei, quemadmodum iterum S. Rituum Cong. in eodem Decreto declaravit, potest esse aut albus aut conformis colori Officii diei seu festi, sed nunquam color niger permittitur, cujus loco in Exequiis defunctorum violaceus color adhibendus est.

4. Etiam circa materiam libertas datur. Potest Conopaeum confici e gossypio, vel lana, vel serico. Convenit sane, ut saltem in diebus festivis et sollemnioribus sericum Conopaeum apponatur.

5. Conopaeum est recentioris aetatis. Medio aevo SS.

[1] D. 3055.

[redacted]

Sacramentum asservari non solebat super altari, sed in arca, aut in sacristia, aut in parietibus chori vel sanctuarii affixa. Etiam domuncula vel casa in eum finem constructa et magna arte confecta multis locis inveniebatur. Primus, qui praescriptiones circa Conopaeum dedit, erat S. Carolus Borromaeus, sed videtur jam antea in usu fuisse. Forte saeculo XV. paullatim introductum fuit. Rituale Romanum a Paulo IV. (anno 1614) editum hunc usum adoptavit et legem rubricalem ex eo fecit.

ADDITAMENTA.

DE COLORIBUS LITURGICIS.

363. Diversitas colorum, quam in rebus naturalibus undique oculis nostris perspicimus donum est sapientis Creatoris et benigni Patris, prouti ita excellentia et pulchritudo Dei invisibilis per visibilia nobis manifestatur. Insuper diversis coloribus quasi magica vis inest, qua affectus cordis multiformes eliciantur et mens humana objectis sensibilibus instigata spiritualia cognoscat et ab inferiori ordine ascendens ad superiorem ordinem elevetur.

2. "Hinc," inquit Van der Stappen, "sicut semper et ubique terrarum homines usi sunt vestibus varietate distinctis, sive ad scientiam honorandam, sive ad justitiam administrandam, sive etiam ad laetitiam vel moerorem significandum;—sicut etiam in antiqua lege diversos colores, hyacinthum, et purpuram, et byssum, aliosque legimus in sacris vestimentis adhibitos;—ita etiam in Nova Lege Ecclesia varietates colorum decenti pompa in sacris vestibus destinavit, ad manifestandam exterius miram virtutum, quibus interius fulget, diversitatem."[1]

[1] Colors are produced by the varied refraction of the rays of light, and, like light itself, stand in an intimate and mysterious relation to the inner spiritual life of man. Light and color among all material things, are the nearest related to the spiritual. The sentiments awakened in us by the particular colors are similar to the contrasts between light and darkness. The bright vivid colors act by inciting and rejoicing us, while the dark sombre colors depress the spirits and produce the effect of darkness. The colors are not only symbols of different mysteries, truths, thoughts, feelings, sentiments, but they also exert a more or less powerful in-

[redacted]

3. Vix praecise determinari potest, quo tempore colorum varietas in sacris vestibus fuerit introducta. Non semel, et quasi uno ictu vel universali lege liturgici colores in lucem prodierunt. Benedictus XIV. (Lib. de Sacrosancto Sacrificio Missae) dicit, usque ad saeculum IV. sacras vestes habuise album colorem. E documentis historicis constat, id absolute et universim dici non posse; tantum id concedi debet, primordiis temporibus album colorem in vestimentis ecclesiasticis praevaluisse, quin vero alii colores fuerint sepositi. Consuetudines locorum solae per multa saecula normae erant, juxta quas diversi colores in cultu divino adhibebantur. Primus, qui de sic distinctis coloribus liturgicis, inter antiquiores loquitur, fuit Summus Pontifex Innocentius III. In opere suo "De Sacro Altaris Mysterio" quatuor jam colores enumerat, nempe album, rubeum, nigrum, et viridem. Verum etiam tunc temporis color violaceus, etsi forsan rarius, occurrebat, et brevi post frequentius adhiberi solebat. Simul alii adhuc colores, nonnullis locis saltem, in usum venerunt. Innocentius III. minime voluit canonem seu legem stabilire de coloribus, sed refert tantum ad consuetudines tunc existentes. Revera magna adhuc diversitas circa colores vigere pergebat. Ita, v. g., dum Romae in festo Corporis Christi color albus in usu erat, alibi color rubeus in eodem festo adhibebatur. Episcopis et aliis Superioribus in diversis provinciis, dioecesibus, monasteriis etc. relinquebatur determinare, quales colores deberent seu possent adhiberi.

4. Lex universalis, qua accuratius totus canon de coloribus liturgicis fuerit definitus, lata est a S. Pontifice Pio V. tempore, quo nova editio Missalis cum suis rubricis in lucem prodiit. Haec lex adhuc hodie valet pro toto orbe catholico Latini ritus. In aliquibus regionibus et ecclesiis privilegia et exceptiones habentur, attamen id non impedit, quominus possimus nostris diebus loqui de vero et universali canone quoad colores liturgicos.

fluence over the understanding and mind, on the life of the soul and heart. Now this universally known and acknowledged fact is employed by the Church, inasmuch as she makes use of the symbolism of colors in her liturgy for her exalted and holy purposes, for carrying out her divine service. (Gihr, Holy Sacrifice of Mass, p. 298.)

5. Juxta hunc canonem hodie quinque colores tamquam liturgici et ab ecclesiastica auctoritate probati enumerantur, nempe albus, rubeus, viridis, violaceus, et niger. Accedit color rosaceus, sed tantum pro duabus Dominicis, sc. tertia Adventus et quarta Quadragesimae. Quia in hisce duabus Dominicis luctus poenitentiae secus praevalens isto tempore (Adventus et Quadragesimae), quem significat apprime color violaceus, aliquatenus relaxatur, ideo rosaceus color (qui est violaceo clarior) conceditur. Verum non ubique in usu est.

6. Rubricae, quibus color liturgicus praescribitur, relationem habent ad sequentia paramenta: 1. ad Antipendium Altaris; 2. ad Planetam, Stolam, Manipulum, Pluviale; ad Dalmaticam, Tunicellam et Velum Humerale quoad ministros; 3. ad Velum et Bursam Calicis.

7. Quandocunque idcirco color praescribitur, semper debet esse uniformis. Non liceret, exempli gratia assumere Plannetam albi coloris et Stolam coloris alterius. Neque permittitur, ut, dum Celebrans indutus est vestimento rubei coloris, ministri in Missa sollemni assumant Dalmaticam et Tunicellam coloris albi etc.

8. Lex de coloribus, id insuper notari debet, spectat ad paramentum vel vestem per se, et non ad accessoria, i. e. ornatum. Hinc nihil prohibet, quominus in casula albi coloris apponatur crux vel fascia coloris rubei seu vice versa, dummodo talis ornatus non excedat moderatas dimensiones. Nam abusus est conficere vestimenta, quae diversos colores exhibent ita, ut nullus color sit praedominans, et tunc hisce vestimentis uti juxta beneplacitum aut pro hoc colore aut pro illo. Id patet e Decreto S. Rituum Cong.,[2] quo ista vestimenta prorsus reprobata fuerunt.

9. Aliquot annis abhinc quaestio agitata fuit de vestimentis flavi et caerulei coloris. Exstant nunc varia Decreta S. Rituum Cong., e quibus patet, haec vestimenta esse prohibita.

Ad dubium: "An paramenta coloris flavi adhiberi possint pro quocunque colore, nigro excepto?" S. Cong. rescripsit: "Negative."

Ad dubium: "Paramenta coloris flavi, tum serica tum ex auro contexta, possuntne adhiberi pro albo, viridi, rubro, ac violaceo, praesertim in ecclesiis pauperioribus, facere

[2] D. 2769.

[redacted]

non valentibus Paramenta singulorum colorum a Rubrica praescriptorum?" S. Cong. rescripsit: "Quoad paramenta coloris flavi, Negative; quoad paramenta ex auro contexta, Affirmative, excluso tamen colore violaceo."

Ad dubium: "Num in Oratoriis ruralibus atque ecclesiis, quae parvum habent censum, Planetae sericae flavi coloris, ut antea adhiberi possint?" S. Cong. rescribendum censuit: "Negative."

Ad dubium: "An usus coloris caerulei in sacris Paramentis permitti possit pro colore albo, uti fieri assolet in Missis B. M. V.; vel potius pro violaceo?" S. Rit. Cong. respondere rata est: "Negative in omnibus; et usum caerulei coloris, veluti abusum eliminandum."

Auctor clarissimus Van der Stappen, sacerdotes monet, ut cauti sint in emendis vestimentis, quorum color sit vetitus. En ejus verba: "Color flavus si repudiatur minitatur jam surreptitio modo redintegrari; abhinc quibusdam annis, praetextu oeconomiae, et quod frequentior usus ocius maculat vestes sacras coloris albi, venumdatur pro Paramentis pannus, quoad colorem partim albus, partim flavus, ast pro majori saepius parte flavus, hic enim praedominatur; necnon praedominatur in hujusmodi panno plerumque gossypium, loco serici. Animadvertant sacerdotes."

"Flavus color tolerari potest auro immixtus, ita ut telam auream efformet, sed venumdatur saepius hujusmodi tela, in qua auri nihil inest, et solum remanet sericum, quod colorem aureum prae se fert, aut quidem pro majori parte gossypium; quae tela igitur flavi coloris censeri debet. Caveamus a Planetis falso dictis aureis."[3]

10. Quaestio sane hic se ingerit, quomodo paramenta diversi coloris distribuantur, sc. quibus diebus, in quibus festis, vel qua occasione nunc quidem hic, nunc alter color (albus, rubeus etc.) sit adhibendus. Fusior explicatio hujus quaestionis extra scopum nostrum est quoniam in hisce notis non praecise intendimus explicare legem rubricalem qua talem seu dare minutissimas regulas in sacro ministerio observandas. Jam initio hujus Compendii (sub. n. 15) tales regulae annotatae breviter fuerunt. Uberior explicatio poterit inveniri in Rubricis Generalibus Missalis c. XVIII.


[3] III. Q. 123 Nota.


11. Limites quoque hujus Appendicis excederet, si symbolicas significationes diversorum colorum, quemadmodum scriptores liturgici eas unus sic, alter aliter excogitaverunt, hic minutatim addere conaremur. Breves et summariae allusiones iterum in hoc Compendio sub eodem numero (15) occurrunt. Si quis e lectoribus nostris uberiorem expositionem quoad symbolismum coloribus liturgicis insitum desiderat, eum juvabit transmittere ad opus excellentissimum saepius a nobis citatum: Gihr, Holy Sacrifice of Mass, p. 297 et sequ.

APPENDIX III.

TONI MISSAE ET VESPERARUM.


I. TONUS AD "ASPERGES."





II. TONI AD "GLORIA IN EXCELSIS."

1. In Festis Solemnibus.



2. In Festis Duplicibus.





[redacted]

3. In Festis B. Mariae Virg.



4. Tempore paschali.




5. In Dominicis infra Annum.




III. TONI ORATIONUM.


1. **Tonus festivus** servatur, quando Officium est Duplex vel Semiduplex vel de Dominica.









[redacted]




conse-crásti: da Ec-clé-si-ae tu-ae e-ó-rum in




ómni-bus sequi praecéptum, per quos re-li-gi-ó-nis



sumpsit exór-di-um. Per Dóminum nostrum Je-sum




Christum Fi-li-um tu-um: qui tecum vi-vit et regnat




in u-ni-tá-te Spi-ri-tus Sancti Deus, per ómni-a



saé-cu-la sae-cu-ló-rum. ℟. Amen.



Sic ca-ni-tur punctum princi-pa-le, sic autem




se-mi-punctum; et sic O-ra-ti-o fi-ni-tur.


Alii Toni ad libitum: Vide Graduale Romanum.

[redacted]


2. **Tonus ferialis** adhibetur in Festis Simplicibus, in Missis Ferialibus, Votivis privatis et Defunctorum. Oratio dicitur in voce aequali; in loco puncti principalis et semipuncti fit tantum pausa et respiratio.



O-rémus. Fi-de-lium, Deus, ómnium conditor et




redemptor: a-nimabus..... consequantur. Qui vivis et




regnas......Spiritus sancti Deus: per omnia s. saeculorum.

3. Quando Orationes terminantur cum *clausula minori* idem Tonus Ferialis usurpatur, praeterquam quod ultima syllaba tam Orationis quam ejus conclusionis declinatur ad semiditonum. Quando plures Orationes sub una conclusione ponuntur, terminatio haec finalis fit tantum in ultima Oratione.




Deus, qui nobis sub Sacramento m....... sentiamus;



Qui vi-vis et regnas in saecula saeculorum. Amen.


Quando praemittenda est monitio: *Flectamus genua:*



O-ré-mus. Flectámus gé-nu-a. Le-vá-te.

[redacted]


Ante Orationem super populum:




HU-mi-li-á-te cá-pi-ta ve-stra De-o.

IV. TONUS EPISTOLAE.


In Epistola, vox aequaliter, cum aliqua tamen mora et cantando continuatur. Ad punctum vero interrogativum plures syllabae ante signum interrogationis (post ultimum comma) declinantur ad semitonum. Inferior vocis inflexio semper cum tertia syllaba convenit.




Le-cti-o li-bri sa-pi-en-ti-ae.. Be-a-tus vir qui




in-ventus est si-ne ma-cu-la,....... in pe-cu-ni-a et



thesauris. Quis est hic, et laudabimus e-um?



et e-le-e-mo-sy-nas il-li-us en-na-ra-bit omnis




eccle-si-a san-cto-rum.

Alius Tonus ad libitum et Tonus Lectionis et Prophetiae: vide Graduale Romanum.


V. TONUS EVANGELII.




DO-minus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tu-o.




Se-quén-ti-a san-cti E-van-gé-li-i se-cún-dum




Matthaéum. ℟. Glória ti-bi Dómine. In illo témpore:.




Dixit Jesus discípulis su-is: Vos estis sal terrae.




Quod si sal e-va-nú-e-rit, in quo sali-é-tur? Ad nihilum



valet, ultra, nisi ut mittátur foras, et conculcé-tur



ab hominibus....... qui autem fé-ce-rit et docú-e-rit



hic magnus vocábitur in regno coelórum.

Sic ad punctum principale vox in quarta semper syllaba declinatur. Ad punctum autem interrogativum servatur


[redacted]

tonus solitus interrogativi ut in Epistola. In fine Evangelii tertia syllaba (vel quarta, si tertiam praecedit accentus deprimenda est.

Alii Toni ad libitum: vide Graduale Romanum.


VI. TONI AD "CREDO."







VII. TONI AD "ITE MISSA EST."

1. In Festis Solemnibus.



2. In Festis Duplicibus.






[redacted]


3. In Festis B. Mariae Virginis.



4. A Sabbato Sancto usque ad Sabbatum in Albis inclusive.



5. A Dominica in Albis usque ad Dominicam Trinitatis exclusive.



6. In Dominicis infra annum (et Sept., Sexag. et Quinq.)



7. In Dominicis Adventus et Quadragesimae.



8. In Missis Ferialibus et Votivis privatis.



[redacted]

9. In Missis de Requie.

REQUIESCANT in pa - ce.

VIII. CONFITEOR.

Con fí-te-or De-o omnipoténti, be-á-tae Maríae

semper Vírgini, be-á-to Micha-é-li Archángelo, beáto

Joánni Baptístae, sanctis Apóstolis Petro et Paulo,

ómnibus Sanctis et ti-bi pater, qui-a peccávi nimis,

cogitati-ó-ne, verbo et ó-pere: me-a culpa, me-a

culpa, me-a máxima culpa. Ide-o precor beátam

Maríam semper Vírginem, be-á-tum Micha-é-lem

[redacted]

Archángelum, be-á-tum Joánnem Baptístam, sanctos

Apóstolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos, et te

pater, o-ráre pro me ad Dóminum Deum nostrum.

IX. TONUS VESPERARUM.

1. In principio Horarum in Officiis Duplicibus et Semiduplicibus.

DE-US in ad-ju-tó-ri-um me-um inténde.

2. Tonus Capituli.

IN di-é-bus il-lis salvábitur Juda, et Israel habi-

Flexa

tábit confidénter, † et hoc est nomen quod vocábunt


Metrum *Punctum*

e-um: * Dóminus justus noster. ℟. De-o gráti-as.

[redacted]

3. Toni Versiculorum.


(*a*) Tonus cum neuma.



℣. Dirigátur Dómine o-ráti-o me-a.

Sic cantatur Versus post Hymnum.

(*b*) Tonus simplex.



Dignáre me laudáre te Virgo sacráta.


Sic cantantur Versus in Commemorationibus etc.

4. Orationes cantantur eodem modo ac in Missa (supra III.)

5. Toni ad "Benedicamus Domino."


(*a*) In Festis Solemnibus (etiam B. M. V.)

In I. Vesperis



BE-NE-DI-CA-MUS Do - - mi-no.


In II. Vesperis



BE-NE-DI - CA - MUS Do - mi - no.

(*b*) In Festis Duplicibus.


In I. Vesperis



BE - NE - DI - CA - MUS Do - mi - no.


[redacted]

In II. Vesperis




BE - NE-DI-CA - MUS Do-mi-no.

(*c*) In Festis minoribus B. Mariae Virginis.



BE - NE-DI- CA-MUS Do - mi - no.

(*d*) In Dominicis per annum.



BE-NE-DI-CA-MUS Do - mi - no.


(*e*) In Dominicis Adventus et Quadragesimae.

Ad utrasque Vesperas



BE-NE-DI-CA - MUS Do - mi-no.

6. In fine Vesperarum.



Fi-de-lium animae........requiescant in pa-ce. Amen.
Do mi nus det nobis suam pa cem.
Di vi num auxilium maneat semper no-bis-cum.

[redacted]

INDEX ALPHABETICUS.

Numeri designant numeros marginales seu paragraphos (non paginas), prior numerum principalem, alter, si addatur, numerum secundarium qui indicat subdivisionem paragraphi. *Adn.* significat adnotationes infra paginam

[redacted]

[redacted]

O.

P.

V.

PRINTED BY BENZIGER BROTHERS, NEW YORK.



